

In custodia, a fianco,
Synopsis reipublicae Venetae
6.12.M.21/Δ

6.10.09

F. Nuitte




TIBI MILITAT ÆTHER
A DIVIS CÆLITIBVS.
7 A PONTIFICE ET ECCLESIA
6 A CÆSARE FERDINANDO
5 A LIGA CATHOLICA
4 A DOMO BAVARICA
3 A MVSIS ET SCIENTIIS
2 A PROPRIIS DVCIBVS MILITIBVS QVE
1 GLORIA AB HOSTIBVS
GLORIA BELLICA

GLORIA
BELLICA.

GLORIA BELLICA
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS
MAXIMILIANI,
COM. PAL. RHEN. VTRIVSQ. BAV. DVCIS,
SAC. ROM. IMP. ARCHIDAPIFERI ET
ELECTORIS:

QVAM
HEROI MAXIMO
HEROES
ET
HEROIDES
TOTVMQVE SVPERORVM CONCILIVM
PRIMO
LVDIS TRIVMPHISQVE CÆLESTIBVS
SACRARVNT;
NVNC
RECTOR CETERIQ. INGOLST. ACADEMIÆ
PATRES AC PROFESSORES,
GRATVLATIONIS BONIQ. OMINIS CAVSA
ADVMBRARVNT
LIB. XX.



ANNO CHRISTIANO
CIↃ. IↃC. XXIII.



AD SERENISSIMVM

ET POTENTISSIMVM PRINCIPEM, MAXIMILIANVM

COM. PAL. RHENI,

VTRIVSQVE BAVARIÆ

DVCEM,

S. R. I. ARCHIDAPIFERVM ET

ELECTOREM,

PRINCIPEM AC DOMINVM

CLEMENTISSIMVM.



Vod in Orphei quondam statuâ omen Poëtis editum fertur, SERENISSIME ELECTOR, id hodiéq; in SERENITATE VESTRA, Martem & arma victricia per tot prouincias circumferente, haud immeritò reuiuiscit. Testatur enim Arrianus, Alexandro Persis

Arrian. de expedition. Alexand. De hac Orphei statua Philostrat. iunior & Callistratus in Hypotyposib.

ſis bellum facturo, ſtatuam in Pieriâ, quæ Orpheum vatē referebat, cōtinuis fluere ſudoribus cœpiſſe. Eius ſudoris prodigium, cûm multi atq; varij interpretes & ipſi non ſine ſudore aſſequi coniecturâ vellent, maximè præ omnibus rem dixiſſe iudicatus eſt Ariſtander Telmiſſeus vates eximius. Is læto bonôq; Alexandrum animo eſſe iuſsit: Quippe aliud eo marmorei Poëtę ſudore nihil portendi, quàm veros omnis generis Poëtas & Auctores in Alexandro eiúſque rebus fortunatè proſperêque geſtis ſtilo conſignandis, decantandiſq; magnoperè laboraturos.

2. Bellauit iam aliquot annis & V.ra S.tas atque ne quid ad comparationē deeſſet, Fortitvdine, Felicitate, Celeritate, magna illa belli fulmina, Alexandros, Scipiones, Cæſares, æquauit: *cauſsâ* verò pugnandi, rerúmque gerendarum

ſapien-

sapientiâ, etiam longè superauit. Et necdum quidem receptui cecinit; quia rebellium vires, quamuis maximum in modum truncatæ; vltima tamē adhuc experiri audent; *more anguium, qui, obtrito capite, postremum caudâ minantur.* Eadem ergò victrix dextera & palmam fert, & gladium; idemque Martius animus adhuc pro Imperio excubat; & est diu in armis, vt alij diu sint in pace. Nempe vnus Herculeę virtuti labor non sufficit: longiorque est bellandi meta, vt fiat clarior vincentis gloria. Maiorem scilicet triumphandi materiam SER.^{ti} V.^{ræ} DEVS superesse voluit, vt non tantùm citò vincere, sed etiam diu feliciter pugnare posse videretur. Itaque inter victoriam & bellum media consistit, tantò hostibus animosior, quantò æquitate, secundarumq; rerum successu superior.

3. Reuiuiscit igitur Orpheæ statuæ omē,

quia

quia vt tot victoriis & honoribus inde consecutis feliciter diceret, in his BELLICÆ GLORIÆ COELESTIBVS LVDIS TRIVMPHISq; desudare Poëticus labor cæpit. Boni vtiq; ominis caussâ. Nam ita olim SER.tis V.ræ laudes in cœlum, scriptis carminibus, historiisq;, est elatura posteritas: & sumet tanti nominis claritudo cum ipso tempore incrementum. Vt enim immerentium fama ferè cum ipsâ vitâ extinguitur, sic fortissimorum HEROVM nomen post fata non solùm est superstes, sed etiam magis ac magis celebratur; ipsâ vetustatis approbatione venerandum.

4. Quid igitur? secutura ætas, eum quē non est visura prædicet, nos autem qui SERE.tis V.ræ periculis pacem, tranqillitatemq; adepti sumus, ingrati sileamus? Habuit suos Homeros Achilles & Vlysses: suos Virgilios Aeneas & Turnus; suos Vale-

rios

rios Iaſon; ſuos Silios Scipio; ſuos Horatios Auguſtus; ſuos Lucanos Pompeius & Cæſar; ſuos Claudianos Honorius, Stilico & alij. Noſtro ſæculo non deſunt Achilles, non Iaſones, nõ Cæſares: deſunt tamen Homeri, deſunt Virgilij, deſunt Horatij. Ergóne quia minus poſſumus, minus conabimur? ſaltem minus grati eſſe nõ debemus, ſi minus docti ſumus.

5. Fontinalia diem feſtum Romani inſti- [Varro lib. 5 de ling. lat.] tuerũt, quo in fontes, plexas è florib. coronas proiiciebant, puteoſq; coronabãt, vt à quib. ad reſtinguẽdam ſitim aquas acciperent, iiſdem gratiam hoc ritus genere referre viderentur; quanto magis æquum eſt eum, à quo nõ ſolùm hominũ priuatorum fortunæ, verùm etiã vrbes & Reſpublicæ, Principes ac Reges, Cæſares, & Pontifices tam illuſtre bellici triumphi gaudiũ hauſerũt, laude & gratulatione perſequi? Vt ve-

)( )(lut

lut postliminio ad fontem redeat, quod à fonte promanauit. Magna nos exempla iuuant. Ipse nos GREGORIVS XV. Pontifex Maximus, ipse Augustissimus CÆSAR FERDINANDVS II. ceteriq; PRINCIPES, & ELECTORES præcesserunt. Quare fonti isti corollæ loco & PONTIFEX Romæ honores maximos decreuit; & CÆSAR Ratisponę PILEVM ELECTORALEM imposuit; & ceteri quoq; ELECTORES decoratum PILEO hoc COLLEGAM exoptatissimâ gratulatione acceperunt. Talis galea talem decebat bellatorem. Neq; potuit hoc triumphatore dignius reperiri paludamentum, quàm si *Epomis Electoris* illi iniiceretur. Ferre vtique *prætextatam* hanc *pellem* possunt humeri, qui totius *Bohemiæ*, *Austriæ*, *Bauariæ*, *Sueuiæ*, *Frāconiæ*, *Germaniæq;* onus sustinuerunt. Vt enim tanto aptiores essent ad hāc chlamydem gestādam lacerti, satis eos ferrea

lori-

lorica præparauit. Deniq; POMVM AVREVM accepit dextera, quæ aureos nimbos in pauperes, aureos fluuios in templa, aureos montes in bella profudit.

6. Nos inter tanta certantium studia quid faciamus? Imo quid non faciamus? Pangamus carmina? scribamus libros? cumulemus bibliothecas? Nihil est quidquid facimus: quia nos verba impendimus; SER.mæ V.æ vitam.

7. Multæ sunt præterea aliæ grauesq; caussæ, quæ & nos ad id audendum impellunt, & aliis sufficere possunt, vt à nobis nõ intempestiuè, quod audemus, susceptum censeatur. Etenim non minus Deo, quã SER.ti V.ræ pro reportatis tot illustrissimis beneficiis, victoriisq; grati esse debemus. Victoriã nos à SER.te V.a vim atq; robur V.a SER.mæ à Deo habuit. Qui igitur Victori gratulatur, Deum laudat à cuius nutu

omnes ſemper omniũ bellorum exitus pependerunt. Neq; enim ſine cauſſa ſanctiſſimi illi inter vincendum milites clamauerunt, *Gladius Domini & Gedeonis.* Quippe vnâ eademq; voce vterq; laudandus eſt, & qui gladium ſtrinxit, & qui ſtringentem roborauit. Vtq; iure, quidquid bellando effectũ eſt, potius Duci, quàm militi tribuitur; quia plus eſt, quod ille cõſilio, quàm quod iſte ferro facit: ita æquiſſimum eſt, vt in humanæ victoriæ laudib. primas, Diuinæ Bonitati dari exiſtimem⁹, à qua manuum robur, animiq; fortitudo omnis in mortales ſolet diſpenſari. Quamobrẽ etiam tam freqũeter in ſacrâ paginâ *Dominum* ſe voluit *exercituum* nũcupari. Beneficium igitur agnoſcit, non iactat quiſquis victorias memorat, quas ſcit ſine cœleſti ope obtineri non potuiſſe. Nec victoriæ largitorem ſatis honorat, qui victori gratias agere diſſimulat; cũ

Iudic. 7. 20.

1. Reg. 1. 3. & alibi paſſim, præſertim apud Prophetas.

)( )(illius

illius quodam modo exemplũ negligat, qui hunc ipſe honorauit, per quẽ victoriæ gaudium voluit ad nos deriuari.

8. Agnouerunt hoc probè magni illi bellatores, qui quamuis nulla honorum cupiditate cõtacti, incredibili ſpiritus generoſitate etiam ipſos triumphos triumphaſſent, tamen non obſtiterunt, neque repudiauerunt eos, qui cum triumpho aduerſum ierant. *Quod cum audiſſet Abraham*, Gen.14.14. ait diuina ſcriptura, *captum videlicet Lot fratrẽ ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo: & perſecutus eſt vſq; Dan. Et diuiſis ſociis, irruit ſuper eos nocte: percuſsitq; eos, & perſecutus eos vſque Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci. Reduxitq; omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoq; & populum. Egreſſus eſt autem Rex Sodomorum in occurſum eius, poſtquam reuerſus eſt à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ eſt vallis regis. At verò Melchiſedech rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cælum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manib. tuis ſunt.*

Nimirum summa erat orationis, vt Deus in reduce Abrahamo laudaretur, qui prouidentiæ suæ clypeo prœliantem munijsset. Eadẽ caussa pæana canendi fuit & aliis. Cum enim Ægyptiorum cadauera, iã duplici nomine rubrũ mare, quippe & sanguine purpuratũ, in litt⁹ euomuisset, Exod. 15. 1. *tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare,* &c. Et paulo infra: *Sumpsit autem Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua egressæq. sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare.* Ergo & victor ipse cecinit, vt doceret, non tantum classicum in bello, sed etiam triumphum in pace cani oportere; & tympana quæ priùs armatorum manus in pugnam, atque vulnera animabãt, adepta securitate, pedes in numeros & chorum mouerunt, vt ostenderent, eadem esse instrumenta, si-

cut

cut ad hostem in bello profligandum, ita & ad Deum in pace laudãdum fabricata.

9. Idem factitatum, cum Sisaræ caput clauo transactum, terrę hæreret, cerebro & cruore per plagã diffluente. *Cecineruntque Debora & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël*, &c. Debora itaq; Prophetis Moysen imitata, deiecto hoste Poëtriã egit, & vna cum Baraco epinicio cecinit, vt victorię laus ad auctorem Deum rediret: ait enim: *Saluatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.* Vt autem non arbitremur hominibus nihil tribuendum, adiungit ibidem prudentissima Herois. *Cor meum diligit principes Israël: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.* Quin & peculiari encomio afficiuntur, qui ad bellum id accurrerunt. *Ex Ephraim*, ait, *deleuit eos in Amalec, & post eum ex Beniamin in populos tuos o Amalec*, &c.

Iudic.5.1.

Phil. lib. de vita contempl.

v.9.

v.14.

lec, &c. Deniq; femina, quæ caput erat vi-
6.24. ctoriæ, quantis laudibus ornatur? *Benedi-
cta inter mulieres Iahel, vxor Haber Cinæi, & benedica-
tur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, & in
phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manum
misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, per-
cußitq; Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tem-
pus validè perforans. Inter pedes eius ruit: defecit, & mor-
tuus est: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis
2. Par. 20. & miserabilis.* Iosaphat, quem Iuda regem &
victorem habuit, eiusq; in victoria milites
memorantur cum ingenti voluptate Ie-
rosolymitanam vrbem repetiuisse, *eò quòd
dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. Ingreßique
sunt in Ierusalē cum psalteriis & citharis, & tubis in domū
Domini.* Hæc scilicet coronis addenda fue-
rat, vt à belli mæstitia, per victoris, Deique
laudes, ad lætitiam pacis reuerterentur.

10. Cur igitur non eamus in laudes ma-
gnorū, imò Maximorum Ducum tot illu-
1. Reg. 18. strib. exemplis eruditi? Omitto quæ Da-
uidi, post Gigantis Philistæi superbā cer-
uicem

uicem proprio enſe reſectam; Iudithę poſt Holofernis caput maſcula manu animoq; ablatum; aliiſque poſt deletos ſuos prælio hoſtes ad dignitatem ampliſſimè declarãdam contigerunt. Quorum omnium nos docent hiſtoriæ, Deo ipſi fieri, quæ Dei Ducibus victoribuſq; exhibentur. Iudith 15.8.

11. Iam ſi necdum penitus ſopitum eſt omne belli incendium; ſi adhuc quædã gliſcunt vel de antiquo ſtricturæ, vel de nouo ſcintillæ, nequaquam alieno tempore canimus. Neq; enim hoc eſt ante victoriam de triumpho cogitare. Imò eo ipſo, quia obtentos titulos victoriaſq; SER.[ti] V.[ræ] gratulamur, ominamur plures obtinendas. Et nouum capere beneficium meretur, apud quemcunque accepti beneficij memoria non conſeneſcit. Quod vt ne fiat, gratulatio quoque adiuuat, quæ animis mortaliũ, neſcio quàm potenter inſculpit rerũ feliciter geſtarum recordationem.

)()()(Quid

12. Quid quòd etiam fuêre, qui canendo hostiles copias superarent? Vt enim de muris illis taceam, qui ad tubarum clãgorem corruerunt: Beda auctor est, cùm ad mandatum Germani Antisiodorensis lætissimum illud *Alleluia* vndiq; exsonaret, mirabilẽ in Britannia de Pelagianis victoriam fuisse partam. Ita & Simon Montfortius cõtra Albigenses militans, dum in castris caneretur *Hostẽ repellas longius*, aduersæ partis phalanges tremefecit, atq; in fugam vertit. Quid argumẽtis opus est? Iosaphat sceptri in Iuda potens, cantores Domini statuit vt laudarẽt eum, & exercitum antecederent, voceq; consona dicerent, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*. Est cantum hũc admirabilis victoria consecuta. Nam cum *cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon & Moab, & montis Seir, qui egreßi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, &*

Iosu. 7. Beda 1. Histor. Anglor. c. 20.

In Hist. Albig. Ex hymn. Veni Sancte Spri.

2. Par. 20.

per-

cußi sunt. Ad extremum regia vox est, *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero*. Psal. 17.
Dum ergo Diuinam Potentiã bonitatemque in datis victoriis *Honoribusq.* laudamus, inuocamus, vt quæ largita est, ea feliciter euenire iubeat. Atq; hæc ipsa causa fecit, vt etiam veteres illi Martis sectatores nullũ triumphum, nullosque nouos *Honores* abire sinerent, pro quib. non Diis suis aut victimas cæderent, aut comportatis in rogum spoliis magnificè sacrificarent.

13. Caussæ à nobis hucusq; allatæ cõmunes sunt, atq; ferè omnes attingunt. Superest, vt priuatas aliquot recẽseamus. Quod igitur & ACADEMIA nostra SER.ti V.ræ gratuletur, nemo mirabitur vt putamus; cum nemo nesciat, quantis illa titulis huic Nomini sit obstricta. Si ipsa suæ originis incunabula consideret, à LVDOVICO BAVARIÆ DVCE qui cognomento DIVES appella-

tur, se reperit fundatam, erectam, dotatã. Itaq; eundem & SERENITAS VESTRA & ACADEMIA NOSTRA auctorem habet: nam à cuius descendit SERENITAS VESTRA sanguine, ab eius descendit ACADEMIA NOSTRA liberalitate. Sed & si progressum ACADEMIÆ NOSTRÆ ex Annalib. ante oculos, ponere volumus, quid aliud inueniemus, quàm adamantina quędam vincula beneficiorum SERENISSIMO huic nomini nos fortissimè alligantia? Qua enĩ munificentia LVDOVICVS DVX; eadem & posteri eius in nos vsi inueniuntur: quasi auitã virtutem cum ipso sanguine traditam accepissent: non tam prouinciæ potiundæ, quàm Maiorum suorum gloriæ amplificandæ hæredes.

14. Hinc toto celebrata in orbe Priuilegia continuo velut incremento liberalissimè exaucta nobilissimos quosq; iuuenes

nes etiã è longè dissitis regnis vndiq; alliciunt, attrahuntq;. Nempe vt sol quantò altiùs in meridiẽ prouehitur, tantò lucis suæ fontẽ copiosiùs aperit; sic SERENISSIMA ista DOMVS, quantò emergit sublimiùs, tãtò prodest abundantiùs; nec se se magis splẽdescere arbitratur, nisi alios maioribus beneficentiæ suæ radiis perfundi animaduertat: non enim solet ascendere vt despiciat, sed vt prospiciat; hoc ipso tanto sibi semper gloriosiùs, quantò aliis vtiliùs decorata.

15. Ac ne ipsa quoq; V.ra SERENITAS ab hac ACADEMIA paternam manum aut oculum subtraxit. Vt enim nihil dicam de Schamhaubtẽsi reditu, qui SER.tis V.ræ clementia ærario nostro accessit, vt tot stipendia Theologię, Iurisprudentię, Medicinę, Philosophiæq; studiosis vberrimè persoluta non enumeremus; quis nuperum illud prouidentiæ inuentum, & ad virtutẽ, eru-

ditionē, disciplinā, Reiq; publicę constan-tē prosperitatē admirabile incitamentum, non in cœlum tollit? Nulla cos ingenia generosum aliquid spirantia potentiùs exacuere potuisset, quàm tam propinqua certaq; spes præmiorū. Et quoniā, vt Cicero dixit *Honos alit artes;* Non minima est hęc tē-porū nostrorū felicitas, quòd iam aulæ officiaq; pateāt, non iis qui plura pocula, sed qui plura volumina exhaurire didicerunt.

16. Quid quod & AVGVSTISSIMVS CÆSAR FERDINANDVS II. præcipuus in huius fortunę theatro actor, titulorumq; quibus SERENITAS V.ra recēs aucta est, institutor; & ipse in hac ACADEMIA sub Pallade militauit, monumentūq; plus vno ad æternā tam preciosi AVDITORIS memoriā in hac vrbe reliquit; vel hodie quoq; inter tot negotiorum agmina, nō solùm ACADEMIÆ, sed penè singulorum etiā Professorum clementissimè memor? An nō & nos vel ver-

bis

bis honorem habere iis addecet, qui nos reipsa tantoperè ornauerunt: Nec enim paruũ est ACADEMIÆ NOSTRÆ ornamentum, EX EA PRINCIPES, DVCES, ELECTORES, REGES, CÆSARES PRODIISSE.

17. Vetera plurib. non repetemus; quę recentia sunt, nos silere non sinunt. Si nesciuissemus quantũ antehac ex BAVARICO NOMINE præsidium habuerimus, ipsa hæc tonantia tempora pręclarè nobis oculos aperuissent. Vt enim pusillum quondam animal, cum in arena periclitaretur, nusq̃ tutius fuit, quàm apud *Leonem*, intra cuius ipsos dentes persequẽtium canum morsus euitauit: Sic nos in hac armorũ tempestate vbi securiùs viximus, quàm intra *Bauarici Leonis* septa: & quidem in ipsa hac munitissima munitione inclusi: Quot tela in nos incidisset, nisi *candidis cæruleisq; rhombis* intersectus vmbo ea à capite fortunisq; nostris auertisset: vt adeò non solum pro *Martial. lib. 1. ep. 49.*

CÆSA-

CÆSARE, sed etiam pro vnoquoq; nostrũ bella hæc gessisse, meritò videri possit. Vnicuique certè nostrum bellauit, dum pro CÆSARE bellauit. Illi bellando REGNVM restituit, quod erat ablatũ; nobis PATRIAM retinuit, ne auferretur. Illud fortitudinis, hoc Prouidentiæ tribuendum est. Neque minus gratos expectat, qui potuit damna cauere, quàm qui sarcire.

18. Cum autem vniuersa GERMANIA coniurationibus, incursationibusque hostilibus vndique diuexata oculos suos in SER.tem V.ram coniiciat, tanquam in communem quendam *Pacis Parentem*; maximè tamen id facere compellitur nostra hæc BAVARIA, & adeò nostra hæc INGOLSTADIENSIS CIVITAS & ACADEMIA, in quam immẽsæ illius lucis radij viciniùs redundant. Decet autem, quod in speculis fieri animaduertimus, vt quę lucernæ adsita sunt propiùs, plus de accepto lumine ad

fon-

fontem suum reflectant, regerantq; ita & nos quãtò aliis sumus propinquiores, tantò ad refundendos amantis flãmæ radios esse paratiores. Præcipue verò quia in hac ACADEMIA seminarium & palęstra quędam est, in qua totius BAVARIÆ flos ad eiusccemodi stadia decurrenda non solum litteris sed etiam exemplo inprimis debet exerceri. Quæ autem exempla hic rerum status exigit, nisi animi grati? & cum PRINCIPE suo VICTORE lætißimè triumphantis?

19. Quis luscinias domi alit nunquam cantaturas? Naturæ vim infert, qui vult, vt auiculæ ad hoc nutritæ, superata hyeme, vernum suum solem non quàm suauißimè consalutent. Cum nox tacet, silentium etiam ab his optatur. Vbi primulum pungit sol, nemo indignè fert, si & volucres in concentum emicent. Satis

noctis, superque hyemis fuit. Has tenebras, & hoc gelu diuina Clementia discussit VESTRÆ SERENITATIS auspicio. Cur igitur Musæ nostræ porrò dormiant? vbi potiùs canere ordiantur, quàm vbi sedem fixêre? In siluis Diana cum Nymphis venatur. In vrbibus Mercurius inter institorum turbas litigat. In campis Mauors vexilla aciemque explicat. Canere autem, Heliconis est negotium. Ibi Apollo citharam, Pegasus fontem, Musæ domicilium habent. Ibi rupes & caua saxa resonant. Denique Helicon non esset, si hæc ibi non essent. Quamobrem & in aliis terris, vbi eruditionis plantæ in Lyceis educantur, ibi potissimùm Musæ suis Principibus ac Ducibus, pæana, epinicia, carminaque victoralia decantant. Vt proinde præter morem facturi fuissemus, si nos soli in tantâ rerum gratulatione atto-

niti,

niti, ingratique obmutuissemus; vellitque pertinaciter memoriam illud, quod Constantem & Constantium Impp. laudaturus non nemo dixit: *Qui præstantissimis actis laudes à se agnitas non adferunt, tum eos à quibus illa perfecta sunt, afficiunt iniuriâ: tum semetipsos incusant: dum alios quidem fraudant iis, quibus æquum erat ipsos potiri: & indolem suam arguunt, quòd bona & præclara admirari nesciat.*

Liban. in Basilic. seu panegyr. Constantin. & Constantij Impp.

20. Expectant sanè alij maxima, & tanto DVCE digna: quæ etsi nec affectus quidem noster æquare potest: præstat tamen etiam publicis votis non respondere, quàm priuatis officiis deesse. Quid ergo moliemur? *Imagines argento auroque ductas; perenni fusas ære metalloq; ætatem passuro excoctas statuas; colossos, quorum proceritatem visus humanus non assequeretur, turribusque maiores; pyramides quadratas & vltrà omnem excelsitatem, quæ manu fieri posset, fastigiatas; altissimè facundissimeq; diffusos arcus trium-*

phales, ingentia ex peregrino marmore ſimulachra poſuit ſuis Ducibus antiquitas. Maiori- bus ærariis iſta relinquimus. Ad Princi- pes pertinet è marmore ædificare. Satis
2.Reg.6. eſt nos Dauidem imitari, qui *luſit* & *ſaltauit totis viribus ante Dominum*, cum arcam redu- ceret. Rideat indocta Michol aliqua *ludos* iſtos, vel ploret potiùs: nos tamen lude- mus. Quid aliud Poëſin deceat? Ne- que enim tanti operis hiſtoriam narrare tentamus. Non eſſet id gratulari, ſed com- mentari. Haud paucas tamen Boni Du- cis Militiſque virtutes quæ huic ſęculo il- luxerunt, perſtringemus. Vnde condi- ſcet noſtra hæc ætas, quando omninò res ſine militiâ tranſigi non poteſt, quemad- modum ſit militandum. Poterat id qui- dem ex lapideis quoque molibus ſtructu- riſq; diſcere; ſed ſumma modeſtia in ſum-

mâ

mâ fortunâ, penè miraculo par, has oẽs phaleras repudiauit. Quoniam igitur nihilominus rei magnitudo monumentis testata esse postulat, saltem in libris SERENISSIME DVX, triumpha, qui in saxis noluisti. Latiùs propagantur; diutiusq́ue viuunt litteratæ, quàm marmoratæ laudes. Statuas nemo videt, nisi qui in eum, vbi erectæ sunt, locum venit. Litteræ lectores suos ipsæ sequuntur, & nomen eorum, quos laudandos susceperunt, omni loco, omni tempore ornant. Intelligent igitur ex his vel seri nepotes quantis virtutem SERENITATIS VESTRÆ statuis, quantísque debeant marmoribus expressam mundo repræsentare. Quamquam etiam absque his, ex ipsâ famâ memoriâque posthumâ intelligent. At-

que vt tanto plura intelligant, SERENITATI VESTRÆ in terris longam, in cœlis æternam à Numine precamur felicitatem. INGOLSTADII, Anno CIↃ. IↃC. XXIII.

SERENITATI VESTRÆ

Deuotißimi

Ioan. Georgivs Baro in Königsegg et Avlendorff Rector, ac reliquus Senatus Academicus.

AD LECTOREM.

INdicauimus caussas scribendi, non genus. Quod ex prosa & ligata oratione mixtum erit. Quis enim in tam lætis prosperisq́ reb. vel non subinde in cantum eruperet, vel semper numeris sese astringeret? Nã de ipso vel fingendi vel scribendi modo non multa dicemus. Nota ea res est omnib⁹, quib. aliquid in floridus litteris noũ. Exempla vetera atq recẽtia densè occurrunt. Ut enim Varronianas & Catonianas, aut etiã Neronianas, Samosateas, Milesias, Atellanas, Æthiopicas & similes illecebras nõ referamus: ipse sic melleus Plato, aliiq́ eum postea secuti clarißimi Philosophi; ipse per totos libros, maximeq́ per eũ, qui est de somnio Scipionis, Cicero (cuius tamen in scribendo stilus prima regula esse debet) quin & ipsi SS. Patres sic non rarò sunt philosophati. Nec necesse est eorum dialogos in longam seriem compactos hic recensere. Si quis enim id negare volet, luculentè ostendet, se illorum volumina nõ solùm non peruoluisse, sed ne quidem aperuisse. Quod igitur illis, in grauißimis rebus licuit, nobis in ludo atq triumpho facere non erit concessum? Cùm præsertim multa hoc pacto non solùm iucundiùs concinniusq́, sed etiam commodiùs mitiusq́ sub alienâ personâ poßint proponi? quædam etiam, quæ non omnibus dicere volumus, dißimulanter insinuari? Deniq quid inter verißimè gesta, ad continuandam narrationis gratulationisq́ telã simus fictauri, eius nos sibi fabulæ libros duntaxat nominabimus, ipsum aũt argumentũ prolixiùs non apponemus, ne videamur existimare, quæ sequuntur, aut non perlecturum, aut non intellecturum. Vale.

GLO-

GLORIAE BELLICAE

Liber	De
I.	Gloria a bellis in genere, et ad totum reliquorum librorum poema ingressus.
II.	Gloria ab hostibus.
III.	Gloria a propriis ducibus et militibus.
IV.	Gloria a musis scientiisque.
V.	Gloria a progenitoribus, ceteraque domo Bavarica.
VI.	Gloria a sociis et principibus, rebusque publicis foederatis.
VII.	Gloria ab imperatore.
VIII.	Gloria a pontifice et ecclesia.
IX.	Gloria a divis coelitibus.
X.	Gloria ab ipso numine.
XI.	Gloria a prudentia.
XII.	Gloria a celeritate.
XIII.	Gloria a temperantia.
XIV.	Gloria ab auctoritate.
XV.	Gloria a fortitudine.
XVI.	Gloria a iustitia.
XVII.	Gloria a felicitate.
XVIII.	Gloria ab heroibus, et heroibus, ceterisq. coeli signis.
XIX.	Gloria a donis exuviisque.
XX.	Gloria a vaticiniis.



GLORIAE BELLICAE
LIBER PRIMVS.
DE GLORIA A BELLIS IN GENERE, ET AD TOTVM reliquorum librorum Poëma ingressus.

CAPVT I.

Poëta reduci Cæsari ac Duci pro beneficiis publicis priuatisq; gratias recenset.

BONVM factum, FERDINANDE, inter tam varias Imperij procellas verè INVICTISSIME CÆSAR! Bonum factum! Vnâ operâ ostendisti, & qualis esses in rebelles, & qualis in rebellium DOMITORES. Quod vtraq; pars meruit, hoc eâdem sententiâ reportauit. Ad finem spectat tempestas. Fugiunt nubes, detumescunt fluctus: incipit denuo ridere cœlum, & flere Orcus, qui paulò priùs nimis immaturo triumpho cachinnauit. HOC HABENT, qui HOC quæsiuerunt. Circumagit me vndiq; ipsis lætitiis perplexa solicitudo. Nescio quid primum, aut postremum in tantâ tot laudabilium rerum copiâ deprædicem. In medio mihi gaudiorum Oceano versari atque fluctuari videor, vnde nusquam portum prospicio. Rapiunt nauem meam publica, trahunt priuata. Natat in ancipiti anim⁹ tam multiplici lętitiâ in omnes partes distractus. Non possum non lætissimè tandem mutatâ salutandi formulâ exclamare:

Vide infrà lib. 2. cap. 6.

SALVE MAXIMILIANE ELECTOR, ET QVI SEMPER VICISTI, SEMPER VINCE.

Tua enim vita mors est hostium nostrorum; & tua victoria, Patriæ securitas, ciuium libertas, Imperij tranquillitas. Quid multa? penè incipio credere, quod Tullius dixit: *Virtus militaris præstat ceteris omnibus.* Nam vt animaduerto, sceptra, coronæ, regna, ipsi reges & CAESARES *latent in tutelâ ac præsidio bellicæ virtutis tuæ.* Sed hæc publica nemo nescit. Antè solem in medio cœlo lucentem abscondere liceat, quàm Martia ista pulcherrimi exempli facinora tegere, quæ toto iam mundo latissimè inclaruerunt.

Cic. pro Mur.

ibid.

O dignissime PILEO isto vertex, POMO dextera, EPOMIDE humeri! In meam quoque ista salutem à veteri Domino transierunt. Liceat enim hoc mihi erumpere gaudium ad æternam nominis tui GLORIAM felicissime à virtute tuâ PRINCEPS, liceat animũ verbis credere, & quod cadida mẽs sentit apertis sermonibus explicare. Vix in SACRI ROMANI IMPERII SEPTEMVIRVM inauguratus es, & iam vel nescius beneficia tua vsque ad cœlum iacularis? Nondum caput tuum vidi nouo tegumento cohonestatum, & iam gratiam auxiliatricis manus tuæ expertus sum? Nimirum ars est: vt dona multiplices, citò confers. Magnum enim illis precium accedit à celeritate, cum tarditas in omni re vigorem hebetet.

Iam

Iam demum intelligo, quàm verè verum sit illud, quod dicitur, *Magnorum fluminum etiam fontes esse nauigabiles; & generosioris arboris statim plantam cum fructu conspici*; quia noua hæc SEPTEMVIRATVS dignitas simul in terrâ Bauaricâ esse & prodesse cœpit. Quod si ergo ex oriente aurorâ de futuro die ominamur, quid nobis sperandum erit de hoc titulo in progressu, qui tam admirabilis extitit in exortu? Nondum spem habebam victricem istam dexteram exosculandi, & iam illa digitos mihi ad Fortunam meam intendebat. Nondum DAPIFERVM CAESARIS appellaueram, & iam hoc ipso nomine SALVTIFERVM esse sensi. Qualia enim non vidi? qualia non audiui? Quantis *ludis*? quantis *triumphis* interfui? Denique nisi immortalis tua fama ad immortales longè supra sidera ascendisset, Icarus ego, ut prorsus Phaëthon, ex stellantibus illis regnis eiectus non deuectus fuissem. Nam mea qualis, qualis felicitas, tanquam vmbra corpus, tuam illam est secuta: quæ dum velut exterior comes dominę suæ vestigia seruauit, me seruauit: vnoq; officio & illi latus, & mihi vitam texit. Iterum gratias tibi memini AVGVSTISSIME CAESAR, qui ita DEFENSORES tuos remuneras, vt ipsis muneribus alios vicissim defendas; in vno præmio bis munificus.

CAP. II.

Quorsum hac grassarum actio à Poëta instruatur?

SEd vos PATRES ACADEMICI, vosque tot ILLVSTRES & NOBILES GENEROSAEque Academiæ istius ANIMAE, lectissimi virtuteque & eruditione plenissimi & ad omnem spem aptissimi IVVENES, qui ad cimelia ista, istaq; plus quàm Vulcania arma, huncque grauiter onustum ex Olympo missum CVRRVM auidissimâ curiositate cõfluxistis; cur tam anxiè circumspicitis, & in me tandem vnum, tanquam scopum, contemplationem vestram sciscitabundosque oculos inijcitis? Quid vester iste obtutus à me postulat? Nempe *nihil dulcius, quàm omnia scire.* Et ego adhuc ex itinere ęstuans, aut nondũ plenè vigilans nescio quid Poetici aut caloris aut vertiginis pass⁹, verba ieci Sibyllæ folijs similia, anhelata nimirum illa, quæ & sensu incerta, & ambage confusa, & ipso fine destituta, neque vnde, neque quò tendant satis expresserũt. Itaq; vel de Sphinge aut Oedipo cogitatis, qui verba mea interpretetur, vel me Poëtæ etiamnũ munere fungi & diuinare censetis. Rectè censetis PATRES CONSCRIPTI; probè cogitatis cæteri vel AVDITORES vel SPECTATORES. Nondũ resedit exclamandi ardor, & vel huius aspectu imaginis, quã intueor, gliscit immodicâ flammâ sanguis; etiamque ferro frenata spirarent Phœbum præcordia. Vicit Veritas, triumphat Iustitia, quis non canat?

Cic. lib. 4. ad Attic.

Dum

CAPVT III. *Explicatur primũ donum, curru aduectũ, quod est statua Neptuni.*

DVm quatitur tumidis Germania tota procellis,
Et miscent Stygij sacra profana doli:
Arma mouet PRINCEPS, *& bellis bella retundit,*
Quoq; gradum profert, impia tela fugat.
Vt cum Neptunus pelago prospexit ab alto,
Æquora placantur, diffugiuntque Noti.
Nec Zephyrus pluuias, nec nubes colligit Eurus,
Nec Boreas gelido cogit ab axe niues.
Nec pugnant sæuum metuentia flabra tridentem,
Sed maria incipiunt omnia pace frui.
Sic vbi DVX BOIVS *nostros compescuit hostes,*
Reddita pax terris cœlicolisq; fuit.
Iamq; silent altùm sedatis fluctibus vndæ,
Vt cum rex trepidos clausit in antra Notos:
At mirum est tantos potuisse quiescere motus
Tam citò? tota hostis machina VENTVS *erat:*

Non igitur ab alio Bellatore erat dissipanda machina, tot nubium noctiumque mater, quàm à SERENISSIMO; is

Quo cœlum vultu tempestatesq; SERENAT

eodem vultu & terras nostras *serenauit*. Atque hoc ibi vult, quod cernitis *Neptuni simulachrum*, summo currui coronidis loco superimpositum. Videtis enim, vt proiecto pede conchæ marinæ viriliter insistens, læuâ frenum, dexterâ tridentem quassat: cæruleo circumdatus paludamento: vt tergemini equi inter ipsas aquas ignem spirantes iubatissima

A 3 ceruí-

Diodor. Sicul. lib. 6. Virgil. 1. Georg. ceruice ad Dominum reflexas habenas manumq; moderatoris agnoscunt? Primus omnium heros iste equorum ferociam domuisse, aut vsum demõstrasse fertur; sed & Oceano eum imperitasse creditum est, quia maria ventis exasperata classe superauit. An non & nostra secula *Neptunum* aliquem habuerunt? qui indomitos & ferocientes insolentiâ animos velut vnico nutu frenauit? decumanasque vndas à capitibus nostris auertit?

Virg. 1. Aeneid.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animus ignobile vulgus.
Iamq; faces & saxa volant: furor arma ministrat:
Tum pietate graue, ac meritis si fortè virum quem
Conspexère, silent, arrectisq; auribus adstant:
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquàm
Prospiciens genitor, cæloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; volans dat lora secundo.

In fugam ergo versi hostes, veluti atræ quędam nubes dispulsæ, euanuerunt; iamq; eorum vires, quasi detumescens fretum (quod licet à recenti agitatione nondum penitus quietum, languidum tamen) minari desierunt. Quare meritò simulachri basis hisce versibus est litterata.

QVI POTVIT TANTOS HOMINVM COMPONERE FLVCTVS;
IPSO EST NEPTVNO MAIOR ET OCEANO.

CAP. IV. OB eandem caussam alterũ illud sigillum, velut

lut appendicem additum aſpicitis. Virum hæc ſtatuaRomanum exprimit,P. Seruilium illum,cui Iſaurici cognomen ab Iſauro, arce Ciliciæ magno labore occupatâ. Hic vnâ manu nauim,altera oppidum geſtat. Quia cum Cilices inuaſiſſent *maria, ſublatiſq; cõmerciis, rupto fœdere generis humani,ſic maria bello, quaſi tempeſtate*, præcluſiſſent Iſidoro duce; miſſus eſt in eos P. Seruilius,qui quamuis LEVES & FVGACES Myoparonas graui &Martia claſſe turbauit. *Nec mari ſubmouiſſe contentus, validiſſimas vrbes eorum & diutina præda abundantes Phaſelim, & Olympon euertit, Iſauronq́, &c. Non ideò tamen tot cladibus domiti terrâ ſe continere potuerunt: ſed vt quædam animalia,quibus aquam terramq́ incolẽdi natura eſt; ſub ipſo hoſtis receſſu impatientes ſoli in aquas reſiluerũt.* Iſaurico quem velim ſignificare parem, imò ſuperiorem facilè coniicietis,ſi oſtendero Cilices nominari poſſe,quos exercitus Catholici DVCTOR *vtrumq́ mare cingere volentes*, etiam oppidis munitionibuſq; ſuis deiecit, *leuesq́ & fugaces,vt quædam animalia, quibus aquam terramq́ incolendi natura eſt*,in paludes ſuas,vnde malum pedem attulerunt, redire coegit. Sic nubes iterum in mare cadũt,vnde oriuntur. Quoniam igitur delapſi in maria & inſulas,& alias more vulpium latebras, *quærẽdi fuerunt, vt vincerentur*, rectè P. Seruilij ſtatuæ ſubſcriptum legitur:

Alterum donum exponitur, quod eſt ſtatua P. Seruilij Iſaurici.

L. Iul. Flor. lib. 3. cap. 7.

PONI-

PONIMVS HANC STATVAM TERRAQVE MARIQVE TREMENDO.

CAP. V. Caussa digressionis.

VErùm iterum mei veſtrìque oblitus, PATRES CONSCRIPTI, à voto omnium digreſſus ſum, dũ ab inſtituto ſermone deflexi; nec id, quod nunc *vultis* ac *iubetis* principio commemoraui. Date veniam affectui. Neſcit amor ſeruare ordinem. Sed vt queq; in mentem aut oculos incidunt, ita amanti temerè excidunt. Si tamen non ad veritatem potiùs, quàm ad temeritatem res trahenda eſt. Subitæ enim acclamationes fingendi non habent tempus. Faciam tamen veſtro deſiderio ſatis; faciamque vt ſciatis, quid me impulerit, tantopere voce geſtuq; quaſi extra me factum exultare. Atque vtinam Mercurius Perſeuſq;, qui hanc VICTORI BAVARO *quadrigam Iouis* tot opimis ſpoliis doniſq; onuſtam, & me cum *quadrigâ* hîc reliquerunt, ex oculis noſtris tam ſubitò ſe ſe non abſtuliſſent: intelligeretis profectò alterum iſtorum non tantùm Deorum, ſed etiam mearum neceſsitatum luculentum interpretem eſſe. Nunc quando ipſi indictâ cauſsâ hinc auulſi potiùs ſunt, quàm receſſerũt; hoc ipſum voluiſſe videntur, immò voluerũt Muſæ, & reliqua Superorum Curia, quorum vtique nomine atque auctoritate adſum, vt egomet rerum mearum narrator eſſem. Et quando tantam in veſtris auribus mei ſermonis ſitim animaduerto; non

patiar

atiar hæc desideria diutius cruciari. Sentio nu-
uum vestrorum calcaria, lubens volens parebo.
auete linguæ meæ, linguis vestris: ordior.

ERam Lunæ cœlo, immo omnium vagorum siderum domicilijs superior, & ibi attonitus tabam; vbi æternis mundus luminibus accendi-ır, stellantemque Olympum vndique superba Deorum ambitio coronat; nec videbam, quâ viâ, quibusúe præsidijs in patrias remeare terras dare-ur. Manere enim non licebat, quia ijs, quibus bi fas est habitare, alio itinere, aliáq; ratione illuc st conscendendum. Spinoso calle, asperis, ar-uisque rupibus, magnis Sudorum expensis vix andem aliqui enituntur. Ipse Iouis Filius, nisi su-eratis totidem, quot menses sunt, immensis labo-ibus, accessum non habuisset. Per amœnam ego ACTIS SEMITAM, & equo molliter volante, veneram, eq; quidquam omnino inter proficiscendum dif-cultatis passus fuissem, nisi splendido quorun-am Mathematicorum somnio nimium credulus aditor dirupto capite propemodum didactrum oluissem. Vrgebant etiam impensius abitum ieum tergeminæ Parcæ, quæ sibi vitæ meæ pen-ım nondum omne euolutum esse dicebant. Ac-esserunt ad hæc, Musarum & Apollinis iussa, & percilio sum Iouis imperium: cui nisi actutum

CAP. VI. *Poëta discri-men suum narrat.*

B paruis-

paruissem, metuendum erat, ne me itidem à summo præcipitem iaceret, qui priùs vel in suo parente formidandæ rei exemplum dederat. Obuersabaturque pertinaciter menti vetus prouerbium, *Porrò à Ioue atque à fulmine.* Et sanè quamuis nullo vetante, manere tamen id loci non libuisset, vbi cæteris ambrosiâ atque nectare sese pollucibiliter exsatiantibus, mihi præ inediâ moriendum erat. Nulli enim ad illas plusquam Saliares epulas, & diuinam Deorum mensam illotis Letheo flumine manibus accumbere est datum. Tanto igitur malum intolerabilius mihi videbatur, quòd in ipsis beatorum sedibus miser esse cogerer: & ibi fame emori, vbi quæsitissima cœlitum conuiuia æternantur. Neque ipsa loci reuerentia sinebat me immortalitatis regiam rumore mortis infamare. Fluctuabam diu, & immotis astris, verè trepidabam, tremorque indicio erat, me non solùm à terrâ, sed etiam ab omni ope remotissimum esse.

CAP. VII. *Varia auxilia frustra tentata.*

CIrcumtuli tandem oculos curiosiùs, si, qui me terris redderet, inuenire possem. Ad Pegasum redire cogitabam, sed ille & ex ascensu pridiano nondum respirauerat, & fatigationi nuperæ haud mediocre additamentum fecerat recens certamen: & paulo antè nullis adigi artibus poterat, vt me altiùs subueheret, quòd se iam domi suæ esse sensis-

sensisset. Proximum erat, vt Mercurium adirem, & ab eo compositissimis verbis eblandirer talaria, quibus me ipsus deorsum veherem. Sed ille quamuis comem sese mihi exhibuerit salutanti, satisfacere tamen petitioni meæ hoc quidem tempore, non posse respondit; quòd iam iam ipse ex voluntate Iouis vsurus talaribus esset. Veniam proinde sibi darem, pro vrbanitate suâ etiam atque etiam rogauit. Porrò si quid esset ceterarum rerum, quod peterem, non impromtum se fore promisit. Verùm ego præter alas tunc quidem nihil admodum optabam. Adhuc sermonem officijs extenderat Mercurius, cum ecce haud ita procul præterit alter ille Pennipes, etiamnùm à Victoriæ gloriâ, & animo vegetus, & oculo serenus. Non existimabã tam sudâ fronte, nubilam expectari responsionem posse. Rogo itaque & istum; Negat & iste. O infortunium, exclamo, quis te in cœlum admisit, vt me sic exagitares! Nec enim in mentem venerat, meum me infortunium cum mortali isto corpore ipsum apportauisse.

CAP. VIII. *Cygni cælestis Principem laudantis vota & liberalitas.*

VBi nihil in Dijs auxilij est, ad bestias me conuerto: & ominosam Phœbi auem *Coruum* fugiens, ad *Cygnum* de industriâ declino. Cuius vt beneuolentiam mihi adiungerem, laudibus emendam iudicaui. Quis est enim, cuius pertinaciam

laudes non expugnent. & habent etiam ipsa bruta quendam gloriæ sensum. Ita igitur cœpi.

Cygne decus cœli, niueiq; corona Senatus,
Dux Pelagi vastas nobilis inter aquas.
Tu preciosarum pulcherrima gloria vocum,
Threiciam superas Pieriamq; lyram.
Te licet extulerint vates ad sydera, laudem
Nobiliùs cantas, tu tamen ipse, tuam.

Plura dicturus eram, idque cuius gratia cœperam, exertè petiturus; cum quasi cantu ad certamen prouocatus,

Soluerat oblongo iam vocem in carmina collo,
Orsus inauditos cygnus mire modos.
Qualis cum tenui percellitur impete læuæ,
Incinit è summo Barbytos icta iugo.
Sed cum supremo iam gutture chroma sonaret,
Auctori cœpit displicuisse suo.
Scilicet his nihil est dignum VICTORIBVS, *inquit,*
A viuente potest quidquid olore cani.
Dixit, & hoc ipsum damnauit nomine cælum,
Suauiùs vt caneret, non potuisse mori.

Dignissima hæc Cygni suauitate vox, & vel sola cœlum meritura, aquam trepido affudit. Remigrante igitur animo, Per ego te, inquam, per tuum istum diuinum cantum, perque Principem, cuius immortalibus victorijs dulcissimam hanc vocem consecrasti, rogo, ad meos me remitte, & omnis

consilij

consilij inopi salutare plumarum tuarum viaticum ne inuide. Volitabant post tam seriam generosarum auium pugnam, passim per totam cœli aulam mistæ nigris candidissimi alitis plumæ, eas sine mora Cygnus omnes in meâ potestate esse dixit.

CAP. IX. *Futilem esse artem, quam [illegible]*

HIc auidissimus ego mollium exuuiarum collector, vereq; iam inter olores anser, volatilē me factum putabam, antequam fierem. Iam humeris pinnas, micanti flore candicantes, iā alis plumas alternis ordinibus crescentes, iam mihi ipso pernicitatem Pegaso citatiorem promittebam. Quid meam infelicitatem memoro? inanissimo consilio Dædalum mente parturiebam, nam alas faberrimè concinnaturus, postquam mihi omnia promisi, nihil præstiti. O rerum humanarum vota! O alta consilia exitum non inuentura! Quoties volatum remigio plumæ tentaui, toties quassatis vtrinque fortissimo nisu brachijs, post longum conatus laborem, in eodem, vbi cœperam, loco me reperi; nec hilum profeci, nisi quod laxatis inter agitandum alis excussas identidem è cera plumas seminarem, totoque cœli campo dispergerem; nunquam in messem germinaturas. Quid dicam? omnia mouendo, nihil promoui: quia inferiore sarcinosum corpus parte, librationem omnem

pessumdedit, pondere crura identidem retrahente. Et iam pænè optaui pedes non habere, vt volatum haberem. Sed nimirum immemor eram, hominem me factum esse, non auem; & in eiuscemodi experimentis plures Icaros reperiri, quàm Dædalos; qui damnum periculumque faciunt vnâ, ligneâ Archytæ columbâ magis lignei; & antè ad Archytæ platagen, quàm ad columbam peruēturi; aut ad successum Dędali, qui vacuū aërem primus & vltimus est expertus *Pennis non homini datis.* Omnibus itaq; destitutus animus adiumentis inusitato saltu in præcipitium abire cœpit. Et, ô si, inquam, nunc Iuppiter catenam in terras demitteret! credere illi me, measque ambas manus, perq; eam tenaciter delabi non dubitarem. Cumque extremis animum lamentationibus affligerem, vltima vox fuit, O si quis me è tā atroci æstuantis animi tempestate ereptum iret, quantis sibi infelicem beneficiorum vinculis obstringeret! Vnico consilij salutaris verbulo quicunque estis, seu mortales, seu immortales æternum in memoriâ meâ vobis monumentum erigite!

Arist. 8. Polit. cap. 5. Plutarch. Sympos. l. 7. Horat. lib. 1. Od. 3.

CAP. X.

Imperatorū atq; Boicum nomen etiam superis venerandum.

SÆpè quâ viâ non speres, auxiliū aduenit. Nam ego inter immortales constitutus à mortali opem accepi; & quem lacertosus Hercules non adiuuit, BOICVS VICTOR in spem certam erexit. Subiit

biit enim ea mentem cogitatio. Quid si Musas, aut earum Præceptorem Phœbum, aut ipsum Iouem per noui ELECTORIS nomen rogo? Eiúsne illi omnes gratiâ, tantâ frequentiâ, huc confluxerint, spectacula celebrârint, munera congesserint; & nunc eiusdem gratiâ me non seruent? Hoc demum facto experiar, quàm seriò luserint, si nomen eius pondus habere sinent, cui luserunt. Ad hanc cogitationem recreatus sum animi, subitoque omnis spes reuixit. Calculum igitur reduco. Nec mora. Adeo Deorum Senatum, & in verba audentior, ne præfatus quidem Diuos, consilium iam non peto, sed postulo. Ergo ego, inquam, tantorum gaudiorum quamuis tardus baiulus, pro mercede, calamitatê à Diis immortalib. reporto? Ideóne vos beare volui, vt ego miserabilis fierem? at nō hoc PRINCEPS meus, non istud BAVARICA domus, non sanctissimus CÆSAR FERDINANDVS de Superis meruerunt. Hîc quantus repentè, ex quantulo sum factus! nam ad nomen istud in nouum subitò Iouem mutatus, totum Olympum tremefeci. Assurgunt mihi illicò omnes, & gratiis amplissimis habitis, Mercurio, Perseoque legatione functuris tertium addunt. Atque vt mihi honorem tantò largiorem tribuerent, iussis comitibus meis præcedere dicam, an præuolare? mihíque totum legationis negotium tanquā in terris diutiùs mansuro relinquere, in hunc me

CVRRVM cum gazis ſuis, impoſuerunt. Ibi ergo primùm quaſi è profundâ caligine egreſſus pleniſsimâ luce agnoſcere cœpi, quàm ſerenum ſæpe poſt atras curarum nebulas cœlum ſequatur: & ideò aduerſa mortalibus immitti, vt ſecunda deinceps magis perſentiſcant. Ibi etiam intelligere planiùs potui beneficia, quæ à vix inaugurato ELECTORE è terris ad vſque ſupremum cœlorum verticem ad me aſcenderunt: dixique non iam de cœlo in terras, ſed à terris in cœlum mihi miſſum Soſpitatorem.

CAP. XI. *Poëta è Comitijs apud Superos habitis deſcenſus.*

HAnc igitur *Honoris & opum quadrigam* vbi cōſcendi, & inter precioſam ſupellectilem diſpar merx aſſedi, vt moram in ſalutandis Diuis redimerem, tribus verbis rem omnem expediui.

Ad terras redeo, vos Aſtra poliq; valete:
Sunt BOIAE *in terris aſtra Poluſq; mihi.*

Vehebamur à Iouialibus caballis celerrimè, & Orbem poſt Orbem ſecuri (quæ enim via Mercurio duce ſit intuta?) relinquebamus, ipsâ iam, quà cōpluſcularum ſtellarum lux candentem circum efficit, cœli duritie in ingentem portam ſponte bipatentibus valuis diſcedente. Iamque decreſcere ſtellarum incendia, & in focos primùm luculentos, paullò poſt in minores ignes, & mox etiam in minutas quaſdam ſcintillas ſopiri videbãtur: cum

Mercu-

Mercurius interea Perseusque nescio quid de CAESARE ac PRINCIPE arcanarum rerum inter se mussitando tractârunt, quod à me audiri nollent. Ego in carpento sessitans, quod læti otiosique facere solent, cantillare cœpi.

Jam Fortuna suos me censuit inter alumnos,
Cum potui ætheriis ire per astra rotis:
Et spectare tuos, fortissime DVCTOR, honores:
O mihi BOIVGENVM nomina magna Ducum!
Non iuxta rutilum mallem splendere Bootem,
Nec si det radios Cassiopea suos.
Quàm fortunato hoc transmittere sidera CVRRV;
Atque immortali desuper axe vehi.
Certè ego si cupido mihi rheda negata fuisset,
Ardua per cœli pronus iturus eram.

TEstudines sunt equi nostri omnes, si cum cœlestibus caballis comparentur. Nihil est supra citas Iouis quadrigas, equis albis iunctas. Vix me stellatam arcem deseruisse animaduerti, cum iam de cœlo in aliud cœlum translatum sensi. Iam enim eram in Academiâ istâ BAVARICA; vbi pro Ioue & Marte, MAXIMILIANVM; pro Iunone & Pallade ELISABETHAM nominari audiebam; & ne quid choro deesset, etiam Herculis exuuias, ereptumque Draconi suum VELLVS ac POMVM, Victoriamq; PRINCIPIS vertici cum diademate ELECTORALI superuolitantem

CAP. XII. *Poëtam academiam aduentus.*

C tantem

tantem inueni; quo aspectu paulo antè in memoriam reductus CAESARIS FERDINANDI; continere me non potui, quin statim initio mei ad vos sermonis ad tam alta Dei consilia stupefactus, magnis illis exclamationibus IMPERATOREM ELECTOREMQVE salutarem. Illatum quoque iam erat totum cum curru hoc onus, quod coram spectatis. Ego cum Mercurio Perseoque (si hos duos æquè ac ego aspectabiles habuistis) intromissus, tacitus expectabam, illisq; etiam contra Iouis mandatum dicendi locum relinquebam, quibus ab ore plus quàm Cecropium orationis mel flueret, & nectar. Quis enim, Mercurio audiente, diceret? verba igitur diserta, & omnem facundiam mihi, comitum meorum maiestas præsentiaque excusserunt. Nec silentium illud graue fuit, cum facilè tædium omne iucundissimi spectaculi scena expectoraret. Videbam enim coram in tabulâ VICTOREM TRIVMPHANTEM, cuius aspectu CVRRVS ipse hilaratus sub tã multo donariorũ onere gemitus edere cessauit. Immò tanto splendore, quasi fulgure aliquo pœnè exter- natus, & impos animi, iterum sæpiúsq; siderei vultus intuebar pulchritudinẽ. Videbã heroici capitis lauro coronatam cæsariem ambrosiâ temulentam, supráque volitantem, vt antè dixi, Palmatem Deam PILEI decus manu alterâ sustinentem, alterâ virenti ramo vmbras iacientem; & militares ani-

mos

mos ad præclara audenda blãdiſsimè allicientem. Vt mirari ampliùs non libuerit, quamobrem Ducibus militibuſque ſuaue ſit in tale archetypon effictim inhiare; trahitur enim vel à mutâ imagine ſpiritus quidam Martius: atq; in huius vnius laude omnes boni Duces militeſq; quę faciunt, recognoſcunt: mali quæ facere deberent. Quare non abs re fuit primam olim Legionis cohortem, quæ reliquas & numero militum & dignitate præcederet, præter *Aquilam* in Romano exercitu preportauiſſe *imagines Imperatorum: basq; imagines tanquam diuina & præſentia ſigna ſingulos* veneratos eſſe: quippe cum nullis tubis generoſi animi ad fortiter præliandum clariùs, quàm imitatione animentur. Hæc ego ſatis curioſus contemplabar, & miſtis in animo meo diuerſis rerum ſimulachris, ipſa quoque in ſermone meo verba miſcebantur in ambages. Quid autem mirum, abreptum me eſſe imaginis admiratione? ipſi

Modeſt. libel. de Vocab. Rei milit. ad Tacit. Auguſtũ.

CAP. XIII. *Dona tertij à ſuperis miſſi, quod eſt ſtatua Iouis, interpretatio.*

Astiterant Superi picturæ; & Perſeus inquit,
Quàm iubet optatas Iuppiter ire vias!
Non iter Elyſios foret inter gratius hortos,
Non ad Nectareas tam via grata dapes.
Vicimus Æthiopum populos: Victoria maior
Eſt mihi nunc BOIVM *poſſe videre* DVCEM.
Duximus Andromeden: magnus fuit ille triumphus;
Eſſe hic legatum gloria maior erit.

Ipsaq; vilescent redeuntibus astra; secundum
In terris postquam vidimus esse Iouem.

Quid ni Iouem? Gigantes cœlum Diuorumque sedem oppugnantes tam potenter fulminantem? Atque hæc nisi fallor mens est statuæ Iouis, intra Neptuni & P. Seruilij imagines, in medio CVRRVS collocatæ & cum trisulco telo lauream militarem tenentis: nam apud Tertullianum refert *Iouem Diodorus post deuictos Titanas, hoc munere à cæteris honoratum:* cui proinde statuæ rectè subiectus legitur iste titulus, iam aliàs VICTORI BOICO debitus.

Tertul. de cor. Diodor. rer. antiquar. lib. 3. c. 5.

QVID MIRARE DVCEM SI TARDE IRASCITVR HOSTI?
TARDA QVIDEM DVCIS EST, EST TAMEN IRA IOVIS.

CAP. XIV. *Cur, & quid, & quo ordine Poëta quæ sequuntur, sit narraturus.*

HÆc cum Mercurio Perseus familiariter garriuit, quæ vos cæteri, qui Iouiale plaustrum cingitis, audire non potuistis, nisi me interprete. Nam cum Superi loquuntur, nemo eos intelligit, nisi à quo ipsi intelligi volunt. Et illi quidem plura non sunt locuti. Sed cum termino sermonis Mercurius pennis in altum se proripuit. Neque segnior Perseus, qui & ipse prorsus ex oculis meis auolauit. Fulmine ocyùs eos fugisse oportet, quos, dum respexi, amisi. Abierunt ergo illi CVRRV isto, quem omnigenâ donorum varietate Superi onerauerunt, & me hic apud vos relicto. Ac profectò præter ea, quæ oculis exponuntur, plurima insu-

per

per digna memoratu in hoc latent CVRRV; sed inprimis narrandum est (quod vos dudum video desideraſſe) quo modo ad ſidera vſque implumis ego peruenerim: tum quid in viâ, quid in cœlo nouarum rerum viderim aut audiuerim: Ad extremum, quænam & quomodo, & cur hæc omnia tandem in CVRRVM congeſta ſint? Ita vultis, nec piget viam veſtrâ gratiâ recalcare.

GLORIAE BELLICAE

LIBER II.

DE GLORIA AB HOSTIBVS.

QVintus dies ante Martias Kalendas Olympo inſtabat, & vegetos ſonipedes atque alioquin ſponte ſuâ feruidos properantéſq; Sol etiam inſuper ſcuticæ habenis impenſiùs admonuerat, vt nouum IMPERII ELECTOREM citiùs videre poſſet; cùm optimo ſanè omine CAESAR, BAVARIAE DVCEM in magna ſummorum Germaniæ procerũ coronâ, IMPERII SEPTEMVIRVM eſſe iuſsit. Solenni ritu ea res peragebatur. Sed & Fama morem ſuum ſollennem tenuit. Curritur vndique; exarantur epiſtolæ; feſtinant nuncij; neque noua præſertim amantium & vel Ratiſponæ Athenizantium quiſquam alibi locorum amicũ habuit, cui eâ narratio-

CAPVT I. Communis, ob inaugurationem nouã, gratulatio.

ne vel gaudium vel dolorem afferre non gestiret. Maius tamen gaudium extitit, quàm dolor: cum nonnulli Acatholici, paulò priùs hostes, aut certè hostium fautores, quamuis mente vulnerati, verbis tamen & ipsi lætitiam præ se ferrent. *Nec fallebat Antipatrum,* dixit Curtius (MAXIMILIANVM veriùs dixisset) *dissentire ab animis gratulantium vultus. Sed bellum finire*, non nutrire *cupienti, opus erat* tantisper dissimulare simulantes. Et tanta fuit multitudo verè atque ex animo gratulantium, vt cantus atque in lætitiam fucata paucarum de plebe *Sirenularum* frons facilè insuper haberi possent. *Tubis* clãgentibus, *fistulæ* non sunt in magnâ æstimatione: est tamẽ aliquid, inter *tubas* etiam à *fistulis* celebrari. Cum *lusciniæ* accinunt, nemo attendit ad argutias *cicadarum*: non tamen est tacendum, in laudẽ BAVARICA neque *cicadas* tacuisse. Denique quo modo *cygni* possint esse ociosi, quando *corui* fiunt officiosi. Nempe illi, qui nihil nisi potentiam adorant, & fauoris amorisque verba in Fortunæ arbitrio collocant.

Curt. lib. 6.

Fallaces curis semper torquentur amaris,
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet.
Lubrica dum trepido mendacia plasmate fingit,
Consumens totum tempus in arte mali.
At simplex animus commenti & liber iniqui,
Nil amat iniustum, nil gerit implacidum.

Diuus Prosper Aquitanicus lib. Epigram. de labore fingentiũ mendacia.

Quem

Quem ſemper amauit, ſemper amat qui conſtans eſt. Poterat hic amor, ſi ante hac latuiſſet, vel è tam ſeriâ Principum, Regum, Pontificum gratulatione palàm deprehendi. Mittuntur vndique oratores, qui tam lætis auſpiciis fauſta apprecentur. Neque includitur vno regno lætitia; omnes prouinciæ, omnis mundus gaudio impletur. Nulla vrbs, nulla domus, nullus angulus eſt, qui rumore nouæ gratulationis vacet. Quid aliud facere tum potuiſtis PATRES ACADEMICI? quàm vt & ipſi PRINCIPI veſtro lætiſsimè acclamaretis? Itaque mihi negotium dediſtis, licet homini minimè diſerto. Credo vt diſertum ex me faceretis. Neque enim tanta rerum copia quenquam ſinit eſſe indiſertum. Vt ferè magni torrentes, cum rapidiſsimi ſunt, etiam illum qui natare non didicit, ſecum vehunt. Facilè eſt impellere amantem. Paruiſſem veſtro decreto, ſi animus tam idoneus, quàm promptus fuiſſet: vera tamen & magna dicturo, minus opus erat cōptè & magnificè dicere: cum etiam ſub cortice nō formoſo ſuauis medulla fructuum ſit grata: & natiua cuiuſq; venuſtas, non indigeat à ceruſsâ commendari. Sic vbi auidum quidem, verecundantem tamen nonnihil animum ad iuſſa acui; do me illicò in pedes: & quia cupienti non ſufficiebant bini, Poëticos quoq; cœpi quærere, vt pluribus velociùs currerem.

Quò

CAP. II. *Poeta somnia.*

QVò currerem nisi ad te Helicon? Ibi Musarum sedes, ibi carminũ patria, ibi Poëtici caloris fons largitorq; Apollo. Ibã igitur, immo currebam potiùs, vernante iam cœlo, in campos proximasque siluas. Ibi herbescente terrâ, nouoque virore pubescentibus ramis, & Danubio hinc strepente leni aquarum susurro; inde allicientibus auicularum choris, fessus iam ambulando in gramen me abieci, anxius de Helicone reperiendo. Nimis enim â me procul aberat. Quàm diuersa est hominum natura? curæ alios dormire non sinunt, alios in profundissimum somnum componunt. Ita euênit mihi. Et nescio adhúcne somnians loquar, án vigilans? Illud profectò, quod narraturus sum, non iurauerim, me per somnium vidisse. Incidi tamen in somnum & somnium; atque ita omnium memini, vt si vigilans spectauissem. Immo memini me sæpius etiam metuisse, ne somniarem. Neque CVRRVS iste, quem vobis attuli, aut qui me potiùs vobis attulit, ambigere patitur, nõ omnia somnium esse potuisse. Vos seu somnium, seu veritatem accipite.

Vix sopor oculos operuerat, & continuatâ meditatione animus curas suas recoquebat. Esse me iam ad radicem Heliconis rebar. Conscendo mõtem, circumfero oculos, indago sedulus omnia. Nullæ Musæ, nulla carmina, nullus Apollo. Su-

spicio

ſpicio fuit, militum petulantiâ eſſe fugatos. Neque enim Muſarum caſtra, caſtris Duellonæ ſunt amica. Et plerunque etiam hoc pacto *inter arma ſilent leges.* Nam vitioſiſsimi quique vt Plinius dixit, *inimicas vitijs artes, non odio magis, quàm reuerentiâ relegant.* Et teſte Tacito, *pellunt ſapientiæ profeſſores, & omnes bonas artes in exilium agunt, immò monumenta clariſſimorum ingeniorum in foro ac comitio vrunt;* ne habeant vnde moneantur. His talibus rationibus mihi perſuaſi pulſas eſſe ſede ſua Muſas, & in aliam tutiorem commigraſſe. Me ipſum igitur allocutus, Quid ſi, inquam, hoc anni tempore in Parnaſſo potius vitam degunt Muſæ? Nec diutius in Helicone morandum exiſtimaui. Quare amœniſſimę ſedis maieſtatē debito cultu veneratus, ibam quà ibam, & non quà eundū erat. Ita ſine duce euntibus contingit, etſi ſummis, vt in prouerbio eſt, nitantur velis, tamen errorem ex errore nectunt; quia primus error eſt, neminem interrogare.

Plin. Paneg.
Tacit. Agric.

CAP. III.

Monſtra quædam, quibus nõnulli ex hoſtibus pares, magnũ Chriſtianè bellantiũ parti ſplẽdorem addũt.

MEns itaque tendebat ad Parnaſſum, pes ad Tęnarum. Vbi *perrupit Acheronta Herculeus labor,* aiunt enim per eos terræ meatus Herculem ab inferis olim redeuntem, vinctum Cerberum ad ſuperos traxiſſe. Sunt ſcilicet eo loco Orci fauces. Ponè ſtabant, vel ſuſpenſę pendebant verius fruticantes iam vetuſtiſsimi cuiuſdam muri partes,

mox cumulos, vt apparebat, ruderum ſubtus iacentium auctur æ. Qui iuxta habitabant, affirmauerunt templum quondam fuiſſe Neptuni præſidijs ædificatum. Nunc præter veſtigia & ſilueſcentia marmora nihil apparet, niſi quòd dracones aliaque inuſitatiora ſubinde monſtra ac lemures inibi conſpiciantur, credo rectà ex Auerno erumpentes. Cuius rei & me oculatum teſtem habetis. Nam ſub oculis iſtis feri vultus variaque emerſerunt portenta: & vt tenebræ ludibrio fauerent, dies in noctem ibat, crepuſculo ſe ſe intendente.

Primum erat illi ſimile, quod Proteū referebat, & Dionyſio ad inferos penetranti apparuiſſe Ariſtophanes memorat. Etenim *erat aliquando quidem bos, nunc autem mulus, aliquando iterum mulier pulcherrima quidem, iam canis, Empuſa igitur* poterat vocari, nam interim vno ambulabat; interim altero *æreo*, altero *aſinino*, pede vtebatur; ceterùm vt procul exiſtentes ſemper terrebat, ita propiùs animoſiuſq; accedētes ſemper fugiebat. Quare aſpecto hoc prodigio, in mentem mihi venit alter ille Vertumnus, in omnes ſe ſe induere formas ingenioſus. *Primus in armis, vltimus in prælio. Pede magis, quàm manu ſtrenuus, niſi cum prædam quærit. Æreus illi pes eſt in fugâ, aſininus in pugnâ. Cum timetur, latrat vt canis; cum timet, blanditur, vt mulier.* Si quod palato arridet, odoratur, cum coruis crocitat, aut etiam in lupum

Ariſtoph. in Ranis.

Cæl. Rhodi. lib. 6. c. 28.

vlu-

vlulat. Denique *mulo* aut ſtupido *boui* ſimilis eſt, qui cauſæ ſuæ diffidens, quia è cœlo auxilium deſperat, Erebum inuocat. Nihil enim tam ab homine alienum, quàm inde amuleta ſalutemque ſperare, vbi nihil niſi lerna quædam malorum ſtabulatur. Quaſi iſti, velut Perſarum immortales milites, non mille alijs modis perijſſent, qui Theſſalam artem contra plumbeas glandes didicerunt! Beatos igitur vereque fortes ac ſapientes illos Duces militeſque vocaui, qui qualem belli cauſam, tales & artes habuerunt; nulli enim tutiùs belligerant, quàm qui hinc propriâ virtute, inde diuino fauore loricantur. Neque periculoſiùs vlli prælium ineunt, quàm qui ſub *Orci ſe galeâ latere* arbitrantur: ob hoc ipſum lachrymis proſequendi, quòd ſibi de immortalitate blandientes, quotidie tamen turmatim moriantur. Quam rem in Achille illo ſuo Poëtæ iam dudum docuerunt, quem fabulæ aiunt, adhuc infantem à matre (vt eſt plerumq; vſque ad ſuperſtitionem ſolicitum hoc genus) Stygijs vndis immerſum toto corpore vulneris incapacē euaſiſſe, præterquam in eâ pedis parte, quâ comprehenſus à matre fuerat, dum fatalibus aquis ablueretur. Et inuenit vel hanc ipſam pedis partem effeminatus Paris, per quam mortem tanto Heroi immitteret. Quid igitur Stygiâ ope nitimini, mortales, quâ nec corpus ſeruatur,

tur, & anima occiditur, ne manus aut pes vulneretur.

CAP. IV.

Caluiniana hæresis descriptio.

VErùm necesse est iisdem auctoribus bellum perpetuare, quibus cœptum erat. Ne aũt nescirem, qui funesti belli auctores fuissent, idem ille Proteus instructam multifidâ face,

Virgil. lib. 7. Aeneid.

Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisq; ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræq; insidiæq;, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum: tot se se vertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Statim agnoui Caluinianam eam hæresin esse, sanguinis sitientem, & sceptris insidiãtem, in Galliis ante septuaginta años exortã, exin nulli regno aut IMPERIO tolerabilem. Quid enim ab eâ fraudis abest? *quæue humana superant, aut diuina impolluta sunt?* Cum Tullio loquar: *Nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quẽ discordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto;* quando & ipse id vnum allaborat, vt PRINCIPES, CAESARES, bonosque omnes, *ex numero hominum* eiiciat, *ex finibus humanæ naturæ* exterminet. Gratulor igitur vobis MAGNI PRINCIPES: tanto iustior vestra caussa est, quanto hostes

Sallust. orat. Lepidi. Cic. Philip. 13.

ftes veftri iniquiores. Contra iuftos iniuftum poterat bellum videri. Iam vos laudat, quifquis eos verbo vituperat, quos vos ferro caftigauiftis.

Eruperat vnà cùm euocatâ Furiâ dirifsimus Alaftor, & ipfe vnâ manu lampadem vibrans, alterâ Geryonem fecùm catenâ circumdatum trahēs. Monftrum id tale erat, *vt tria capita in vno corpore vnirentur.* Ponè currebant nafuti Satyri, obfcuræ Sphinges, conchicines Tritones, Faunique & Cētauri, & Pygmæi, & Gigantes, quibus aliquid vel de homine deeft, vel fupereft. Ac pænè præ Gigantibus, fpithamæi illi Pygmæi, qui ternos dodrantes non excedebant, confpicuos fe fecerunt, arietum caprarumqúe dorfis infidentes, & fagittis tanquam contra grues armati. Hi omnes tædis laternifqúe pellucentibus noctem illuminantes, velut facrificarent, choreâ circa Furiam inftitutâ, fic eandem compellauerunt. Plin. lib. 7. c. 2.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres, Virg. loc. cit.
Atq; odiis verfare domos: tu verbera tectis,
Funereasq; inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fæcundum concute pectus:
Difijce compofitam pacem, fere crimina belli:
Arma velit pofcatq; fimul, rapiatq; IVVENTVS.

CAP. V. Cauffæ bellorum in Germaniâ.

HAc folâ viâ ad alieni regni coronam itur. Hoc caput, hic pes rei. Vis & ius iuxta habenda.

Quæ enim alia res ciuiles furores peperit, quàm nimia felicitas? & dissidium religionis? Satis diu ærarium sensit luxum nostrum. Alieni sumptus

Flor. 3. cap. 12. quærendi sunt, vbi proprij deficiunt. *Opes atq; diuitiæ afflixère seculi mores, mersamq; vitiis suis, quasi sentinâ Rempublicam pessum dedère.* Nam *magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentiâ paritura mox egestatem?* Itaque non opes, non obsequium, non delitiæ, sed sola instrumenta vitiorum nobis manent, quibus ad diuitias redea-

Tacit. 1. Hist. mus. Ipsa religio nostra suadet *miscere cuncta, & priuata vulnera, reipublicæ malis operire.* Quid religionem nominamus, quæ noua quædã res est? ipsum naturæ ingenium, per tot iam ætates demonstratum iubet ac impellit hæc facere, veluti fato quo-

Vell. 2. dam adactos. *Quippe ita se res habet, vt publicâ ruina quisque malit, quàm sua proteri, & idem passurus, minùs conspici.* Hæc natura suggerit; quibus quomodo resistat, qui est arbitrij libertate destitutus? Nec iam fata tantùm trahunt, aut cogunt, sed ipse Deus. Ille igitur peccat, si quid in hac re peccatur. Agite no-

Tacit. XI. Annal. ui Annibales, sic *priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habent.* Sic Pœno gloria crescit, sic potestatem extendit.

Iuuen. Sat. 10

Additur imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit, opponit natura Alpemq; niuemq;

Di-

Diduxit scopulos & montem rupit aceto.

Iam tenet Italiam, tamen vltima pergere tendit.

Magnum enim os est Ambitionis, spe totum terrarum orbem potest deuorare. Eâ qui armantur, quietis sunt impatientes, vnde nec alios sinunt quiescere. Vsitatissimum ergo illis est, *auferre, trucidare, rapere falsis nominibus Imperium*; viros immerentes per fenestram ex alto præcipitare; *atque vbi solitudinem fecerint, pacem appellant.* Satis honestus iste est titulus; si regna se dicant defendere, quæ volunt rapere; aut si religionem se profiteantur reformare, quam se se funditus euersuros iurauerunt. Anno si meministi M. D. LXVI. plenis Comitiis de nobis è Germaniâ eliminandis agebatur. Is nunc annus est, ea tempora, vt nos de illis eliminandis agamus. Meliùs est imperare quàm parere. Si religio displicet, vel illorum nobis, vel nostra illis; saltem illorum ditionem non contemnamus.

Plato lib. 7. de legibus.

Tacit. Agric.

HIs dictis Tartarea anus denuò inflammata *cæruleos anguium crines* in terribiles iras erexit,

Sæuit amor ferri & scelerata insania belli.

Ergo *viperinam cunctis animam inspirans* noua arma parauerat. Quin & tympanum (face alij traditâ) vtraque manu quatiens alia super alia Orco spectra exciuit. Inter quæ nonnulla, nisi me oculi fefel-

CAP. VI. *Hostium auxilia & minacæ.*

fefellerunt, ijs non absimilia, qui adhuc in vitâ apud nos superstites, post eieratas factiones etiam sacramento se obstrinxerunt, nihil ampliùs contra Imperium molituros: itemque nescio quo nomine appellandus *Aretij puerum natum vnimanum* referens. Vt prorsus existimârum illis contigisse, quod de Hermotini Clazomenij, de Aristæi, deque Cretensis Epimenidis animâ alicubi legeram, eam solitam fuisse è corpore velut è vaginâ excedere cum vellet; & quam diu luberet extra manere, quasi foris promisisset ad Proserpinæ cœnam; rursusq; reuerti quando placuisset.

Liu. lib. 5. Plin. lib. 7. cap. 52. Herod. in 4. Hesych. d. l. περὶ σοφῶν, in Epimen.

Hæ igitur omnes vmbræ, quasi in tuto loco cõstitutę, ita animũ suum nudauère occultâ cicatrice adhuc æstuante. Sic Gellio teste, *vulgò & scriptum, & creditum est, folia arborum* BRVMALI *& solstitiali die conuerti, & quæ pars eorum fuerat inferior, atque occultatior, eam suprà fieri, atque exponi ad oculos & ad solem.* Multi enim eâ indole sunt polypi, vt omnium se partibus attemperare studeant, & qui apud candidos videbantur candidissimi, ijs apud nigros nihil est nigrius. Hi itaque etiam inter lupos quàm maximè vlulabant.

A. Gell. lib. 9. cap. 7.

Terruit me ea rerum facies, & penè extra me posuit, cũ præsertim barbaro stridore & spumas toto ore egerentes occursarent, factoq; agmine in me infesti oẽs irruere & miserum Penthei aut Absyrti

instar

instar in mille partes discerpere velle viderentur. Nec tam me vicinæ angebat mortis metus, quàm quòd antè ex humanis abeundum esset, quàm totius tragœdiæ epilogum spectauissem. Atque vtinam, cogitabam, Gennadius aliquis Constantinopolitanus Patriarches coram adesset: cui simili terriculamento Stygij diuersitores cum minis sese obtulerunt visendos, sed voce Gennadij plus quàm humanâ castigata bellua dixit: *Te viuente silebo, sed mortuo, perdam Ecclesiam:* quæ verba & Gennadium ad impensiùs pro Ecclesiâ precandum excitauerunt; & à mendaci prolata, bono incolumitatis omini fuerunt.

Theodor. lib. 2. Epit. Eccles. hist.

Iam extentis manibus me abreptum aderat densus ferocissimorum gigantum globus à Geryone & Proteo immissus, cùm ego præ felici formidine aliarum rerum omnium oblitus, in hæc superiùs à me ex parte perstricta verba, cogitationes meas effudi: QVANDO MIHI MORIENDVM EST, SALTEM TV VIVE ET VALE, MAXIMILIANE ELECTOR, ET QVI SEMPER VICISTI, SEMPER VINCE: VT CVIVS IVSTIOR BELLANDI CAVSSA, MELIOR MANEAT VINCENDI FORTVNA.

Ad vocem hanc protinus (velut feræ bestiæ ad magnum tonitru) portenta illa Auerni omnia omnesque ludiones miserandis clamoribus aduersus DVCEM dequesti, abiectis facibus diffugerunt. Et quod admirationis plus habet, excelsi illi Principum Geniorum gigantes, qui me tantâ auctori-

 tate

tate inuasuri erant, ac si in tres dirupti partes dissilijssent, ita in pumilos repentè ludibriaq; naturæ, inter diffugiendum sunt multiplicati. Mox postquam abiectas faces (quasi cæterorum mancipia) collegerunt, atque ardentes adhuc per certa campi interualla siderum ritu lucentes disposuerunt, nubium instar extenuati, penitùs & ipsi euanuerunt, vel in latibula sua regreßi, vel in ventos suos difflati. Quod insperatum spectaculum ex ingenti terrore, in ingentem extemplo me cachinnum transtulit. Sed & animum de perturbatione in quietem reposuit, nihil iam metuentem gigantes tam citò de grandibus minis vel vnico nomine audito, in nihilum abeuntes. Itaq; & cantare denuò placuit. Sic autem cantaui.

Vix tollit placidum Neptunus ab æquore vultum,
Heus age, ait, ventos Æole tolle tuos.
Et mandata facit, quamuis inuitus: aguntur
In vincla, & veteres tristia Flabra specus.
Sic vbi turbato BAVARVS *caput extulit orbe;*
Desine, ait, turbas, turba scelesta, tuas.
Nec mora: longinquas fugit Æolus exul ad oras:
Hinc HYEMEM *&* VENTOS *sperat habere nouos.*

CAP. VII. *Armis viribusq; instructissimi hostes, ad potentem Principis prudentiam timore obstupescũt, & supplices fiunt.*

CEcini. ignar' quòd mihi ipsi vates essem. Coortus est enim subito turbine *ventus*, & de vẽto procella, & de procellâ nou' in animo meo timor. Cui non modicum incrementum accessit, postquam

quam vidi inusitatâ nube Neptuni non solùm rudera, sed etiam littora totumque circumquaque locũ operiri; vt ne fugæ quidem spes remaneret: tædis quoque & à vento vexatis, & à nube sopitis lucem negantibus. Verùm non diu ea perstitit caligo, vnà cum Aquilone paulò post iterum subsedit; reluxitque, vt antè, tædarum claritudo. Subductâ verò caligine, eadem, quæ priùs, longeque iam plura ac terribiliora simulachra à mari vsq; ad Neptuni templum in prolixissimo arcu circumsteterunt, nempe compositâ cornutaque acie me aggressura. Agmen ducebant *tres Furiæ*, nouis insuper facibus, colubrisque armatæ. Cogitabam iam de PRINCIPE meo iterum vocando, cùm subitò ex alterâ parte subeunt *tres Charites* Persei Mineruæque & BOICVM manu vmbonem gestantes; vtique eum in exitium ter execrandis sororibus obuersuræ. Contra ijt Megæra: sed dum reuulsum vnum de crinibus serpentem iaculari parat, & ipsa & serpens in durissimum marmor vertitur, atque in hoc ipso iaculantis gestu marmoreum signum hæsit. Succursura erat mammeata Alecto, dumque tædam vibrat altissimè sublato brachio

Dextera diriguit, nec citrà mota, nec vltra est. Ouid.5.Metam.

Tisiphone quoque grandibus oculis, & exporrectâ linguâ Apulam superans canem dum antè verba, quàm tela iacit, oborto concreuit saxo:

— Pars vltima vocis
In medio suppressa sono est, adapertaq́ velle
Ora loqui credas, nec sunt ea peruia verbis.

Obstupescunt ad hæc miracula Satyrisci & Fauni & cum his quibus maior potestas Tritones, Panésque, ac tricorpor Geryon: dumque oculis in Gorgonem coniectis vim clypei insolitam mirantur, eandem naturam trahunt, inque lapideo ore vultus admirantium perseuerat. Stant immota longo ordine vasta corpora rupem induta, atque alia super alia conspectis tantorum insignibus clypeorum celerrimè saxescunt.

Ex Ouid. ibid. parodia.

Pœnitet INIVSTI *tunc deniq́* PROTEA BELLI.
Sed quid agat? simulachra videt diuersa figuris,
Agnoscitq́ suos: & nomine quemque vocatum
Poscit opem: credensq́ parum, sibi proxima tangit
Corpora: marmor erant: auertitur atq́ ita supplex
Confessasq́ manus, obliquaq́ brachia tendens,
Vincitis, ô charites, remouete hæc scuta, DVCISQ́
Saxificos vultus, maiestatemq́ seueram,
Tollite, ait, Nam nos odium, REGNIQ́ *cupido*
Compulit ad BELLVM: *contra ius mouimus arma.*
Vobis caussa fauet, nos tempora sola iuuabant.
Non cessisse piget: nihil ô Charis optima, præter
Hanc animam concede mihi, tua cetera sunto.
Talia dicenti, nec eam, quam voce rogabat,
Respicere audenti, quod, ait, timidissime Proteu

Et

Et possum tribuisse, & magnum est munus inerti:
Pone metum, tribuam: nullo violabere ferro:
Quin etiam mansura dabo monumenta per æuum:
Inque domo soceri semper spectabere vestri:
Vt tua se sponsi soletur imagine coniux.
Dixit, & in partem Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Proteus obuerterat ore.
Tunc quoq; conanti sua flectere lumina, ceruix
Diriguit, saxoq; oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultusque in marmore supplex,
Submissæque manus, faciesque obnoxia mansit.

CAP. VIII. *Trophæa, sacraque monumenta ob hostes debellatos, & in terrorem.*

DIi boni quãta hæc Metamorphosis! exclamo. quale theatrum? *Quis deorum grauißimi sceleris vltor, illam dexteram, quæ in* Germaniæ vastationem *exarserat, tanto torpore illigauit? vt se tremebunda* MAXIMILIANI *genib. submitteret, ne publici parricidij, quas merebatur pœnas, arbitrio pij Victoris exolueret?* Sed satis pœnarũ est, supplices fecisse, qui ipsum sibi CÆSAREM subiicere cogitauerant. Nempe SERENISSIME ELECTOR:

QVIA HOSTES TVI DARII ESSE VOLVERVNT,
TV ALEXANDER FVISTI.

Arripuit Charitum vna hoc ex ore meo dictũ, & Geryoni in saxeũ colossum mutato subscripsit: Sicut & illud Proteo:

Hæc tibi restabat demum forma vltima Proteu,
Cui tam dura fuit frons, lapis vt fieres.

Supererat Mænadum aliqua, quæ nescio vnde petulanti audaciâ prosiliens, eradere subscriptiones has conabatur, sed laboris mercedem, ante laborem præcepit & ipsa quoque in cautem missa. Non potui non & in illam dictum iacere. Hoc igitur Epitaphium recitaui.

Mollis in aspectâ se perdidit ægide Mænas,
Et formam agnatam transtulit in tabulam.
Omnem illi saxum maculam leuitatis ademit,
Feminaq; insuetâ de grauitate stupet.
Si nunc tot lapides fierent, quot Mænades errant,
Non esset toto lignea in orbe domus.

Apposuerunt Charites hoc quoque illi à me Epitaphium, quæ & tumulus & cadauer sibi erat. Atque vt cætera quoque noua de monstris monstra, futuris seculis noscerentur, singulis saxis singulos titulos subdiderunt. Tritonibus quidem & Paniscis & Gigantibus in hunc modum.

TERRVERVNT HOSTES, ET TERRITI SVNT:
SED PANICVM TERROREM DIVINVS SVPERAVIT.

Ne autem ignorarem tituli huius sensum, obuelato paulisper noxio Gorgonis capite ac anguium capillamento, ita inter se collocutæ sunt. *Si humanis rem viribus prudentiaque æstimemus, quid facere potuissent firmius, quid excogitare callidius, quàm vt tot annis*

ante

antè meditarentur facinus, quod vno exequerentur? Nihil consiliis tectius: nihil auxiliis prospectius, nihil armis istis paratius. Victoriam iam se in manu habere arbitrabantur. Et habuissent, nisi bellorum exitus, à Numine, magis, quàm ab homine penderent. Quare timebantur ferè ab omnibus, ipsi autem timebant neminem, in quo non aliquid supra hominem agnoscebant. Fuit tamen quispiā in quo aliquid supra hominem agnoscerent. Quare multò antè, ad eum tot epistolas illices, tot legatos substructores, tot occultos concordiæ publicæ euersores missitauerunt. Nempe tantum momēti in illo fuit, vt si illum haberent, omnia se crederent habituros. Sed qui supra nubes est, non compluitur. Nihil ille blandiloquis technis, nihil magnificis promissis, nihil ipsis sceptris & coronis vltrò oblatis motus; quasi spumæ & bullæ adamantem arietassent. Quod vtinam alij exemplum imitati forent, qui nunc

Quàm vellent sceptris nunquam fulsisse superbis?

Itaq; ad tempus metuendi fuerunt, æterno ipsi metu fulminandi; terroremq; inchoarunt, quem alij deinceps continuarent.

Meta breuis regni vix vnum impleuerat annū,
Et iam cum niuibus Rex liquefactus erat.
Quem tamen horrebant populi, quem regna timebant,
Nimirum terror Panicus ille fuit.

Qualēm scilicet Tritones, & vmbræ solent excitare. At non Panicus, sed planè diuinus terror meritò habebatur, qui in monte Albano ad Pragam hostiles cateruas occupauit,

uit, pallescente milite ante tubam; & equis antè pugnam cum horrore sudare incipientibus; quasi præsagirent calamitatem sibi iam iam impendentem. Viderunt, credo, ipsa iumenta Themidem à Cæsariani Bauaricique exercitus parte stantem, siquidem illorum artus Perfudit toto

Virg. 7. Aen. proruptus corpore sudor, *& ad tanti Numinis maiestatem totis artubus intremuerunt. Itaque euigoratâ ad aspectum Iustitiæ omni Martiâ generositate, priùs caussæ, quàm pugnæ victoriã Catholicis cõcesserunt. State itaq; vos lapidei Tritones, saxei gigantes, silicei Panes, & quã antehac in animo duritiem circumtulistis, nunc ipso etiam corpore præ vobis ferte. Nemini plus nocuit vester rigor, quàm vobis. Terrere voluistis, terreri meruistis.*

CAP. IX.

Ad Pragense Viuarium qualium ferarum venatio sit instituta? quàm ipsis, quæ capiebantur, prædæ velut?

SIc locutę sunt *Charites*, atque vt nocumentum, quod miseri sibi ipsis propriâ machinatione intulerũnt, clariùs exprimerent, varia insuper monumenta erexerunt; varia spectacula in medium produxerunt. Nam extemporali pegmate *viuarium* de terrâ prodibat illi ęmulum, quod ad *Stellam* palatium Pragæ est adsitum. Eandem habebat, quàm Pragense magnitudinẽ, eandem sepem, eundem situm; verbo, idem putauisses, si aut dimidio duntaxat milliari à Pragâ distitisset, aut Moldauæ tam vicinũ fuisset, quàm marino littori. Ac ne *leporarium* illud suis carere indigenis videretur, primò quidem callidæ vulpes, occulti cuniculi, timidi le-

di lepores, meticulosæ damæ, fugaces cerui, magnis agminibus dispositi, arrectis auribus cornibusq; incedebant, & arma expediebant, tanquam telis in aciem accingerentur. Conspiciebantur inter sic stantes & *Tauri* & *Cameli*, & TVRRIGERI elephantes nonnullaque alia animantia ad præliandum sanè non inexercitata. Quare primo impetu vehementi ferebantur, ipsis venatorum nonnullis potentiora. Verùm vbi aliâ ex parte alij acriùs institêre *Leoninis vnguibus* latera venientiũ scabentes ac fodientes, tum apparuit quanta vis concordię esset, & mutuæ conspirationis. Turbata enim illicò fusaque est tota acies belluarum. Primi fuerunt in fugâ *lepores, cerui* alteri; illi per cliuum & prærupta lapsi potiùs, quàm descendentes, aquas bibere, quàm sanguinem fundere maluerunt: isti dum fossas, atque sepes transilirent, partim sudibus hæsêre quibus se ipsi induerunt, partim viui in potestatem venêre. *Tauri, Cameli, Elephantes*, ac generosiora illa capita quæ pedem fortissimè fixerãt, ad vltimum & ipsa sunt profligata atque tandem etiam sub iugum missa. Nulla fuit vnquam venatio aut periculosior, aut gloriosior, quàm quæ ad hoc *Viuarium* à Charitibus est instituta. Ergo eâ feliciùs peractâ, quàm si ipsa Diana præfuisset, mille plaustris opus fuit ad prædas auehendas.

Nesciuissem propemodum quid ea venatio signifi-

gnificaret, nisi cum prædâ colligeretur, animaduertissem, eò in prælio, *ceruos & tauros cornua, camelos gibbum, elephantos ebur perdidisse*, & præter spem
Plutarch. in Apophth. exarmatos minari desiisse: Corinthiisque similes esse, quorum muros oppugnaturis Lacedæmoniis, cum Lysander, *è fossa leporem prosilire videret. Hos, inquit, metuistis hostes, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt?* Denique conspexi factos iam freni esse patientes, qui antè totum frenare mundum voluerunt. Cum Diuo igitur Prospero dixi.

D. Prosper. lib. Epigram. de impunitate peccatorũ.

Qui se peccatis gaudet feliciter vti,
Infelix nimis est prosperitate sua.
Dumq́; capit miseros effectus praua voluntas,
A vera semper luce fit exterior.
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potiùs vana oblectamina mundi,
Subdanturq́; pio colla domanda iugo.
Inq́; putres fibras descendat cura medentis,
Vt blandum morbum pellat amica salus.

Ita quidem interpretabar venationem & captas domitasque prædas. At diuinæ illæ Charites, trium Furiarum egregiæ victrices, rem lōgè altiùs trahebant. *Hostes isti,* inquiebant, *abiecto omni humanitatis sensu in feras immo belluas efferati sunt. Nihil eos*
Salust. orat. Philip. *ius, nihil fas, nihil pietas à scelere retardabat. Ij ergo facti* QVIBVS QVIES IN SEDITIONIBVS, IN PACE TVRBAE SVNT.

qui=

quibusq; AFFLICTA FIDES IN PACE, ET REBVS TVRBATIS ALACRES, ET PER INCERTA TVTISSIMI. *Quid tam belluinum? Notum est quid cogitarint antequam vincerent; quid cogitaturi fuissent, si vicissent? In catenis olim circumferebat magnus ille ac terrificus Imperator victum hostem, quem cùm interrogasset; Quid mecũ fieret, si tu sic me vicisses, vti ego nunc te? Atque vbi intellexit asperrimè se ab illo tractandum fuisse, asperrimè illum vicißim tractauit. Quid igitur his futurum fuisset, si* VICTOR *noster par pari reposuisset? Constat quàm immania illi, quamuis inania sint meditati: porrò quàm miti lege cum illis fuerit actum; ipsi nunc prodituri hostes testabuntur.* Tacit. 1. hist.

CAP. X. *Admiranda mortuorum Anastasis.*

HIc ergo rursus nouum & insolitum se se spectaculum exeruit. Quod ne incredibile censeatur, necesse est mihi, ea verba recitare, quæ ex Venetorum Legatorum Itinerario quodam sic translata habentur. *Die 25. Martij, Anno M. D. X L. multi ex Christianis, assumtis custodiæ causa militibus aliquot, ex numero Prætorianorum, quos Lanizeros appellant, proficiscebantur Cairo, ad montem quendam distantem duobus milliaribus à Nilo, olim destinatum sepulturis defunctorum, sicut hodie apud nos de Campo Sancto dici posset: quo in loco quotannis solet conuenire immensa multitudo hominum, vt videant cadauera ibi humata, velut emergentia de sepulchris. Hoc incipit vesperi die Iouis, & durat vsque ad diem Sabbathi, tunc omnia rursus*

In Itinerario enim ita tulum, Viaggio di Messer Aluigi de Giouanne di Alessandria nelle Indie.

euanescunt. Eo autem tempore videre poteris quædam cadauera fasciis inuoluta, sicut olim humabantur defuncti. Non autem conspiciuntur, se erigentia, multo minus ambulantia. Sed modò videbis vnum atque alterum, & attrectabis eius brachium, vel crus aliamue partem corporis: pòst ibis in remotiorem locum, sique mox reuersus fueris, inuenies illud brachium, crus, aliudue membrum, magis extans è sabulo, quàm antea. quòd si eo modo hinc inde obambulaueris, manifestò apparebit discrimen, quòd ea, quæ modò sub terrâ fuerant, magis eruta & conspicua appareant. Eodem tempore multa videbis tentoria circa montem. Nam persuasum est & sanis & ægrotis, qui agminatim eò properant, quòd qui ex palude quadam vicinâ, nocte illâ quæ præcedit diem Veneris, se lauerit, ei mirificè prosit ad conseruandam & recuperandam valetudinē. Ad hunc modum, eorum qui vel prælio, vel supplicio extincti erant, Manes, alij quidem è terrâ atque tumulis, alij autem è cauernis ruderibusque Neptunij templi extiterunt, ; alij de ipsis monstris in statuas paulò antè deformatis, quasi de sepulchralibus saxis prorepserunt. Militum varius erat aspectus, & formidanda forma. Nam alius naso, alius brachiis, alius humero carebat: alius crure vtroque fœdè mutilatus stellionis instar gradiebatur manibus. Multi grandibus plagis lacerati, frusta potiùs hominū quàm homines; neq; aliud, quàm vt hostis gladium hebetarent, in prę̨lio egisse videbātur.

Inter

Inter quos & alij tres laqueum collo, aliique viginti quatuor proprium caput manu suâ gestantes apparuerunt.

CAP. XI.
Mira laudes ab ipsis hostib. Duci nostro transcripta, ob Victoriam Pragensem.

QVid animæ nō possunt corporis impedimento solutæ? Inter has vmbras & ipse vmbra *Ioannes Iessenî gymnasij Carolini Professor*, cui occupatâ Pragâ, & caput & lingua ob rebellionis crimen est resecta, perorare tamen cœpit; cæteris magnatibus in coronâ circumstantibus dictaque haud obscurè approbantibus. Nimis longus essem, si quidquid ille vel inuitus in laudem CAESARIS PRINCIPISq; nostri copiosissimè dixit, hîc velim percensere. Capita rerum strictim percurram. Primò itaque & hanc pœnæ suæ partem esse professus est, quòd à Rhadamanto veritati testis esse cogeretur. Deinde addidit. Hac tandem pugnâ patuisse, *Bohemos vinci posse*; qui ante ducentos annos Sigismundum Cæsarem totius Imperij viribus stipatum, Zisca Duce, fuderint ac fugârint; atque ante hâc diem *bello insuperabiles* habebantur. Maximum vtique esse oportere, qui *insuperabiles* superauisset, atque indomitos tam potenti dexterâ domuisset. Ita nimirum & suos Bucephalis Alexandros esse. Post hæc laudauit Victoris clementiam, quâ factum esset, ne ipse statim Victor in captos rebelles animaduerteret, ne tam Martis, quàm Themidis gladio, hoc est, tam

vi quàm iure periisse crederentur. Nihil itaq; eo in supplicio aut publicę Fortunæ, aut priuatę Vindictæ, omnia vni Iustitiæ esse relicta. Satis igitur prædicari non posse *Victorem*, qui verbo LACHRYMAS à victis, quàm ferro sanguinē elicere maluisset. Et sanè tam penetrantibus verbis eum supplices rebelles vulnerasse, vt si ante coniurationem tam grauiter monentem audiissent, paulo diutiùs deliberaturi fuissent, an tam manifestè contra *legitimum Regem* insaniendum arbitrarentur.

Tum & eos milites de amentiâ atq; scelere acriter castigauit, qui ante pugnam, licet paruo numero à nostris ad aduersam partem tracti spe liberiùs prędandi transfugissent animamq; suā lucro vendidissent: quando vt Tertullianus scripsit, *Ipsum de castris lucis, in castra tenebrarum nomē deferre, transgressio est:* & eos nimiopere extulit, qui capto in arenâ consilio, inter ipsum prælij ardorem vela verterunt. Fuerunt enim, qui cum vidissent suos manipulatim, immò agminatim vel in fugam, vel in terram ruere, ementitâ tesserâ sudarioliq́ue signo ad nostri exercitus modum aptato, nostros se esse profiterentur: & hoc ipso à cæde immunes erant, quia suos cædebant, subitò de amicis persecutores suorum, & de commilitonibus hostes; vt plures essent, à quibus rebellium clades augeretur. Deniq; mirisimam *Ducis* nostri exsplenduisse clementiā,

Tertull. lib. de cor. mil.

qui in captos mitis, in deditos benignus, in saucios etiam liberalis fuisset; & vel suâ quadrigâ vulneratos hostes sub tecta deportari; enimuerò etiam lautè haberi mandauisset. Adeò qui à suis deserti proprio in cruore contabescebant, ab ipso hoste inopinato auxilio fouebantur: vt ad eos domandos, non mactandos venisse *Principem* constaret. Tanti refert à quo quis vincatur. Nam & medici manus vulnerat, sed vt sanet. Vbi corrupti sanguinis satis deductum est, venâ obstruit, ne & vita effluat. Potuisset ea humanitas vel lapidem mollire, hominem (nescio) an non etiam fecerit duriorem. Imitati sunt scilicet Cæsariani Bauaricique victores Sigismundum Imperatorem; qui à Laurentio Hungariæ Palatino monitus, n enimis in hostes vrbanus esset, dixit: *Tibi videtur vtile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat; At ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.* QVIS ENIM TALES HOSTES NON OPTARET HABERE, QVI VINCVNT VT BENEFACIANT?

Aen. Sylu. lib. 3. Commẽtar. de reb. gestis Alphonsi.

CAP. XII.

Quam Vtile fuerit multis Vinci à BAVARO DVCE?

DIxit *Iessenius*, & dictum hoc vltimum *Charites* itidem saxo inciderunt, vt ad posteros transmitteretur. Quæ cum etiam perspicerent alium non neminem (qui contempto littore inter belli fluctus aliquãtulum in altum euectus, mox Fortunæ ictum sensit) post naufragium, tabulam sui voti indicem diis æquoris persoluere & ad vetustos. Ne-

Neptuni parietes ſuſpendere; tantæ gratiæ memores Victori hoc diſticho gratias habuerunt.

Tres Charites poſſunt Furias tres vincere; PRINCEPS,
Tu potes & Charites vincere cum Furiis.

His rebus & *Ioachimi Andreæ Comitis Slikenſis* vmbra inuitata eſt ad dicendum: ſed vt fere magnates ſolent, paucis multa indicauit. Nam vbi caput illius etiam non ſuo loco ſtans, diductis ſenſim labijs, oculiſque in cœlum obuerſis ter ingemuit. *Heu me miſerum,* dixit, *qui bis mori volui, vno non contentus letho! Erant tamen, qui manum porrigerent ſalutarem, extracturi è ſecundo naufragio, ſi extrahi voluiſſem. Sic & Saulus poſtquam cecidit, melior ſurrexit; & profuit illi cecidiſſe. Sed & ab hoc ipſo Victore alijs quoque quondam heroibus profuit bello ſuperari & capi; quippe quibus ſua libertas in præcipitium fuiſſet. Longè profundiùs lapſi eſſent, ſi diutiùs ſtetiſſent. Per carceris ianuam in cœlum intrauerunt. Ego potui. Poteritq́ & tota nunc Pragenſis ciuitas, & aliæ complures ſeu ad Iſtrum, ſeu ad Rhenum ſitæ vrbes, quæ niſi captæ forent à Catholicâ manu, captæ manerent, & mancipia periculorum.* In trophæum igitur hanc VICTORI Peliadem haſtam ſtatuo, quam Pallas ſuâ aſciâ poliuit; Vulcanus ſuo chalybe cuſpidauit, & ob magnitudinem nemo niſi Achilles potuit vibrare. Hæc quoniam & ſauciare & ſanare valuit, iſtam inſcriptionem habeto. VTRVMQVE POSSVM: QVAMVIS NON OMNIBVS VTRVMQVE FERAM: QVIA MVLTIS MAGIS PLACET VVLNERARI, QVAM SANARI.

Act. 9. 7.

Ad-

CAP. XIII. *Ipsi perfidi fidem in* PRINCIPE *nostro laudant.*

ADstrepit his reliquum de more vulgus; & se quoque perstringi magna illa sine capite capita significant, gaudéntq; quòd causam habeant dolendi. Sed omnium nomine *Leander Ruppelius Heidelbergensis quondam Consiliarius* sic laudes hostis sui orditur. Raro sapere cœperunt, qui viuere desierunt, vel certè Phrygum more serô nimis sapuerunt. Inter hos & me annumerari voluit Minos, qui Principis virtutes viuus vidi, sed risi, vt mortuus flerem. O quantus candor! ô quanta fides! quanta æquitas! quanta constantia! quàm profundum sapientiæ mare est in illo! omnib, illũ machinis expugnare conati sumus, nihilo minùs profecimus. Agesilaus magnus ille, *epistolam ad se à Rege scriptam, & à Persa quodam cum Callia Lacædemonio missam, in qua hospitium & amicitia offerebantur, non accepit: sed regi iussit renunciare, nihil eum opus habere ad se mittendis epistolis. nam si amicum se rex Spartæ & Græciæ gerat, ipsum summopere ei fore amicum, sin verò insidiari deprehendatur, non esse quod se credat ipsi amicum fore, etiam si plurimas acciperet epistolas.* (*Plutarch. in Lacõ. Apophe.*) Nostris oculis Agesilaum mirati sumus. Non epistolam, sed coronam; non hospitium, sed regnum obtulimus, repudiauit. Nempe *fides iustitiæ fundamentum* (*Cic. 1. offic.*) omni illi regno charius, quod & vel Seneca teste, *Sanctissimum humani pectoris bonum est.* (*Senec. ep. 89.*) Planéque, vt vates monuit:

Sil. lib. 13. —— *Fulgentibus ostro*
Hæc potior regnis.

Sed non semper hoc credidimus. Aliud *Sculteti*, ceterique *Prophetæ* nostri canebant, qui Principibus suadent, *Vt omnia recta & honesta negligant, dummodo potentiam consequantur.* (Cic. 3. offic.) Itaque quod nobis placuit, etiam alijs libuit instillare. Sed epistolæ quantumuis creberrime, dolos quos ferebant, non vendiderunt. Amicum se fore, & esse ostendit, si nos Imperij Imperatorisq; amici essemus. Cum autem mutato stilo ac tamen per gryphos, & longas ambages, ad regnum nos inuitari, & (*volentes*) cogi indigitaremus, prô Deum immortalem, quanto mentis candore nos iterum, iterúmque & sæpiùs, & verò asiduè est dehortatus! *rem esse periculosæ aleæ plenissimam: se id auctore nunquam aggressuros:* obtendi duntaxat caussas, perfidos nunquam deficere prætextum, cur à regibus suis deficiant: *semper* denîq; aliquã *fraudi speciem iuris* imponere. (Liu. lib. 9.) Nõ quiuimus negare *sincerissimo hæc talia animo* scribi, & sepiùs in epistolis nostris palàm id cum ingẽti ipsius laude professi, gratias egimus tam ingenuè monẽti, si non calamus noster, linguam imitatus, ab animo dissensisset. Non latuit summam sapientiam summa calliditas. Sed maluit tacitis consilijs, insidijs insidiari, quam immaturis minis prouocare. Fallebamur igitur, cum fallere vellemus; & dum

nos

nos sapientes esse putaremus, ille erat. Habemus itaque exitium, quod dedimus. Quia autem Fortuna nostra æternas leges ingressa, amplius corrigi non potest; saltem sociorum nostrorũ,discrimini quà possumus occurremus. Qui ne denuo *ius regnandi gratiâ violandum*, ducant, hæc quæ Victoribus trophæa ponimus, intentis oculis animisq; contemplentur. Cum hoc dicto viginti quatuor vmbræ capita sua circa hastam iam antè humi depactam in orbem disposuerunt: adiecto, mantissę loco, nescio cuius brachio (omnes enim illi sua brachia habebant, vt hoc aliunde collegisse necesse sit) tituloque ad hastę summitatem tali appenso,

— NEV RVMPITE FOEDERA PACIS, Sil. lib. 2.
NEC REGNIS POSTFERTE FIDEM.

Charites cum & ipsę mecum ad tam tristis Scenę spectaculum lachrymauissent, nutu *vmbras* discedere iusserunt: quarum vltima vox iam abeuntium fuit;

— *optimus ille*
Militiæ, cui postremum est primumq; tueri Idem lib. 14.
Inter bella fidem.

qualem quidem *aduersarium* fuisse, vel coacti fatemur: qui proinde antè, quàm nos armis vinceret, fide, candore, ęquitate, sapientiâ vicit. Quemque nos, quibus solenne fuit, IOANNEM GODEFRIDVM *Bambergensem & Herbipolensem* EPISCOPVM MERCVRIVM CATHOLICORVM appellitare, meritò formidauimus, vt

MARTEM CATHOLICORVM, IN PACE PROVIDVM, IN BELLO FORTEM; IN AMICOS FIDVM, IN HOSTES POTENTEM; INTER PROSPERA MODESTVM, INTER ADVERSA PROSPERVM; DENIQVE SVPERIS CHARVM, INFERIS INVISVM; BONIS AMABILEM, MALIS METVENDVM. His finitis *umbræ* se *umbras* fuisse ostenderunt. Siquidem illicò videri desierunt, tanquam Lydi Gygis annulo visæ. Extremum Charites epiphonema hoc PRINCIPI super tot trophæa addiderunt.

Cic. lib. 3. de offic.

Iam tua nemo potest præconia carpere: laus quæ
Hostis ab ore venit, suspicione caret.

GLORIAE BELLICAE

LIBER III.

DE GLORIA A PROPRIIS DVCIBVS ET MILITIBVS.

CAPVT I. *Victoria castra secundùm externam faciem describuntur.*



Iusmodi spectacula ad ipsas Acherontis fauces tergeminæ illæ *Charites* excitauerunt; tandemque vbi alios iusserunt plangere, alios plaudere, splendenti nubeculâ super eas cadente, quasi post siparium recesserunt; nihilque supererat, præter trophæa nouo ELECTORI erecta, & saxea illa de spectris monumenta, spectandū: quæ quidem affatim iam spectaueram. Itaque quamuis nunc erroris in viâ admissi haud amplius pœnituerit, nequaquam tamen libebat diutiùs horas eò loci perdere. Et dormitantibus iam lucernis faci-

facibusque ob consumptum pœnè nutrimentum, paulo post expiraturis, horrebam tenebras campi tam pestilentis atque infesti. Præterea altissimum silentium, magnis tumultib. successerat, quod me non admodum inuitabat ad moras inibi protrahēdas. Dum autem ambiguus, & quasi in biuio aut triuio consisto, neque satis prospicio, quà aut domum, aut ad Musas mihi veniendum, rupto rursus profundissimo silentio, nouus aures meas sonitus excitat, velut magnæ cuiusdam multitudinis clamore permistus. Nam occanere cornua tubasque, & reboare tympana, interque clangorem & recrepantia taurorum terga lætissimas succlamantium voces vsque ad sidera iactas audiebam. Facile erat allicere curiosum, præsertim ad triumphos. Sequor sonitum, nullo prælucente. Quanquam vicinior iam dies aliquid creperę lucis eunti in subsidium mittere incipiebat. Paucis admodum passibus à Tænaro progressus, per obscuri luci semitam ad campum perueni, ingenti planitie amœnum, arboribus vndique coronatum. VICTORIÆ is campus erat. Ibi quadruplici spectaculo triumphos adornârat. Statiua enim & castrorum speciem expresserat, in quatuor latera ac regiones diuisam. Ita tamen, vt vltra latitudinis spacium tertia pars longitudinis adderetur, quę pulchriora castra creduntur.

Hæc ego singula vobis ordine referam, vbi prius perstrinxero; quæ ingredienti in illa castra mihi se se obtulerunt visenda. Siquidem præter salubrem aquam in proximo sitam, præter lignationis, pabulationisque commoditatē, & campum nullis abruptorum desuper telis, aut tempestatum inundationibus obnoxium; præter fossam pedibus decem & septem (*imparem enim numerum obseruari moris est*) latam, præter sepem circumductam, & aggerem interpositis stipitibus ramisque arborum, ne facilè terra dilaberetur, erectum; præter pinnas & propugnacula super aggerem, ad similitudinem muri composita; etiam alia complura accesserunt ornamenta. Frondes palmarum certis interuallis collocatæ modico flexu in coronas laureas trahebantur, atque in medio connexæ decussatas cruces referebant. Distinguebant has frondes corollasque lychnuchi pensiles, aut arborum modo mala ferentium lucentes; item vexilla, signaque militaria aliæque manubiæ hostibus ereptæ, atque toto castrorum ambitu, alternâ serie defixæ. Inter quas & prætorianum supremi Ducis Anhaltini aureo rutilans filo vexillum eminebat, captum à BAVARIAE DVCE in siluâ, & victoriâ prope *Raconitium* obtentâ. E propugnaculis tanto trophæorū numero inclytis minaciter prospectabant tormenta curulia maiora, hostem, si quando necessum, parata salutare.

Hæc ad castra exigit Flau. Veget. Renat. lib.3. de re milit. c. 8.

Pen-

PEndebant & è perticis hastisque tabellę suis quęque inscriptionibus facundę. In vnâ hanc veteris Poëtę gnomen legi.

Cap. II. Quòd milites bene bonos Duces & moribus & clamoribus laudent.

Plaut. Persâ.

SI INCOLAE BENE MORATI SVNT, PVLCHRE MVNITVM ARBITROR OPPIDVM.

In alterâ istam eiusdem Poëtæ.

Sin aliter, CENTVPLEX MVRVS REBVS SERVANDIS PARVM EST. *Ibid.*

In tertiâ, illud reperi ex Cicerone accommodatum.

QVALES IN BELLO DVCES SVNT, TALES SOLENT ESSE MILITES.

In quartâ, VICTORI DVCI, EXERCITVS VICTOR. Cæterarum partium tabellas non potui aspicere, desiderio festinationem ad interiora rapiente. Vt plerunque nimia festinatio multa nos facit præterire, quę scire vsus esset.

Tertiam porrò illam sententiam vbi legi, in memoriā venit, quod historicus dixit, *Rectè facere Princeps ciues suos* milites que, *faciendo docet.* Et sanè si *tales solent esse in bello milites, quales Duces:* Quid de his militibus sperari non poterat, quorū Dux tanti fiebat, vt eū quatuor Principes ad bellum euntem prosequi voluerint, eiúsq; facinora admirari. Quorū duo ex alto illo LOTHARINGORVM sanguine, tertius TESCHINENSIS ille, & quartus VIRGINIVS VRSINVS: preciosę animę & milites. Quorum Dux fieri quilibet aptus erat. Ad quartę sententię lectionem considerationem *Velleius lib. 2.*

fide-

ſiderationeq́; tubicines, cornicines, buccinatores, & qui in tympanis ludere mortuoſque ad mugitum excitare boues conſueuerāt, denuò ingēti applauſu perſtrepere cœperūt. Secuta ſunt mox denſiſsima ſcloporū & ęnearum fiſtularū tonitrua, & poſt tonitrua ignes & malleoli ad cœlū vſq; exilientes varióq; artificum luxu flammis fuſilibus, volubilibus, liquabilibus, maximoque naturę miraculo rotatilibus globoſisque vſque ad horrorem & ſtuporem per æthram ludentes. Quippe & irides, & fulgura, & dracones igniuomos, & totos ſcintillarum imbres, denique & *Aquilam* & *Leonem* per ęthera volitantem accuratiſsimis legibus obedientes flammę exhibuerunt. Sed omnem ingenij excellentis vim vicit piceam miniméque moleſtam induta tunicam ſulphurei pulueris ſphęra. Ea ad Troiani equi exemplum pręgnans fuſilibus ſtellis inexplicabili numero farta, luculētiſsimas flāmas per inane vibrabat, quę ita ſeſe ceu in immenſū fornicem, neſcio quâ arte circumfuderunt, vt ipſum cœlum cum ſideribus in viciniam oculorum noſtrorum deſcendiſſe ementirentur. Ipſum quoque Vulcanum ſedem ſuam in aëra tranſtuliſſe putauiſſetis; ita omnia ignibus & miſsilibus implebantur, ſine pernicie incendia ſpargentibus dominantibuſque, vel famulantibus potiùs ad iucundam ſpectantium curioſitatem. Poteratque res

tanto

tanto preciosior æstimari, quòd tam nobilis incendij splendor, ferè exhaustâ iam nocte, maiore apparatu indiguisset.

Post hos ignes exorta est rursus tubis tympanisque intermixta totius exercitus vox, procelloso mari non impar, quod resonante vndâ littus tundit. Vocis sensus is fuit.

HAEC CONDITIO PRINCIPVM, VT QVIDQVID FACIANT, PRAECIPERE VIDEANTVR. *Quintil. declam. 4.*

NOn potui me continere, quin aditum in intimos recessus quærerem. Nec vetuerunt qui aut extra vallum, aut intra portas longo anfractu fallaciosas armati excubabant; sed nutu potiùs progredi & festinare vlteriùs iubebant, atque cetera quoque explorare. Aspiciebam longulè ex hoc loco dissitum prætorium Duci eiusque comitibus magnificè præparatum. Cernebam variæ elegantiæ Tribunorum tabernacula militaria, & certa ante ingressum depacta signa: itemque singulis centurijs papiliones suos tensos, Victoriolarum simulachris ad apicem supremum conspicuis. Quin priuati quoque milites ex vestimentis tentoriolis factis, atque ex arundinibus corijs intextis permanebant; circumserpente multiplici florum frondiúmque quernarum corymbo. Non sim narrando, si totam loci virorumque maiestatem

CAP. III. *Interior castrorũ visitoria species.*

Plutarch. Apophth. Lacō. explicare velim. Lubensq; approbaui illa Agesilai pronunciata, *Vrbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas:* Item *Spartam quidem muris carere, sed ciues armatos esse Spartæ muros: terminos* autem, vt alius dixit, esse *hastarum cuspides*. Talibus enim viris non vrbes tantùm, sed totæ prouinciæ atque regna muniuntur. Intellexi etiam inspectis vel obiter opulentissimis sarcinis BAVARVM

Plutar. ibid. DVCEM cum eodem Agesilaô dixisse, *se ditandis militibus magis delectari, quàm opibus possidendis: hoc autem sibi pulchrum videri, si Græci* (Boij) *non accipiant ab hostibus dona, sed manubias adipiscantur.* Quas sanè sępius audieram, vbi tempus fert, militibus nec prohiberi, nec anteuerti; quasi militibus pro prædâ, DVCI pro gloriâ esset pugnandum. Quod si

Senec. Thyest. DVX *volet honesta, nemo non eadem volet.*

Recta igitur hęc bellandi regula est, militumque animos sibi adiungendi, & quiduis efficiendi. Nam probi milites proba facinora edunt. Nec enim

Sallust. ad Cæs. imitandi, *qui*, vt Sallustius loquitur, *eò munitiores reges censent, quò illi, quibus imperitant nequiores fuere*; ac si nō maius in virtute, quàm in vitio præsidium reperiatur. Id ipsum militum globi plenis castrorum plateis viisque effusi identidem conclamabāt. HONESTA IVBENTI PAREAMVS, SI HONESTI SVMVS. & HAEC VERA EST VICTORIA, VIRTVTE VINCERE. Itemque, GLORIOSVM EST MAGIS PRO VIRTVTE CADERE, QVAM SINE EA ACEM PELLERE.

Iam

CAP. IV.

Quid in prima castrorũ regione.

IAm ipse quoque cum vociferantibus Stentorem acturus & paria acclamaturus eram, sed manum injecit, præcepitque silentium candidissimè alata palmigera Diua, quæ triumphum totum instruxerat. Hæc quod non veri illi viuique milites, sed itidem manes duntaxat aut boni militum Genij forent, dixit, fas non esse, mortalem cum immortalibus triumphare. Satis mihi superque beneficij esse debere, si oculis intueri possem, quæ illi in animis suis gaudia, quasque ouationes fouerent. Sic me admonitum, in primam castrorum introduxit stationem. Asignata ea fuerat eorum heroum memoriæ, qui vel ab ense atque ex vulneribus mortui, vel castrorum lue contacti, è vitâ excesserunt; mortem vel in bello, vel ex bello oppetentes. Id ex primo aditu didici. Siquidem geminæ à dextrâ atque sinistrâ arbores palmæ, quarum capita supernè coëuntia portæ speciem habebant, hoc programma ingrediẽtibus propinabant,

DVLCE ET DECORVM EST PRO PATRIA MORI. *Horat. lib. 3. carm. od. 2.*

A vestibulo palmarum, cupressetum extendebatur funebri arbore, & defunctis sacrâ: quo statio hęc veluti pariete à cęteris castrorum partibus est discriminata. *Gnosiorum silvestribus spacijs* insistere me credebam. Vix tamen pedem intuli & oculos circumtuli, cum aliter sensi. Omnia *monumentis, columnis, pyris, Mausoleis* plenissima. Etsi enim ho-

Plin. lib. 16. cap. 33. *Cic. l. de Legib.* *Isidor. lib. 15. orig. cap. 11.*

 stili

ſtili ferro pauci occubuerunt, Hungarica tamen febris, ipſis Hungaris potentior, Numine ſic ad VICTORIS gloriam permittente, etſi tot reliquerit, quot ad elidendos hoſtes ſufficerent, haud paucos tamen abſtulit: atque inter eos belli domique primarios viros: quos & ipſos Deus cœlo vendicauit, ne quid poſt tot diuina & immortalia facta mortale facerent. His igitur pleriſq; ſui honores eo magis decreti:

Cic. 3. Tuſc.

Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremptos.

CAP. V.

Primum monumentū Alexandri ab Haslang Ducis bellici, etc.

Ego, quoniã tot hominũ imaginumq; memoria mihi non eſt; aliqua tantùm commemorabo, vos de ceteris conijcite. Effulſit igitur ad primum ingreſſum ante quoddam tentorium candidiſsimũ *Regulus dux Romanorum*, qui *captus à Carthaginenſibus, cum ſe vnum pro multis captiuis Carthaginenſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus, vndique extrinſecus clauis transfixus, tot cruces ſenſit.* Intellexiſſem quorſum hoc monumentum aſpiceret, etiamſi non legiſſem eidem grandibus in baſi litteris inciſum

Tertull. lib. ad Martyr.

Anno 1620.

FORTISSIMO DVCI ALEXANDRO AB HASLANG, QVI FERVIDO AD PVGNANDVM INGENIO; AVSTRIAM SVPERIOREM, BELLO BOHEMICO, PRIMVS CVM EXERCITV INGRESSVS SECVTVRO PRINCIPI SVO APERTAM TENVIT, AC POST HAEC ALIAQVE MVLTA ILLVSTRIA BELLICAE VIRTVTIS EXEMPLA, ETIAM HOC POSTERIS RELIQVIT; QVOD CVM PRIMVM IN MORBVM, DEINDE ET IN HOSTES INCIDISSET, INTER MA-

GNI

GNI DOLORIS ACVLEOS, ATQVE IPSAM CAPTIVITATEM, TAMEN LIBERTATEM NON AMISIT. NAM EX IPSIS HOSTIVM MANIBVS AD COELVM EVOLAVIT.

Nempe Biantem æmulatus est (dixit, quæ mihi se per castra comitem adiunxerat *Victoria*,) siquidem *Bias insidijs circumuentus ab Iphicrate Atheniensium Duce, militibus interrogantibus quid faciendum foret: Quid aliud, inquit, quàm vt vos vestræ saluti consulatis; ego pugnans moriar?* Mortuus es, fortissime bellator, & quidem contra duos hostes pugnans: naturæ alterum, alterum fortunæ tuæ. Nisi duos insultus sustinuisses, non succubuisses. Et tamen tali caussâ, talique loco succumbere pulchrum fuit: quia eo tempore tibi, quod de C. Mario consule olim dictum, *non vita, sed mors in beneficio reposita erat*. Inter medios enim hostes succubuisti, non amicus hostium. Illi enim veri fuêre hostes, morbus inter benefactores potiùs numerandus est, qui tibi tantæ gloriæ principium fuit, vt pro Patriâ, proq; PRINCIPE Patre Patriæ occubuisse dicereris. Hac te viâ Numen ad gloriam ire voluit.

Plutarch. in Lacõ. Apoph.

Liu. 88. Oros. 5. cap. 21. Plut. Velle. Val. Max. l.6. cap. 8.

Vinci debueras; febris, non hostis id egit:
Nullus enim est, qui te vincere dignus erat.

Quis enim ALEXANDRVM vinceret? solo nomine terribilem? an incolumem aliquis cepisset, nescio. Certè tu contra ægros & iacentes ac iam cũ morte confligentes non pugnauisses. Armatos in prælia quærebas: tu fortasse idcirco inermis & morbo fra-

ctus quęrebaris, vt vel hinc gloriam aucuparentur, qui te ceperunt. Magnum quippe est apud pauidas animantes, si vel mortuo leoni insultarint. Ita

Gloria parua fuit quòd te comprenderit: ægrum
Qui cepit, sanus fortè nec ipse fuit.

Ego in contrarium exempla possum commemorare, vbi ingenui milites ęgro aut sauciato hosti, hoc ipso non sunt insidiati, quia insidias declinare nequiuit. Militares quippe animi ita loquuntur,

Turnus apud Virg. 10. Aeneid.

Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior.

Itemque *nec cum humi quidem iacentibus ne dum in lecto aut morbo cubantibus pugno*; Et,

Dono, ducite, doq; volentibus cum magnis dijs.

Vos ne restituendum quidem, vbi sibi priùs viribúsque, quis fuisset restitutus, dare voluistis, inclementiores in morientes nostros, quàm nostri in vestros occidentes. Nimirum aut metuistis, ne tantus vester terror reualesceret, aut lytri spe illam honestatis laudem seposuistis. Quę ipsa tamen vos spes fefellit. Nam etsi liberalissimus illius Princeps & belli Imperator nullos thesauros præ tã fidis Ducibus ęstimet, nullísq; precijs pepercisset, antè tamen immortalitate dignus spiritus è captiuitate vestrâ aufugit, quàm vestra lucri cupido impleretur. Quanquam tanti virum istum ęstimauistis, vt

vt ipſum quoque vobis cadauer eius eſſet precio-ſum. Et conſtat à vobis aſperè eum inter ipſos dolores habitum, neque enim ex lecticâ tantùm inclementer extractus eſt ab Hungaris, veſtibúſque exutus, ſed duriora expertus, quę res haud digna eſt paſſo, auctoribus digniſsima, vt etiam hinc aliqua ſit illius Regulíque comparatio. Nam *Carthaginenſes Atilium Regulum palpebris reſectis, machinæ in qua vndiq; præacuti ſtimuli eminebant, incluſum, vigilantia pariter & continuo tractu doloris necauerunt.* Val. Max. lib. 9. cap. 2. Niſi fortè aut acutiſsimi morbi vis non tam altè penetrauit, quàm ſtimuli illi: aut indignè haberi generoſo animo minùs dolet, quàm corpus cruciari. Denique populi rumore ſparſum eſt, haud ſcio an vero, ALEXANDRVM iſtum tantum fuiſſe vitæ ſuæ cōtemtorem, PRINCIPISq; ſui æſtimatorem, vt ne vel in minimo illi moleſtus eſſet, palàm edixerit: *Non cupere ſe, vt æger ipſe & hoſti non ampliùs multum obfuturus redimeretur eâ pecuniæ ſummâ, quæ multis vegetis & in hoſtē validis militib. eſſet ſuffectura.* Quis non plus quàm Regulum in hac voce agnoſcat? Regulus ſe hoſtibus ſuis: iſte etiā ſe pecuniis *Principis* ſui poſtpoſuit. Quid feciſſet, ſi pro ipſo Principe in diſcrimen veniſſet? Tales BAVARVS milites habet; tales Duces contra hoſtium aciem in campum educit.

Hæc *Victoria* ad primum quod nobis occurrerat monumentum diſputauit. Geſtiebā ego ipſum

tento-

tentorium ingredi, ſed illa iniectâ in pallium manu me comiter retraxit, & diducto paululùm velo, introſpicere duntaxat iuſsit. Ibi ipſiſsimum vidi defunctum bellatorem ſplendentibus armis indutum, lauru coronatum, & inter alios proceres aſsidentem ſpecie triumphantis. Ante eum nitidiſsimi fulgoris Genius ſtabat, & templum quod ipſe D. STEPHANO magnificum ſanè adornârat, tanquam ferculum quoddam manu tenebat clariſsimum argumentum, milites probos veroſque non de ſpoliandis, ſed locupletandis ædibus ſacris cogitare. Cetera curioſiùs intueri *Diua* mea non permiſit.

CAP. VI. *Monumẽtum ſecundum Alberti Comitis à VVartenberg, &c.*

IGitur hinc ad proxima monumenta digreſſus, pro alterius tabernaculi foribus, ſuper ingenti ſaxo factum ex marmore *iuuenem* cõſpexi *equo clarum.* Iuueni nec dum lanugo malas obumbrabat; vigor tamen virilis inerat; oculi qui Herculem decerent contra Hydram iturum. Caput criſtatâ galeâ, pectus auratâ loricâ tẽgebatur; auratum ex humero enſem ſuſpẽderat. Sed & frenum equi & calcaria ſeſſoris auro micabant. Cæterùm ipſe caballus poſtremis pedibus innitens, priora crura altiſsimè in aërem ſuſtulit, immenſum ſaltum daturo ſimilis. Et erat ante pedes lapis ipſe in foſſæ aut voraginis modum excauatus, vnde miſta fumo flamma eiiciebatur. In eam & eques & equus videbatur

tur insilire; circumstante magnâ populi coronâ, floresque sertos ac solutos de calathiscis super eum iactaturâ. Memorabat mihi huius imaginis aspectus, quod Liuius de Curtio non illo Metio T. Tatij milite, sed altero illo sequentibus verbis posteritati transmisit.

Eodem anno seu motu terræ, seu quâ vi aliâ forum medium fermè specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur: neq. eam voraginem coniectu terræ, cum pro se quisque gereret, expleri potuisse priùs, quàm Deum monitu quæri cœptum, quo plurimùm populus Romanus posset. id enim illi loco dicandum vates canebant, si Rempublicam Romanam perpetuam esse vellent: tum M. Curtium iuuenem bello egregium castigasse ferunt dubitantes, an vllum magis Romanum bonum, quàm arma virtusq. esset. Silentio facto, templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad deos manes porrigentem se deuouisse: equo deinde, quàm poterat maximè exornato insidentem armatum se in specum immisisse, donaque ac fruges super eum à multitudine virorum ac mulierum congestas. Interpretabatur hoc symbolum basis eiuscemodi elogio condecorata. *Titus Liuius lib. 7.*

ALTISSIMI SANGVINIS ET SPIRITVS IVVENI, ALBERTO COMITI À VVARTENBERG, &c. QVI PATERNI AD BELLANDVM INGENII HAERES AB OPTIMO MILITIAE MAGISTRO DIDICIT, QVOD CORAM DVCE BAVARO AEQVISSIMO MILITVM AESTIMATORE AC ARBITRO EXERCERET: TANDEMQVE POST FELICITER ADIVTAM

ADEPTAMQVE PRAGENSEM VICTORIAM, IN ARDENTEM FEBRIM, VELVT FLAMMAM INCIDENS, NOVVS CVRTIVS PRO PATRIA, IN IPSO AETATIS FLORE EST IMMOLATVS.

Meritò igitur, inquio ego, super eius funus tot lachrymæ, tótque flores & fructus ceciderunt. Magnus enim ex hoc flore fructus sperabatur. Ipse iuuentutis viror, ætatísque calor, *aptæque ad fortia vires* fletum meruerunt. Et tanto copiosiorem fletum, quod patrato iam bello, in patriâ domóque paternâ, non inter hostium globos, sed inter eos, qui eum fleturi erant, Martiam illam animam expirauit. Fueruntque qui dicerent, animam illam antè, quàm in sidera se reciperet, per fraterna pectora transeuntem luculenta post se virtutis vestigia reliquisse: vt qui viuendo hostibus nocuit, moriendo amicissimis prodesset; & vel in fratribus suis superstes pugnaret. Quasi enim ipso fratris letho animati, ita & ipsi bellare gestierunt. Quid ambagibus vtor?

Magnus eris tu BENNO *mihi testis; capere hostis*
Quem, nisi congressum comminus, haud poterat.

Nec parua laus tua fuit, EX DVRLACENSI PRAELIO TE CVM VICTIS REDIISSE NON VICTVM. Nempe ad extremum spiritum depugnare & in densos hostium globos irruere paratus eras, atque aduersarios tantùm in certamine quærere volebas, quos sterneres, non socios à quibus defendereris, vitæ contemptor, glo-

gloriæ ſititor. Sic & germanus tuus fecit, qui quãuis de Pannonicæ tabis veneno iam vehementer occupatus, tamen ſtationem ſuam non deſeruit, ſed DVCEM VICTOREM Pragâ redeuntem; (quem in tantum amant ſui duces militeſq́;, vt etiam ægri ab illo ægrè diuellantur) vſque ad ipſa patria mœnia eques eſt comitatus: Atque mox ab equo ad lectũ, à lecto deinde ad lethum ijt. Itaque qui redux Patriæ ſalutem, is ſibi ipſi glorioſam pro ſpolio mortem reportauit. Ita dixeram, & *Victoria* quam aſtitem habueram, ponè tentorij cortinâ modicum ſublatâ, me introſpicere iuſsit. Nempe, inquiebam, tentoria iſta, quæ ſua monumenta præ foribus habent, pro ſepulchris ſunt in bello, aut ex bello defunctorum. Stabat enim in medio, præliari ſtatu *Albertus* arma ſua indutus, & paludamento fulgurans, coronamq́ue ciuicam capiti impoſitam gerens. Nihil ad vitam deerat, niſi vt loqueretur. Eius tamen loco ſuſpenſa è ſummo tabella, & hinc Hebe, illinc Hercules eius maritus (& ipſe caloribus nimijs in Oeta extinctus) loquebantur. In tabulâ enim ad quam Hebe digitum intendebat, tale carmen apparebat.

NON ERAT ILLA FEBRIS LETHALI ARMATA CALORE;
BELLANDI, QVI TE SVSTVLIT, ARDOR ERAT.

CAP. VII. *Tertiũ monumentũ Marci Philippi Fuggeri, &c.*

DEduxit me poſt hæc à COMITE iſto *comes* mea, & ad vicinum aliud *Baronis* monumentum inui-

inuitauit. Spartano habitu iuuenis edito colli insistebat dexterâ manu gladium vibrans, pede autem columnato, qualem antiquissimo Deorum Saturno fuisse credidit antiquitas. Circa hunc iuuenem itidē Spartano amictu milites circumfusi, varios admirationum gestus plaususque tollebant. Hæsi & ipse admirabundus, cum *Victoria* quæ mihi castrorum suorum inspiciendorum copiam fecerat, *Androclidas*, inquit, *Laco mutilatus pede, inter milites suum nomen professus est; prohibentibus, quod eum mutilum dicerent, Atqui, inquit, non fugientem, sed manentem oportet pugnare in hostes.* Neque raro accidit, vt manibus vincerent, qui pedibus minus valuissent. *Democrates pugil etiam ipse, quum laborasset ex pedibus, ad certamina venit: & consistens in stadio, descripsit sibi circum, & iubebat aduersarios, vt se expellerent extra lineam. At illi cum nequirent, victi sunt: & ipse cum bene & fortiter in statione sua perstitisset, coronam secum deportauit.* Hæc enarrante *Victoria* oculos in sculpturam grādem ex palma, ad quam Androclidas acclinis steterat, pendentem misi: quæ tale mihi aperuit elogium:

Plut. Lacon. Apophth.

Aelian. Var. hist. lib. 4. c. 16.

GENEROSISSIMO ET PATRIA SVA DIGNISSIMO IVVENI MARCO PHILIPPO FVGGERO &c. QVI FLORENTE FORMA, PALLADIS, CONSTANTE PECTORE MARTIS AEMVLVS, AD RACONICIVM, MANV STRENVE REM GERENS, PEDEM VTRVMQVE AMISIT: QVO IN VELITATIONE VSVRVS NON ERAT. CVI ETIAM HOC AD GLORIAM ACCESSIT: QVOD IPSVM BAVARIAE DVCEM HABVERIT SPECTATOREM: CVI PAENE AD LA-

Anno 1620. 31. Octob.

TVS

TVS ACCIDENS, SANGVINIS SVI PVRPVRAM DEDICAVIT.

Eiusce modi elogio perlecto, volui & ego à me vnum superaddere, antiquo huic nomini, & non admodum veteri etiam familiaritati gratus. Hos ergo à me versus extorsi.

Nomina bina tibi, iuuenis GENEROSE, *fuerunt:*
Marcus auo, patri, MARCE, *Philippus eras.*
Non te pœniteat bello cecidisse cruento,
Nec pigeat raptos ignibus esse pedes.
Nam nec auo poteras melius placuisse paterno:
Nec poteras functo gratior esse patri.
Gens quoq; Fuggaridum magno licet icta dolore,
Morte tua tamen est grande habitura decus.
Ipse etiam quamuis pedibus mutilatus vtrisq;
Spartanâ nôras belligerare manu.
Hoc iter ad famam patefactum & tecta Tonantis;
Si non concessum est ire, volare potes.

Diduxit ad vltimum carmen *Victoria* tentorij alas. Ergò vidi intus in eburneo lecto accumbentem iuuenem dormienti magis, quàm defuncto similem. Eadem enim gratia rosei oris, idemq; qui priùs in ipso candor manebat. Cuius clarissimi excessus silua monimentum est: ad quam ex fortissimis eius vulneribus plus gloriæ, quàm sanguinis manauit. Itaq; pedum loco *Honor* stabat & vnâ manu ingentem ex plumbo sphæram, alterâ pagellam philyraceam sustinebat; in quâ hæc verba figebantur:

TANTO PONDERE ERAT NECESSE PLVMBI, VT TANTVM STERNERE POSSET VT PHILIPPVM.

Plumbeam porrò *Honoris* sphæram ponè assistens *Aquauiua Neapolitanorum militum centurio*, pridie eodẽ fere loco, quo Fuggerus postridie ictus, itemque *Alexander à Groott* dimetiri videbatur. Nam etsi iste ante aliam vrbem, fato cõcessit, haud multò tamen aliâ defunctus est morte: quippe cum & ipse globo fulminatus atque discerptus sit. Itaque, tanquam si honestissimæ morti inuideat, dimetitur iam, vter grauiore maioreq; globo sit vulneratus? Non ignarus, MAIORA VVLNERA, MAIORA ESSE MILITVM DECORA. Quare abunde magnum illi vrbes pręmium rependerunt, ob *Neouallıam* magno ingenio, magnaque experientiâ conscriptam & elucubratam. Magis enim illum vrbes vulneribus, quàm ille vrbes munitionibus ornauit. Eminuit, in eodem hoc loco, vallari insignis coronâ PAVRIVS, militari vultu manuque Dux: cuius fortitudo egregiis operib. se oculis hominum subiecit, etiam tum, cum hostem vallo eiicere aggressus, honestissimâ morte deiectus animam generoso spiritu abundantem Deo reddidit. Cuius virtuti si Ernestus Mansfeldius inseruisset oculos, scisset præstabilius esse cum fidelitatis laude occumbere, quàm per ingenium illaudata effugia quæritare.

Con-

CAP. VIII.

Aliud monumentum defunctis in bello Comitis ac Baronum.

CONsideratis his quoque, & pluribus egregijs Gloriæ Victoriæque ædificijs restantibus, cum ipse me numerus in desperationem coniecisset omnium aut visendorum, aut memoriâ retinendorum, ad diuersam partem deflexi; in quâ ijs se se Mausolea attollebant, quos ex ipsis Palatinis tentorijs Libitina perniciosâ Febri, tanquam Furiâ, illuc cum amplissimâ potestate immissâ rapuit. Nequaquam Athenienses tam amplum suis pro patriâ mortuis honorem decreuerunt. Ad eam igitur molem sum primò perlatus, in quâ Parium marmor in varias arbores (suauè alioqui, cum natiuæ sunt spirantes) dedolatum, pyræ speciem præ se tulit. De ipsâ porrò strue, flammarum ictus veritatem tam mentientes emicuerunt, vt sole radios affundente, manum admouere non ausus fuisses. Inter vndantes has flammas Indus pertinaci passu se tenebat, arundineto quodam caput obumbratus, plumulisque multicoloribus psittacorum ab vmbilico tectus; cætera nudus, & antè, quàm vstularetur, iam niger. Nec hoc arcanum intellexi. Quare curiositatis meæ *Arbitra* ex Æliano quæ mox apponam verba recitauit.

Ælian. lib. 5. Var. hist. c. 6.

Est & Calani Indi finis dignus, quem laudemus, alius dixisset, quem admiremur. Fuit autem eiusmodi. Calanus sophista Indus cum longum vale dixisset Alexandro, Macedonibus, & vitæ, quando seipsum è corporis vincu-

Plura talia Plin. l. 7. c. 2. Cic. 5. Tuscul. Philost. in Apoll. de Brachmanis. Val. Max. l. 3. c. 3.

*lis liberare volebat, extructâ & apparatâ pyra in * Callisto suburbio Babylonis ex lignis aridis, & ad prouocandam bonam fragrantiam delectißimis, cedro, thyo, (vel thuio) cupresso, myrto & lauro, ille solitum exercitium obiuit, (erat autem id cursus) & accedens in media strue constitit coronatus folijs arundinum, affulgente sibi sole, quem ipse adorabat: atque hoc dederat signum Macedonibus, vt pyram incenderent. quod cum fecissent, ille circumdatus flammis immotus constitit: neque antè collapsus aut subuersus est, quàm expirasset. Tunc aiunt Alexandrum cum stupore quodam admiratum dixisse, Calanum potentiores hostes debellasse, quàm se. Nam Alexander cum Poro, Taxila & Dario bellum gesserat: Calanus verò cum labore & morte.* Ad finem historiæ istius, cætera *monstratrix Diua* ex inscriptione ipsâ me iussit perdiscere. Inscriptio autem vnum *Comitem*, cum *Baronibus* aliquot denotabat, illi *Christophoro à Zollern* nomen erat, horum maturâ ætate & laude vnus *Georgius à Gumppenberg*, alter annis non animis minor *Ioan. Bernardinus à Gumppenberg*, tertius *Ioan. Ferdinandus Velin*, quartus *Ioan. Albertus à Preising* nuncupabatur: florentissimi sanguinis stirps. Magna aulæ decora, & multâ senectute digna. Nempe, inquiebam,

* Pulcherrimo.

Stat sua cuique dies: breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Virg. 10. Aeneid.

quod

quod in his lucidè eluxit; qui Calanum imitati, in flagrantiſsimæ febris ignem, ipſo non ſolùm præſente atq; inſpectante, ſed pænè flammam tangente MAXIMILIANO DVCE, intrauerunt. Ibi in ſummis ardoribus conſtituti, quòd antè non ſint collapſi, quàm vita collaberetur; facta illorum in ipsâ morbi flagrantiâ declarauerunt. Quo odore quid fragrantius? aut quid ad famam clariùs? Non arundinum, ſed ſiderum hæc eſt corona. Neq; iam Sol illis, ſed illi lucem Soli addiderunt. Senſit hunc odorem *Straubinga*; quæ *Comitis Præfectique* ſui caſum nō aliter tulit, quam membra, quæ capite percuſſo & ipſa debilitantur. At

Tu Preiſingiacæ ſpes non poſtrema iuuentæ,
Optima, quantumuis aſpera, bella geris.
Namq; licet iuuenis fueris, tamen vſq; canere
Letho magnanimi mortuus eſſe viri.

Viginti duorū annorum iuuenis ſtatim Linzio recepto, ex morbo deceſsit.

Talia ſubito affectu promēti, reuelauit manu alterâ aulæorum partem aliquam *Victoria*, & oculis meis viam fecit ad intus cubantes. Omnibus ſua erant ornamenta, ſed non omnia æquè oculis meis patentia. De *Ioan. Ferdinando Velin* hæc videre potui. Is vt alto loco natis ſolet fieri, ac in cæteris quoque tribus animaduerti, aureis in calcaribus erat tumulo concreditus, ſed & inſuper talaria ſubnexa gerebat. Credo, quia eum virtus ſua in aulâ Bauaricâ tam celeriter euexit. Habebat & in manu

K epiſto-

epiſtolam, atque eam manu alterâ defenſabat, ne eriperetur. Scilicet hic ille fuerat tantorum ad CAESAREM gaudiorum baiulus, qui maximi PRINCIPIS ac VICTORIS iudicio dignus habebatur, vt victoriam Pragenſem IMPERATORI nunciaret. Sed feſtinandi, vt exiſtimo, calore contentioneque, in ipsâ viâ à lue Hungaricâ deprehenſus eſt, Lincijque cum ipsâ iam morte luctans, & quid diceret ageretúe morbi maleficio ignarus, tamen cum illis luctatus eſt, qui epiſtolam ad CAESAREM ſcriptam ei extorquere conabantur. Nonne hoc eſt priùs *exspirare*, quàm *cadere*? Nimirum vbi animus ſemel inſueuit virtuti atque fidelitati inhærere, etiam cum viribus deficere incipit, tamen non poteſt à propoſito recti dimoueri. In chartâ plumbeâ pectori eius appoſitâ ſtilus eiuſcemodi epigramma exarauerat:

A. Gell. lib. 3. cap. 15.

ALIIS ALLATVM GAVDIVM INGENS, SÆPE MORTEM ATTVLIT, INTERCLVSA ANIMA ET VIM MAGNI NOVIQVE MOTVS NON SVSTINENTE: HIC GAVDIVM IPSE AFFERENS, ET VELVT PROPRIVM SENTIENS EXPIRAVIT. NEMPE MALVIT TANTAE VICTORIAE TESTIS IN COELO, QVAM VIENNAE ESSE: QVIA MAIVS NVNCII SVI PRAEMIVM A NVMINE, QVAM A CAESARE SPERAVIT.

Rectè ſperauiſſe augurabantur in primis etiam illi, inquiebam ad *Victoriam*, qui eum Lincij vix dum exanimatum, in loco tamen admodum diſsito, digito velut pulſantem & mortis ſuæ ſignum dantem cognouerunt. Quod ſanè, haud ſcio quâ de cauſ-

causfâ, familiæ isti (sicut & aliis nonnullis) admodum vsitatum esse ferunt, vt ex eâ, vel mortui moneant, vel morituri moneantur.

Cap. IX. *Ioannis Georgij Brauglacheri aliorumq; monumenta.*

COmplura huius notæ monimenta variis carminibus laudibusq; exornata, supererant, sed tubæ lituique denuò altiùs perstrepentes, non sinebant singula lustrare animum, quæ extra gerebantur, cognoscere cupientem. Nec tamen antè *Victoria* me hac statiōne latum vnguem excedere permisit, quàm adduceret ad vnū adhuc præcipuè splendidum Mausoleum, quod vel à Scopâ videri posit elaboratū. *Plin. lib. 35. c. 6.* Tribunal regio ornatu operosè constructū sublimiùs assurgebat. In eo sūmus militiæ Dux sederat, & iuxtim alius quispiam, sed lapsabundi iā ex vulnere figurâ. Alij circū aliiq; strictis mucronibus solicitè concurrentes ad cadentem. Nec procul miles Romana arma indutus, atq; iniectam foculo dexteram exuri patiens. Quin & diuersâ parte in Phrygiâ acu picto thoro & peristromate quispiam recubans, ab astante annulum capiebat; satellitibus, per conuulsa ianuæ claustra, truci & tragico vultu fulgenteque ferro irrumpentibus.

Quid prima effigies significaret, nō fuit diu aut laboriosè quærendum. Nimirum *Porsena* Etruscorum is rex erat, quem, cum hostilem vrbem obsidione premeret, C. Mutius magno audaciq; fa-

Liu. lib. 2. Et Tertull. lib. ad Martyr. & in Apolog. adu. gent. Item Minutium.

cinore petiuit. Nam abdito intra vestem ferro in Etruscorum castra penetrauit. Vbi ad intima venit, *in confertissimâ turbâ prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium fortè militibus daretur, & scriba cum rege sedes pari ferè ornatu multa ageret, eum milites vulgò adirent: timens sciscitari, Vter Porsena esset, ne ignorando regem semetipse aperiret, quis esset; quò temerè traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat: vadentem inde, quà per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum concursu ad clamorem facto, comprehensum regij satellites retraxissent ante tribunal regis:* dexteram accenso ad sacrificium foculo iniecit, & pro eâ amissâ Scæuolæ nomẽ reportauit. Hæc prima est effigies. Altera Panopionis seruum admirabilis fidei hominem significat.

Val. Max. lib. 6. cap. 8.

Qui cum ad dominum occidendum milites in Reatinam villam venisse cognosset; commutatâ cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clàm emisit; se autem in cubiculum ac lectulum recepit. & vt Panopionem occidi passus est. Breuis huius facti narratio, sed non parua materia laudationis. Nec quàm citò dicitur aliquem pro alio mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse, est arbitrandum. *Panopion autem, quantum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo testatus est.* Quid hæc sibi igitur volunt; inquiebã ad *Victoriam.* Si Oedipum huic Sphingi ex me hodie facere cupis, facilè impetrabis. Nam si

Ba-

BAVARIAE DVCEM cum *Porsenâ* contulero; quis mihi vitiò vertet? cùm ille etiam feliciùs, quàm iste ante vrbem castra collocârit. Non caruit tamen insidiis; & quidem plurib. ac grauioribus, quàm *Porsena* est petitus. Siquidem, ceu ferox miles, ab hostium parte egressa *Libitina*; BAVARICA castra intrauit C. Mutium imitata. Ibi quis dubitet, tunc BOIVM DVCEM in periculo fuisse? *Supra quatuordecim millia* de exercitu eius sæuâ lue Parca *sustulit*. Nec satis id periculi fuit; nisi etiam ipsam illius aulam nobilitate exhausisset. Vix

Troiæ sub mœnibus altis Virg. 10. Aen.
Tot gnati cecidere Deûm.

Tribus exceptis; periclitati omnes, qui aulicis ministeriis detinebantur, & illi ipsi qui *Porsenæ* isti ad latus quodammodo, aut certè ad calamum assidebant; *Bruglacheri Cancellarij; Lorchenfelderi Commissarij; Kirchmarij Secretarij*; à Morte iugulati sunt. His *annulum* suum committere, cum his multa agere solebat. Deus igitur voluit, vt inuida mortaliū felicitati Mors, non vno, vt Scæuola, sed toties repetito ictu, semper aberraret à vero *Porsenâ*, & aliū aliumque pro illo feriret. Sic apparuit PRINCIPEM in singulas horas capite dimicasse suo. Etsi enim non ferrum hostemque, tamen quouis ferro hosteque nocentiorem pestem in vestibulo, immò intra limina habuit sui terorij. Quoties alij correpti sūt,

ille corripi potuit. Singuli vnâ morte, PRINCEPS omnium mortibus petebatur. Qui tamen succidanea hostia libenter fuerunt. Et hoc ipsum etiã tanquam Panopioni suo grati fidiqúe optauisse, & votis suis mihi videntur à Deo impetrauisse. Multum tamen & Panopionem PRINCEPS superat. Panopion Mortem fugiendo declinauit, PRINCEPS manendo terruit. Panopion vestes mutando Mortem fefellit; PRINCEPS ne metuit quidem Mortem, vt de effugiis vllis consilia caperet. Panopion alium pro se Morti obiecit, PRINCEPS si potuisset, se ipsum pro aliis vt nouus quidam Patriæ suæ Theseus, Morti opposuisset. Et sanè satis opposuit, dum inter tot morbos mortésq; nostrâ causâ per totũ bellũ constantissimè perdurauit. Neq; enim cum alter post alterum immo alter cum altero aut æger auheheretur, aut mortuus efferretur, ignorauit suam quoq; in hac mortalitate sortem esse parem; & vni contingere posse, quod tam multis quotidie contigisset. Sed qui hostium telis pro Patriâ se se exposuerat; neque contagionis etiam malum refugit: vt quantò pluribus periculis se se obnoxium fecisset, tantò pluribus sibi vinculis eos obstringeret, quorum causâ id fecisset. Hanc igitur rarissimam laudem habes, RARISSIMI EXEMPLI PRINCEPS: *Plurimos noui, qui se tibi obstrictos agnoscunt; neminem eorũ noui, qui non tuâ vicissim causſâ mori vellet, & suo letho tibi vitam perpetuare.*

Inter

Inter hos igitur & *Ioannem Georgium Bruglacherum* enumero, à quo hoc ipſo quoque titulo magnum Academiæ noſtæ decus eſt accumulatum; ex quà tam fidus tanti Æneæ Achates in *Aulam* eſt tranſlatus. Multa in eo nituerunt, cùm hîc Profeſſorem ageret; ingenij claritas, doctrinæ vbertas, legum peritia, docendi modus, agendi prudentia, morum incredibili ſuauitate permixta grauitas, animi candor, amor laboris, & omnis fortunæ Virtutíſque opulentia: ſed ea omnia, ſicut fœcunda proceraque arbor, quę intra anguſta ſepta ramos extendere nequit, nimis contractis Academiæ terminis includebantur. Vbi ergo ad *Aulam*, tanquam in liberiorem campum tranſierunt, ibi perſpicuè creſcere, & longè magis eſſe in propatulo cœperunt. Quiq; eſt laudum ſummus apex: nulla illi cum titulis honoribúſque ſuperbia irrepſit. Verſabatur in legationibus negotijſque grauiſsimis, & ſecuri erant, quotquot eum nouerant, nullum ore illius verbum exiturum, quo cauſſa Catholicorum læderetur. Cumque apud eos ad quos miſſus erat, meminiſſet ſe PRINCIPIS MAGNI perſonam ſuſtinere, tamen quando cum Deo per preces, aut cum conſcientiâ ſuâ per piam commentationem agebat, non obliuiſcebatur ſe *Bruglacherum* eſſe, & pro ſe, próque officij ſui adminiſtratione rationem redditurum. Denique per quot diſcrimina

mina vitæ ad vltimum discrimen venit? hoc ipso, quia obseruator PRINCIPIS, contemtor periculorum.

Talia subito calore effundebam, cum *Victoria* extremam conopei laciniam duobus digitis modestè ciuiliterque sustulit, oculúmque meum vix paulo momento intromissum, dilapsâ laciniâ denuo exclusit. Vidi tamen ipsum inter alios arcanarum rerum olim conscios in hemicyclo sedentem, ac velut de negocio aliquo consilia agitantem. Eruditissimum eius pectus lucidissimâ carbunculi gemmâ in stellæ modum effulsit. In manu læuâ epistolam, in dexterâ annulum cum sigillo tenebat. Inscriptionem de mensâ pendentem tam angusto temporis spacio legere non potui; credo ne laudes vsque ad inuidiam magnas propalarem; aut fortasse cæteros *Iuris Professores*, iam antè ad PRINCIPI placendum seruiendumque, quà possunt intentos, tantarum nunc insuper virtutum gloria nimis inflammatos, imitandi periculo exponerem, *Academiasq;* in *Aulas* euacuarem.

CAP. X. PRINCIPIS *in bello defunctos pietas. & animus gratꝰ.*

HInc igitur etiam ad tubas properans; alia passim in digressu conspexi monumenta (inter quæ & præclarissimum Engelberto Benikarsio Achillei spiritus viro erectum vnum, alterumq; Lerchenfeldero, viro, quem æquè summis pru-

dentia, quàm infimis benignitas charum fecit) ac cippos ossa imprimentes, sed animo magis remisso, oculóque minùs curioso. Illud tamen per transitum legenti in memoriâ hæsit.

Nulla parens functos, lachrymis nulla vrget vxor:
Sic potuisse mori, mors generosa fuit.

Atque rursus ex aliâ parte in singulari columnâ illud cernebatur.

Victor honorasti cum lucro funera: plures
Hæc monumenta Ducum, sunt paritura Duces.

Animaduertit ea me legentem, non tamen satis intelligentem Victoria, lucem igitur tenebris meis affudit. Et numquid memor es, inquit, quid Troianus ille Dux sit locutus, cum magnâ pugnâ transactâ receptui cecinisset?

Interea socios, inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est, *Æneas apud Virg. 11. Æneid.*
Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis
Muneribus.

Quin immo numquid memor es, quid sacra illa pagina narret de Iudâ Machabæo? qui post fusum fugatumque Gorgiam, *venit cum suis, vt corpora prostratorum tolleret, vt cum parentibus poneret in sepulchris paternis.* Hoc idem Christianorum *Machabæum* fecisse vides. Sed quia nequaquam cum Troiano illo sentit, hunc solum tumulandi honorem mor- *2. Machab. 12. 39.*

tuis esse: etiam illud alterum Machabæi factum est imitatus. Quamuis enim in nullo eos deliquisse sciret, homines tamen fuisse, & militarium subinde quàm diuinarum legum studiosiores esse potuisse nouerat. Itaque Iudę exemplo vota pro eis Numini & ipse prolixè persoluit, & ab alijs impensè persolui curauit. Sic enim prętantem illum militię Pręfectum laudat diuinum volumen.

Ibid. v. 24. *Atque ita ad preces conuersi, rogauerunt, vt id quod factum erat delictum obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare prò mortuis) & quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperunt, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Hanc *sanctam* & *salubrē* cogitationem sanctis cogitationib. deditissim⁹ PRINCEPS non omisit. Quāta in pauperes, & ędes sacras largitio facta? quanto ardore *Sodalitij* illius *in subsidium defunctorum* cum tantâ vtilitate, quantâ pietate *instituti* conuentus sunt celebrati? Quot inibi preces, quot sacrificia peracta?

acta? Neque ij tantùm quos mortui sanguine attingebant, presentes fuêre, sed viri fęminęque primarię, ipsique adeò PRINCIPES, cęteris omnibus exemplo pręeuntes, & non paucos etiam trahentes. Quódque in VICTORE vel ipsi Superi sunt admirati: *Cum proprios sibi apparatos triūphos repudiasset, defunctis tamen triumphum instituit; iustis exequiarum sacrisque mortualibus solennissimè persolutis.* Vt videas gratiorem eum esse in suos post obitum, quàm multi alij sint erga viuentes. Sic inter eundum epigraphen supra memoratā interpretata mihi est *Victoria.* Iamque ad exitum stationis illius perueneramus, haud disparem illi, per quem intromissi sumus, redditā nimirum proportione oppositum: cum limini superpositam huiuscemodi verbis signatam tabellam vidi.

NON POENITET, NON POENITET, PRINCEPS OPTIME, SEV PER VVLNERA, SEV PER CONTAGIA ANIMAM PROIECISSE. TVVS AMOR OMNIA COMPENSAT. NAM AD SVPEROS EVECTI DIDICIMVS; QVAM LIBENTER, SI NATVRA PATERETVR, TRVCIDATIS, AVT TVA CAVSSA ALITER SVBLATIS SANGVINEM REFVDISSES.

CAP. XI. *Secunda regio, quæ agrorum in castris Principē laudātum imaginē exhibet.*

NIhil me omnium hactenus ita commouit, vt incredibilis iste PRINCIPIS amor; cuius magnitudin cætera, quæ exinde spectaui, immane quantum confirmauerunt. Prima igitur hæc mortuorum aut monumentorum statio Occidentem spe-

ctabat. Inde egressus, per reliqua castrorum spacia immensam militum Ducumque frequentiam inter carpenta, inter arma, signaque & spolia omnis generis, equorumque captorum greges, cum tubis tympanisque ouantem sum intuitus. Sed in primis ad læuam modicum deflexi, quà altera castrorum pars Aquilonem excipiebat. Ibi (mortuis nimirum proxima) sedes illis erat tributa, qui vel cum morbo adhuc altercarentur, vel plagis miserabiliter affecti, aut sanitatem, aut mortem citam optauerunt, aut etiam vt doloris obliuiscerentur, cantu atque acclamatione & ipsi se sunt solati. Quos in clamando egregiè adiuuerũt *Optiones*: illi scilicet, *qui antecedentibus ægritudine præditis tanquam adoptati cum eorum vicario solent vniuersa curare.* Lætam in hoc spectaculo tristitiam reperi: nam oculis tristia, auribus læta ingesta sunt. Qui sanissimi erant, sic incurui incedebant, quasi essent nonagenarij, aut messores, aut quasi delumbati essent fuste; ita morbus contraxit neruos. Ergo qui ante hac equites erant, nunc ex centauris animal semireptile facti videbantur. Aliis cicatrices sic pinxerunt faciem, vt à familiarissimis non amplius noscerentur. Fuit qui eiuscemodi in fronte fossam haberet, vt cornu illi indè exectũ putarem; eã, vt intellexi, accepit, cum cuidam tendenti rumperetur balista chalybea, cuius fragmentum in astantis frontem insi-

Modest. lib. de Vocab. milit. ad Tacitum Augustum.

insiliit. Nonnulli luridâ facie iam mortem in oculis portabant. Quodam angulo, ex recenti, vt apparebat conflictu reportati, miserum quidem, sed militibus gloriosum erant spectaculum.

——paucæ sine vulnere malæ, Iuuenal. Sat. 15.
Vix cuiquam aut nulli propter *certamina nasus*
Integer, adspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.

Alius gladio ictus in buccâ cicatricē habebat palmâ longiorem; alius ferreâ catenâ confractis membris; non nemo lanceâ humerum transfossus; plures plumbeâ glande percusi in stramine iacebant. Quanquam, quod ipsum miraculo adscribere potuisses, vulneratorum admodum pauci fuerunt, si compares cum iis, quos ipsi vulnerauerunt. Longè plures tabe æstuabant Hungaricâ. Nam bonis castris malum morbum immiserat Deus, vt ex bonis adhuc meliora faceret. Duas enim res ad laudem præclaras is morbus peperit. Siquidem quantũ numerus militum minuebatur, tantum DVCI fiducia erga DEVM augebatur. Et adhæc per ipsum morbum occasio nata est, quâ prouidissimi PRINCIPIS amor liberalitas & paterna solicitudo insigniter exerceretur. Quodq; rursus inde sequi necesse fuit. Tantò vicissim milites animũ DVCI suo addictiorem ostenderũt, quantò illum viderunt erga se liberaliùs solicitum.

 Ita-

Aelian. Var. hist. lib. 4. c. 15.

Itaq; quod de Hierone, Ptolomęo secũdo, Theage, Stratone filio Chortagi, aliisque historiæ prodiderunt, eos vtiliter ægrotare cœpisse, atque ex ipso morbo vel litteratiores doctioresq; vel sapientiores, nonnullos etiam musicos euasisse: id ipsum de multis istorum militum narrari canique potest. Nisi enim illi aliquod belli incommodum velut experimenti gratiâ passi essent, nequaquam intellexissent, PRINCIPEM eorum caussâ tantum egisse. Cum ergo hæc talia dolentium mala oculi mei aspicerent, iamque aures paria exspectarent, lamenta scilicet ægrotantiumque eiulatus, contrarium prorsus euênit. Laudes enim meras hymnósque audiuerunt, & quasi triumphantium cantus. Alius PRINCIPEM ad cœlum vsque extulit, quòd ad mortẽ se accincturis tot animarum medicos sacerdotesque suppeditauisset; & quidem tales, qui non modò exercitatissimi essent, ad animas cœlo præparandas, animósque etiam à piis rebus abhorrentes mirificè deliniendos; verùm etiam nullum periculum contagij, nullum fętorem loci, nullum horrorem lethi metuerent, sed ac si ipsi immortales essent, ita in præsentes vbique mortes intrarent, & non rari non morientibus & ipsi commorerentur, æternam aliorum vitam pluris facientes, quam suã istam temporalem. Audiebatur igitur alius, qui diceret, *Hic morbus, per tuam prouidentiam*, PRINCEPS,

me sanauit. Ad animæ vulnera, per ipsa corporis vulnera medicina subiit. Alius, liberalitatem prędicabat, & præstantissimos corporũ medicos sibi datos. Multi nec in patriâ suâ, domíq; tantos Machaonas habuissent. Et fuêre qui morbos aliunde allatos, in castris deponerent, atque eorum vicem sanitatem viresq́ue à Podaliriis istis reciperent. Sed nec illæ voces tacebant, quibus misericors DVCIS animus, munificaq́ue dextera commendabatur. Nam ita pœnè de singulis frequenter interrogabat, ad spémne an ad tumulum proficerent, quisúe eos iuuandi modus, quæ ratio esset, vt in tanto negotiorũ Oceano, id prope solum agere videretur, vt de ægrorum curâ prouideret. Denique *Quanta* clamabant omnes vnanimi voce, *tanti* PRINCIPIS, *inter tam varias grauesq́ occupatiões charitas, velle ipsa stabula & cubilia morbosorum subire, & pestilentes viritim visitare? perq́ tot pericula sua, aliorum pericula coram inspicere, & clementißimo aspectu suo velut depellere?*

CAP. XII. *Tertia castrorum regio seu statio validorum militũ.*

VOx ista ad sidera vsque penetrabat. Nec mora, tanquam si Echo è diversâ parte responderet, ita conferti militum sanorum globi è tertiâ castrorum statione, ad Austrum exaduersum ægris positâ & ipsi altissimum clamorẽ sustulerunt. Clamoris sensus fuit. *Quis miles ad Bauarica signa non libenter conuolaret militaturus? Vbi caussa iustior? commeatus*

meatus parator? Tribuni, Centuriones, Duces honesti amantiores? præmia ampliora? Supremus PRINCEPS *charior?* Ipse in capitali prælio aliisque periculis & vrbium tot expugnationibus, velitationibusq; præsens fuit, vt non haberent adnumeranda illi pro Rep. vulnera, quibus statim laudator & testis oculatus contigisset. Fortissime DVCTOR NVMINI gratias debemus, quia tibi castra, te castris reliquit. DVX TV TITVLIS ET SIGNIS; CETERVM LABORE, ET VIGILANTIA MILES, CVM TVA VEXILLA, TVAS ACIES, MAGNO GRADV MAGNOQVE EXEMPLO ANTEIRES. Et quoniam oraculum est, *plerasque belli res confici consilio & vi pecuniarum*, vtque *medici negant, sine neruis homines ambulare posse*, ita *disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus:* tu sapientum monita secutus, apud quos *priùs est parare bellum, quàm exercere*, iam pecuniam, iam commeatum, iam arma habebas, antè quàm alij de armis cogitarent. Hæc militi alacritatem iniiciunt; ad hoc tympanum vltro confluunt, nec vllam tubam longiùs exaudiunt. Quare ex omnibus ferè terris ac gentibus sub tua signa se se milites contulerunt. Nec Germani tantùm, aut Itali, aut Galli, aut Hungari, aut Croatæ, aliiq; viciniùs adiacenti ũpopulorum Martij viri tua signa sunt secuti; sed etiam (quod fidem superaret, nisi veritatis tenacissimi testes eam astruerent) ex Orientali vsque Indiâ, relictâ Goâ de ipsis vltimis aut primis illis Caphris non nemo & preciosè vestitus, & Latinè apprimè doctus

Thuc. 1.

Cassidor. 4. Var. cap. 13.

Quintil. 12. Instit.

doctus, & lacertis validus, & manu strenuus, & multis tempestatibus naufragiisq; exercitatus adfuit, qui in tam militari aulâ aliquid experiri discereque vellet, nisi ea *candidos* potiùs homines exigeret, quàm istos Æthiopum affines, & noctem aut crepusculum dubium in vultu ferentes, in quibus præter dentes, candidi nihil inest. Accedet tamen & hoc ad gloriam tuam, quòd Indi ipsi accedere voluerint ad militiam tuam.

CAP. XIII. *Quarta castrorum regio seu statio Banaricorũ militia Ducum.*

ISta talia non sanè vulgaria vulgaris miles clamitabat, cùm me ad quartam castrorum regionem Orientem versus prospicere *Victoria* iussit. Stabat ibi ante aditum tentorij sui nudo capite, veneranda canitie vir. Neque enim senem appellare fas est, cuius vires tot exercitus & fortissimæ munitiones quotidie experiuntur. Argenteis tamen capillis Nestori similis erat. Quid dico capillis? ipsis moribus, ipsâ bellandi experientiâ, consilijsque simillimus erat. Quod enim in Nestore laudatur, eum ab adolescentiâ arma tractasse, & in Troiano denique bello senem consilij dexteritate tantùm Græcorum rebus profuisse, vt Agamemnon profiteri non dubitârit, *breui se Ilium fuisse expugnaturum, si decem sibi contigissent Nestores:* id in isto multò æquiùs celebratur; qui non ab adolescentiâ, sed à puero etiam militiæ interfuit, quanquam non

Homer. 2. Iliad. Ouid. 12. Metam.

M puer.

puer. Neque enim interfuit solùm, sed quasi per gradus, suâ ipse virtute se ad summum militaris gloriæ culmen euexit. Quare bacillum ducalem in manu gestabat, vt mihi diuinantes in longinquum oculi dicebant. Neque nunc primùm, vt cum ijs, quæ iam memoraui, *Victoria* in aurem suggessit, eam habere dignitatem cœpit. Iam sub Imperatore Rudolpho eminentior illi erat exercitus cura demandata. Magna is tunc hostium clades, bellique Cæsariani gloria vocabatur: vt qui insolentissimi aduersarij opes creberrimis victorijs cōtunderet. Et nunc quoque ab ingenio continuatisque per tot annos Victorijs nondum degenerauit, quia, velut iurato fœdere, Felicitas illius Pietásque se dissociari non patiuntur. Nestorem enim, vt dixi, putes in campo, sed Pachomium in templo. Itaque à Deo non deseritur, quia Deus neminem prior deserit. Nec corpus minùs, quàm animum duris assuetum circumfert. Nullus illum cœli, nullus terræ rigor terret, potestque de illo idem, quod de Agesilao verè scribi: *Tentorium in medio habens, nullo meliorem lectum habuit:* immò iste omnibus verè deteriorem; quia etiam cum lectum habet, à lecto non habetur, nec enim illum adhibet. Nomen vt promam, expectas? ait *Victoria*. Dux de quo tot, nondum tamen satis multa verba feci, IOANNES SERCLASIVS Comes est, cognomēto

Plut. in Lacō. Apophtheg.

TIL-

TILLIVS, clarissimo apud Belgas genere natus; sed bellandi artibus atque fortitudine suâ longè clarior factus. Eum igitur nunc BAVARIAE DVX, optimus, vt CAESARVM, ita & Ducum ELECTOR, tanquam dexteram suam manum, castris præfecit. Libuit ad hæc audita loquentem acclamatiunculâ breui interrumpere. Sic igitur acclamaui.

Viue decus Martis, TILLI *fortissime: magnum est*
Dextram tam magni PRINCIPIS *esse manum.*

Excipit Victoria, Nec parua laus est, tam fortem & fortunatam *dexteram* habere. Sed illum alterum mihi à TILLIO proximum Baronem ANHOLDINVM etiam atque etiam fixis oculis contemplare; *quantum instar in illo est!* Nec dum & ipsa sermonem finire cogitârat, cum altissimâ conclamatione increbuit: TALES BAVARIAE DVX DVCES ALIT. Sicut ad pulsum æris apes colliguntur, ita ad hanc conclamationem primi quique militiæ ductores TILLIVM circumsteterunt, ac nescio quomodo etiam aliunde tam repentè collecti, cum bonâ fortunâ meis oculis contigerunt. Videbam *Hannibalem Herlbergerum*, cuius consilia iuxtà ac milites primæ præstantiæ esse feruntur, virum in quem omnia à prisco illo Hannibale ingenia transierunt, præterquam, quòd nihil in hoc Punicum est reperire. Nacti sunt oculi mei & *Crazium de Scharffenstain*, illum inquam potentissimum venientis cateruæ hostilis

murum & obicem & dissipatorem; *Pappenheimium* item luculentis in pectore plagis decoratum, quæ ipsæ testantur, quanta pars belli, ille, quamque illi Victoria cordi fuerit, vnde eam tot hostium enses eruere frustra tentauerunt, quem vnà cum vitrico suo Adamo Hermansdorffio cordatissimo heröe, ob tot fidissima obsequia Cæsar ipse honorauit. Cernebam & *Valentinum Schmidium* Brigantini nominis per Galliam, Belgium, nostrasque prouincias à triginta iam annis & ampliùs egregium inuictumque propagatorem, Hallangijque supra Anassum strenuè fidum legatum. Sed nec masculi pectoris Herculeæque manus virtutisq; heros Lindelous, & alij multò plures (nec enim, vt in antiquo verbo dicitur, hæc decima quidem Syracusanorum pars est) bello fortibúsque factis clarissimi viri ac duces defuerunt. Quis enim omnium Sulziorum, Harsellorum, Ruuiliorum, Pettingerorum similiumque capitum nomina & immortalitate dignas virtutes enumeret? Nimis paucos BAVARVS VICTOR præclaros militię suę pręfectos haberet, si omnes à me numerari possent. Humano maior spiritus fuit, qui numerum talem singillatim initurus, factaque militaria in syllabum relaturus dixit, *Hæc nomina fortium David.* 1. Reg. 23. 8.

GLO-

GLORIAE BELLICAE
LIBER IV.
DE GLORIA A MVSIS SCIENTIISQVE.

CAPVT I.

Poëta à castris Victoriæ, ad castra Musarum discessus.



Estiebat tamen nimiopere animus, & ceteros percurrere noscendo, & hos ipsos pariter cum castris suis spoliisq; & pulchrè factis diutiùs contemplari. Sed, vt nulla mortalium felicitas aut plena esse aut diuturna solet, cùm nescio quis *Teutobocchus* in propinquo prædas agere diceretur, conclamatum est repentè ad arma. Et tubis adhuc classicum canentibus, iam instructissimo ordine acies extra castra in patentes campos se effuderat. Abripuit se igitur & *Victoria* à meo latere, maioribus vtiq; negotiis occupata, quàm vt meæ curiositati seruiret: vnà enim & ipsa, velut Camilla, aut Penthesilea aliqua in acie ibat. Ego exercitus silenti agmine progredientis vestigia aliquantulum secutus, vbi vidi equitum hostiliũ turmas & ipsas comparere, armatosque vtrinque seriis vulneribus proludere, Nihil, inquiebam, hîc Poëtis negotij:

Carmina secessum scribentis & ocia quærunt.

Quantò ergo illi pugnabant maximè, tantò ego fugiebam maximè, relictoque præliantium spe-

ctaculo, in tutum me recepi, quà silua proxima sinistrorsus se flectebat. Diu per incerta vagatus, tandem in sterilem quendam Bœotiæ vicum deueni, in dexterâ Heliconis parte situm, quem Ascram olim indigenæ nominabant. Ibi & in Hesiodum incidi, (nam eius ibi gleba patria est) à quo certior factus sum, Musas ab Apolline in Olympum conuocatas esse.

Cap. II. Describitur Olympus mõs, & cum Principibus scientiá claris cõparatur.

NOndum totum sciscitatus fueram, & ne salutato quidem Sene, aut ocio ad scalpendas aures sumto, vt qui ingentem thesaurum reperit, illicò digressus, Thessaliam petiui. Confirmauit persuasionem meam, quòd audieram, Olympum altitudine nubes, niuesque, & hyemes superantem, omnique imbrium contumeliâ excelsiorem, ac sereno semper vertice, quidquid est iniuriarum, ridentem, aptissimum Musis domicilium præstare posse. Et sanè hæc, vti narrabantur, ita esse comperi; postquam in rem præsentem veni. Siquidem, vt in excelsas PRINCIPVM mentes, nec fulmen eò vibratur, nec fulgur minatur; non nimbus excutitur, non grando rotatur; nebulæ nullæ serpunt; neque venti, nisi cicuratis viribus, temperataque in lenem auram vehementiâ pertingunt: vt prorsus perpetuo ibi vere gratior eat dies, & soles melius semper niteant. Et quæ dicendi gratia exprimere

mere ſatis loci huius gratiam poſsit? Viget aſsidua ſecuritas, fulget conſtans ſerenitas, floret æterna tranquillitas. Cum enim nemo ſit vllus, qui, vt dixi, eo loco viderit, nubilis labantibus pluuias fluere, ventos flare, grandines increpare; vel nimbis collidentibus tonitrua mugire; vel accenſo aëre fulgura rutilare; vel diſruptis nubium compagibus, fulmina præmicare; candeſcunt tamen omnia ſine niuibus, vireſcunt ſine imbribus, clareſcunt ſine ignibus; quia ditiore commeatu, naturę præſtantia, (quę ſibi nuſquam largiùs indulſit) Phębique beneuolentia prouidit ingenio loci. Quid mirum? nuſquam Phębus ędificare ſplendidiùs debuit, quàm vbi toties ipſe cum Muſis voluit, oblectationis cauſsâ, diuertere. Liberalem illi alibi licuit eſſe: hîc magnificentia exigebatur, vt dignum habitatore domicilium aſſurgeret. Hęc omnia circumſpexi, & laudaui eos, qui altos illos Heroum ſpiritus cum altiſsimis montibus comparauerunt. Qui enim longo vſu combibit militiam, *qui*, vt Tacitus ait, *plures per prouincias ſtipendia expleuit*, ita vt, Tullio ſubſcribente, *nullum genus belli ſit, in quo illum non exercuerit fortuna*; is ipsâ cognitione ſublimis, tanquam mons aliquis ſupra colles humiliores, ita ſupra alios eminet. Itaque *ſecundarum ambiguarumq́ue rerum ſci[illegible]s, eoq́ue interritus* inſtar Olympi, nec nimbos [illegible]c fulmina formidat.

Tacit. 3. Annal.

Cic. pro Manil.

Tacit. 1. Annal.

De-

Denique quia cogitatione humanarum rerum nubes tempestatesque semper transcendit, semper SERENISSIMVS est. *Nec temerè aduersa casuum reputat, quem*, vt Liuius loquitur, *fortuna nunquam decepit.* Olympus igitur est, ad quē Phœbus Musęq;, & omnis sapientia scientiaque libenter diuertit. Cur & ego igitur hodie Musas in tam Elysijs Olympi campis non reperiam?

Liu. lib. 30.

Ita est, splendida splendidè decipiunt. Nam cum nihil certius esse crederē, quàm Musas in tam optabili scenâ Olympi degere oportere, circumspectis omnibus, nihil seciùs reperi. Iamque coquebam in animo salsissimam satyram, & acutissimis cogitabam thyrsis Hesiodum configere, qui nimium aceti in pectore haberet, mendacissimaq; humanitate, mihi trium iugerum nasum fecisset, erroribusque meis egregium colophonem addidisset, cum diceret, Musas eo anni tempore in Olympum commigrasse. At non Hesiodi ludificantis ioco, sed meâ ipsius inconsideratâ properatione accidit, vt errarem. Sic nimia festinatio nonnunquam ipsâ sibi celeritate moras gignit. Hesiodus enim Poëticè mecum locutus erat; apud Poëtas autem, cum Olympus nominatur, Cœli indicium est. Cum enim Olympus mons sidera ipsa contingere videatur, à cœli viciniâ nomē suum honestauit. In cœlo ergo Musas esse, non in illo, quem

ego

ego ſomniabam, Theſſaliæ monte Heſiodus indicauit.

CAP. III.

Aduerſarij ſcientia male vſi, euectiq; Bellerophontis ritu, ex alto ceciderunt.

ID autem tum demùm perſpicuè intellexi, cùm ad alterum Olympi montis latus infelicem illũ *Bellerophontem*, haud ſatis noui, quo modo ex Aleio campo huc translatum reperi, confractis miſerandum in morem cruribus, immò omnibus per ſaxa cautium membris fœdè iactatis atque diſsipatis, ipſiſque adeò laceratis viſceribus, alitibus beſtiiſque obuium ferentem pabulum. Cui in id ſolùm vocem relictam credo, vt plangere pariter ſuum dolorem, œſtrumque, quo percitus nimis alta petiuit, & meum mihi gaudium oſtendere poſſet. Is enim denarratâ miſerabili ruinâ, & quanti ſibi Pegaſo conſcenſo, per tot hiſtorias litteraſque ad eloquentiæ, eruditionis, & plus quàm Punicæ calliditatis nomen iſſe, alioſq; quà cõſiliis, quà dolis vel ad exitium incitaſſe, vel ad vindictam irritaſſe, conſtitiſſet; exertè docuit totum Muſarum Gyneceum admodum nuper (incertum qua de cauſâ) ex hoc monte, in pictiſsimè ſtellatum illum Olympum euolauiſſe. Nam hinc viam breuiſsimam, & ferè ſolis Diis conceſſam, ad cœlum ducere. Inalbeſcunt ad hunc mihi ſermonem labra, & recenti deſperatione iterum percuſſus animus, pœnè execrari cœpit fugaces Muſas; cùm

me Bellerophon iam iam in innocuas quoq; Deas asperè locuturum, occupauit: Scio, inquiens, quæ tibi huc veniendi causa; & vtinam tam mihi ipse certò succurrere possem, quàm tibi nũc licet; breui vtiq; temporis interuallo afflictum corp⁹, quod dudum cogito, membraque deartuata in integrum restaurarem.

Pauci fluxerunt dies, cum Dearum lætissima, *pennigera* inquam illa *Victoria* ad notum BAVARIAE ELECTOREM denuò contra nostras belli reliquias ruuandum, è cœlo missa in hoc primum monte pennatam nauim appulit: quæ hàc transiens, ad me de viâ diuertit, cruciatumque meum familiari scilicet alloquio solata; immo amarissimo risu prudentiam illam meam meorumque detestata, sine vlla tergiuersatione dixit, consilia nostra, quantumuis tortuoso astu munita; omnia tamen in ventos abitura. Nihil enim, omnia cernentis oculum posse fallere: nullamque vim maiorem esse, quàm diuinam. Lætissimis hæc ego auribus accepi, & de lætitiæ fonte cantus mihi non iussus manauit iste.

Iam semel impietas Calui collapsa iacebat;
Victa volens iterum surgere, Bis cecidit.
Exitia ergo sui desperatissima regni,
Tertia si quærit; tertia bella paret.

Ego

CAP. IV.

Pegasi in terras descensus, vsus, & significatio.

EGo porrò quid faciam? qui vel in victoriâ, tanquam in speculo aut tabulâ luculentum PRINCIPIS honorandi exemplum inspicio? Musas illi sine Musis offeram? Quod igitur, subiungit Bellerophontes, tibi longè acceptissimum futurum reor, tandem vel coactus tanti VICTORIS laudibus accedam, viamque monstrabo, quà ad Superos, & ad ipsas adeò Musas facilè emerges. Victoria, ne pugnam illam negligeret, sed vt dimicantibus matura adesset, non solito more in terras deuolauit. Verùm quemadmodum olim Clœlia virgo, vna de Romanis obsidibus, è castris Hetruscorum profuga, custodésque frustrata, vt inter tela hostium Tiberim tranaret, equum gnauiter inscendit, facinore equestri statuâ digno; ita noua Clœlia ista ad terras Pegaso se vehens, equestri celeritate, & quadrupedi cursu, volucrique pernicitate est delapsa. Atq; ipsa quidē à me hinc digressa, rectâ castra petiuit. Pegasum autem in pabulum misit; qui nunc quoque per Olympi iuga herbas & gramina sectatur vagabundus. Et quantum domesticus testis ex Aruspicinâ conijcio, aliud nihil expectat, quàm sessorem. In hunc vsum pectinatam capitis iubam, tam decenter splendentibus vmbilicis adornauit, frontémque priùs neglectu crispatam, tam concinnè discriminauit, & caudæ setas antè incuriâ congestas, atque horridas, cunctâ diligentiâ

Liuius lib. 2.

perpoliuit; bullísque multis aureis inoculatus, veluti stellis sidereis relucet. Aliud ergo nihil desiderat, quàm vt, vel celeritate consiliorum operúmque, Pegaso magnam gloriam allaturus VICTOR dorso eius imponatur; vel VICTORIS nomine quispiam eum conscendat, fideliorem experturus operam, quàm Phryxo supernatanti aries; Arioníque supercubanti delphinus olim præstiterint. Videbar mihi, dum hæc Bellerophon loqueretur, iam à vicino Castalio equo non nihil succi trahere. Igitur vena Poëtica ita stillauit:

Ænigma est; AVIS HINNIENTIS, ESSE
SESSOREM. Id potes expedire, PRINCEPS,
Si velis onus esse Pegaseum,
Et celsis eques euolare pennis.
Tecum Pegasus ibit inter auras;
Et nouo nouus hospes in Theatro
Auriga vno equitans, volansq́ dorso,
Augebis pariterq́ equos auesq́.
Cur calcaria Pegaso negantur?
Velis inter Aues Eques videri;
Velis iuxta Equites Auis videri.
Est velox tibi dextra, habetq́ pennas,
Quidquid vel cupis ipse perpetrare,
Vel rebellibus imperare turbis.
Ergo eques potes esse, Pegasumq́
Solus vincere, solus aut domare.

Certè

Certè dignior hanc auem caballum,
Nullus vincere, nullus est domare:
Quàm qui vincere aues malè hinnientes,
Caballósque *domare scit* volantes.

CAP. V.
Lapsu aliorũ nos doctiores euadere.

AT quid canendo & tempus & me fallo? Non enim hoc est ad Musas ire. Excipit Bellerophon. Docebo igitur quatuor verbis, quemadmodum ad illas ire possis. Pegaso tibi vtendum est. Nimirum tuos mihi codicillos, inquam ego, hoc est, Bellerophontis litteras tradis, in quibus meum ipse exitium portem. Nempe hoc non est Megaricum machinamentum? sub tuâ illâ *Furiarum camerâ* natum? Suspicabar dudum te verba mihi dare, quis enim à tanto doli fabricatore aliud expectet? Ergo non satis est tibi, propriæ incolumitatis naufragio Pegasum inaugurasse; etiam alios inuitas? Quasi ego tam fluxæ sim memoriæ, vt non recorder quę tute paulò priùs mihi de ruinâ tuâ narrasti? Quippe nisi Pegasum conscendisses, integro tibi esse licuisset. Verùm ita euenit, vt qui volare affectant, etiam ambulare dediscant. Me igitur non capies, alios quære, quibus insidieris. mihi optimum est, alienâ insaniâ frui, & aliorũ stultitiâ, sapere didicisse. Ad quæ Bellerophontes. Alia tua, quam mea caussa est, inquit. Ego secundis rerum successibus, supra mensuram elatus, in

ctaculo, in tutum me recepi, quà silua proxima sinistrorsus se flectebat. Diu per incerta vagatus, tandem in sterilem quendam Bœotiæ vicum deueni, in dexterâ Heliconis parte situm, quem Ascram olim indigenæ nominabant. Ibi & in Hesiodum incidi, (nam eius ibi gleba patria est) à quo certior factus sum, Musas ab Apolline in Olympum conuocatas esse.

CAP. II. *Describitur Olympus mõs, & cum Principibus scientiá claris cõparatur.*

NOndum totum sciscitatus fueram, & ne salutato quidem Sene, aut ocio ad scalpendas aures sumto, vt qui ingentem thesaurum reperit, illicò digressus, Thessaliam petiui. Confirmauit persuasionem meam, quòd audieram, Olympum altitudine nubes, niuesque, & hyemes superantem, omnique imbrium contumeliâ excelsiorem, ac sereno semper vertice, quidquid est iniuriarum, ridentem, aptissimum Musis domicilium præstare posse. Et sanè hæc, vti narrabantur, ita esse comperi, postquam in rem præsentem veni. Siquidem, vt in excelsas PRINCIPVM mentes, nec fulmen eò vibratur, nec fulgur minatur; non nimbus excutitur, non grando rotatur; nebulæ nullæ serpunt; neque venti, nisi cicuratis viribus, temperataque in lenem auram vehementiâ pertingunt: vt prorsus perpetuo ibi vere gratior eat dies, & soles melius semper niteant. Et quæ dicendi gratia exprimere

mere ſatis loci huius gratiam poſsit? Viget aſsidua ſecuritas, fulget conſtans ſerenitas, floret æterna tranquillitas. Cum enim nemo ſit vllus, qui, vt dixi, eo loco viderit, nubilis labantibus pluuias fluere, ventos flare, grandines increpare; vel nimbis collidentibus tonitrua mugire; vel accenſo aëre fulgura rutilare; vel diſruptis nubium compagibus, fulmina præmicare; candeſcunt tamen omnia ſine niuibus, vireſcunt ſine imbribus, clareſcunt ſine ignibus; quia ditiore commeatu, naturę præſtantia, (quę ſibi nuſquam largiùs indulſit) Phębique beneuolentia prouidit ingenio loci. Quid mirum? nuſquam Phębus ędificare ſplendidiùs debuit, quàm vbi toties ipſe cum Muſis voluit, oblectationis cauſsâ, diuertere. Liberalem illi alibi licuit eſſe: hîc magnificentia exigebatur, vt dignum habitatore domicilium aſſurgeret. Hęc omnia circumſpexi, & laudaui eos, qui altos illos Heroum ſpiritus cum altiſsimis montibus comparauerunt. Qui enim longo vſu combibit militiam, *qui*, vt Tacitus ait, *plures per prouincias ſtipendia expleuit*, ita vt, Tullio ſubſcribente, *nullum genus belli ſit, in quo illum non exercuerit fortuna*; is ipsâ cognitione ſublimis, tanquam mons aliquis ſupra colles humiliores, ita ſupra alios eminet. Itaque *ſecundarum ambiguarumq; rerum ſciens, eoq; interritus* inſtar Olympi, nec nimbos metuit, nec fulmina formidat.

Tacit. 3. Annal.
Cic. pro Manil.
Tacit. 2. Annal.

De-

Denique quia cogitatione humanarum rerum nubes tempestatesque semper transcendit, semper SERENISSIMVS est. *Nec temerè aduersa casuum reputat, quem*, vt Liuius loquitur, *fortuna nunquam decepit.* Liu. lib. 30. Olympus igitur est, ad quē Phœbus Musęq;, & omnis sapientia scientiaque libenter diuertit. Cur & ego igitur hodie Musas in tam Elysijs Olympi campis non reperiam?

Ita est, splendida splendidè decipiunt. Nam cum nihil certius esse crederē, quàm Musas in tam optabili scenâ Olympi degere oportere, circumspectis omnibus, nihil seciùs reperi. Iamque coquebam in animo salsissimam satyram, & acutissimis cogitabam thyrsis Hesiodum configere, qui nimium aceti in pectore haberet, mendacissimáq; humanitate, mihi trium iugerum nasum fecisset, erroribusque meis egregium colophonem addidisset, cum diceret, Musas eo anni tempore in Olympum commigrasse. At non Hesiodi ludificantis ioco, sed meâ ipsius inconsideratâ properatione accidit, vt errarem. Sic nimia festinatio nonnunquam ipsâ sibi celeritate moras gignit. Hesiodus enim Poëticè mecum locutus erat; apud Poëtas autem, cum Olympus nominatur, Cœli indicium est. Cum enim Olympus mons sidera ipsa contingere videatur, à cœli viciniâ nomē suum honestauit. In cœlo ergo Musas esse, non in illo, quem ego

ego ſomniabam, Theſſaliæ monte Heſiodus indicauit.

CAP. III.

Aduerſarij ſcientia male vſi, euectiq; Bellerophontis ritu, ex alto ceciderunt.

ID autem tum demùm perſpicuè intellexi, cùm ad alterum Olympi montis latus infelicem illũ *Bellerophontem*, haud ſatis noui, quo modo ex Aleio campo huc translatum reperi, confractis miſerandum in morem cruribus, immò omnibus per ſaxa cautium membris fœdè iactatis atque diſsipatis, ipſiſque adeò laceratis viſceribus, alitibus beſtiiſque obuium ferentem pabulum. Cui in id ſolùm vocem relictam credo, vt plangere pariter ſuum dolorem, œſtrumque, quo percitus nimis alta petiuit, & meum mihi gaudium oſtendere poſſet. Is enim denarratâ miſerabili ruinâ, & quanti ſibi Pegaſo conſcenſo, per tot hiſtorias litteraſque ad eloquentiæ, eruditionis, & plus quàm Punicæ calliditatis nomen iſſe, alióſq; quà cõſiliis, quà dolis vel ad exitium incitaſſe, vel ad vindictam irritaſſe, conſtitiſſet; exertè docuit totum Muſarum Gyneceum admodum nuper (incertum qua de cauſsâ) ex hoc monte, in pictiſsimè ſtellatum illum Olympum euolauiſſe. Nam hinc viam breuiſsimam, & ferè ſolis Diis conceſſam, ad cœlum ducere. Inalbeſcunt ad hunc mihi ſermonem labra, & recenti deſperatione iterum percuſſus animus, pœnè execrari cœpit fugaces Muſas; cùm

me Bellerophon iam iam in innocuas quoq; Deas asperè locuturum, occupauit: Scio, inquiens, quæ tibi huc veniendi causa; & vtinam tam mihi ipse certò succurrere possem, quàm tibi nũc licet; breui vtiq; temporis interuallo afflictum corp⁹, quod dudum cogito, membraqúe deartuata in integrum restaurarem.

Pauci fluxerunt dies, cum Dearum lætissima, *pennigera* inquam illa *Victoria* ad nouum BAVARIAE ELECTOREM denuò contra nostras belli reliquias ruuandum, è cœlo missa in hoc primùm monte pennatam nauim appulit: quæ hàc transiens, ad me de viâ diuertit, cruciatumque meum familiari scilicet alloquio solata; immo amarissimo risu prudentiam illam meam meorumqúe detestata, sine vllâ tergiuersatione dixit, consilia nostra, quantumuis tortuoso astu munita; omnia tamen in ventos abitura. Nihil enim, omnia cernentis oculum posse fallere: nullamqúe vim maiorem esse, quàm diuinam. Lætissimis hæc ego auribus accepi, & de lætitiæ fonte cantus mihi non iussus manauit iste.

Jam semel impietas Calui collapsa iacebat;
Victa volens iterum surgere, Bis cecidit.
Exitia ergo sui desperatißima regni
Tertia si quærit; tertia bella paret.

Ego

CAP. IV.

Pegasi in terras descensus, vsus, & significatio.

EGo porrò quid faciam? qui vel in victoriâ, tanquam in speculo aut tabulâ luculentum PRINCIPIS honorandi exemplum inspicio? Musas illi sine Musis offeram? Quod igitur, subiungit Bellerophontes, tibi longè acceptissimum futurum reor, tandem vel coactus tanti VICTORIS laudibus accedam, viamque monstrabo, quà ad Superos, & ad ipsas adeò Musas facilè emerges. Victoria, ne pugnam illam negligeret, sed vt dimicantibus matura adesset, non solito more in terras deuolauit. Verùm quemadmodum olim Clœlia virgo, vna de Romanis obsidibus, è castris Hetruscorum profuga, custodésque frustrata, vt inter tela hostium Tiberim tranaret, equum gnauiter inscendit, facinore equestri statuâ digno; ita noua Clœlia ista ad terras Pegaso se vehens, equestri celeritate, & quadrupedi cursu, volucríque pernicitate est delapsa. Atq; ipsa quidẽ à me hinc digressa, rectà castra petiuit. Pegasum autem in pabulum misit; qui nunc quoque per Olympi iuga herbas & gramina sectatur vagabundus. Et quantum domesticus testis ex Aruspicinâ conijcio, aliud nihil expectat, quàm sessorem. In hunc vsum pectinatam capitis iubam, tam decenter splendentibus vmbilicis adornauit, frontémque priùs neglectu crispatam, tam concinnè discriminauit, & caudæ setas antè incuriâ congestas, atque horridas, cunctâ diligentiâ

Liuius lib. 2.

 per-

perpoliuit; bullisque multis aureis inoculatus, veluti stellis sidereis relucet. Aliud ergo nihil desiderat, quàm vt, vel celeritate consiliorum operúmque, Pegaso magnam gloriam allaturus VICTOR dorso eius imponatur; vel VICTORIS nomine quispiam eum conscendat, fideliorem experturus operam, quàm Phryxo supernatanti aries; Arioníque supercubanti delphinus olim præstiterint. Videbar mihi, dum hæc Bellerophon loqueretur, iam à vicino Castalio equo non nihil succi trahere. Igitur vena Poëtica ita stillauit:

Ænigma est; AVIS HINNIENTIS, ESSE
SESSOREM. Id potes expedire, PRINCEPS,
Si velis onus esse Pegaseum,
Et celsis eques euolare pennis.
Tecum Pegasus ibit inter auras;
Et nouo nouus hospes in Theatro
Auriga vno equitans, volansq; dorso,
Augebis pariterq; equos auesq;.
Cur calcaria Pegaso negantur?
Velis inter Aues Eques videri;
Velis iuxta Equites Auis videri.
Est velox tibi dextra, habetq; pennas,
Quidquid vel cupis ipse perpetrare,
Vel rebellibus imperare turbis.
Ergo eques potes esse, Pegasumq;
Solus vincere, solus aut domare.

Certè

Certè dignior hanc auem caballum,
Nullus vincere, nullus est domare:
Quàm qui vincere aues malè hinnientes,
Caballósque *domare scit* volantes.

CAP. V.

Lapsu aliorũ nos doctiores euadere.

AT quid canendo & tempus & me fallo? Non enim hoc est ad Musas ire. Excipit Bellerophon. Docebo igitur quatuor verbis, quemadmodum ad illas ire possis. Pegaso tibi vtendum est. Nimirum tuos mihi codicillos, inquam ego, hoc est, Bellerophontis litteras tradis, in quibus meum ipse exitium portem. Nempe hoc non est Megaricum machinamentum? sub tuâ illâ *Furiarum camerâ* natum? Suspicabar dudum te verba mihi dare, quis enim à tanto doli fabricatore aliud expectet? Ergo non satis est tibi, propriæ incolumitatis naufragio Pegasum inaugurasse; etiam alios inuitas? Quasi ego tam fluxæ sim memoriæ, vt non recorder quę tute paulò priùs mihi de ruinâ tuâ narrasti? Quippe nisi Pegasum conscendisses, integro tibi esse licuisset. Verùm ita euenit, vt qui volare affectant, etiam ambulare dediscant. Me igitur non capies, alios quære, quibus insidieris. mihi optimum est, alienâ insaniâ frui, & aliorũ stultitiâ, sapere didicisse. Ad quæ Bellerophontes. Alia tua, quam mea caussa est, inquit. Ego secundis rerum successibus, supra mensuram elatus, in subli-

ſublimi ſolio me cum meis reponere volui, Deorum omnium ſuffragio palàm obnunciante. Cui autem vnquam ſucceſsit contra Deos pugnaſſe? Itaque Iuppiter immiſſo deſuper œſtro, non immeritum equo me excuſsit, & alta petentem, altè deiecit. Te autem Superi ipſi vocant; & in terras rediturus abis, vt non tibi ſed PRINCIPI tuo laborans, iure, PRINCIPIS nomine, tanquam bonis alitibus proficiſcaris. Monui iam priùs, me vel infortunio adactum vera loqui. Neque enim ſinit mendacem porrò eſſe calamitatis tantæ magnitudo.

CAP. VI. *Quàm longũ ad ſtellas iter dixerit.*

SEdata hinc mihi mens erat; ſed continuò quantum exhauſtum eſt, influxit, aliique ſubnati ſunt ſcrupuli. Nempe tu cochleam volare doces? inquam; Et quo enim modo, per tam immenſas aëris, cœlorúmque intercapedines, tantis temporum anguſtijs tranſibo? Audiſſe memini in Mathematicorum ſcholis, etiam grande ſepulchrale ſaxum, ſi de ſummo ſtellati cœli apice, ad hoc terræ punctum prolaberetur, nonaginta annis itineri conficiundo opus habiturum, etiamſi ſingulis horis ducenta milliaria conficeret. Immò didici, hominem, ſi bis mille annorum vitam prouiueret, & quotidie rectis lineis in altum, centum milliaria ſubueheretur, neq; vnquam in viâ interiungeret, tamen

tamen bis mille annis in itinere consumptis, necdum ad imum stelliferi orbis limen accessurum (bis mille enim annis tantum conficeret 73. milliarium milliones, cum hîc 80. conficiendi reperiantur) rursumque si post alios bis mille annos tantundem quotidie viæ voraret, tamen ab imo illius orbis podio, quam concauam eius partem vocant, ad summam eius caueam, quam conuexam appellant, non peruenturum. Denique post quatuor aut plura annorum millia, si quotidie tantundem eluctaretur; non tamen à stellato corpore ad summam illam Beatorum Cœlitum aulam promoturum. Quî ergò ego, tam modicæ vitæ homulus, de tam prolixà & prodigiosà profectione cogitarem? Nisi fortasse omnis Mathematicorum oculus & calculus hallucinatur. Nequaquam hallucinatur, ait Bellerophon; Sed nihil est ita mirabile, quod vel naturæ ingenium; vel artis industriam; vel Dei potentiam excedat.

Iliadémne neges nucibus? nos claudere nuper
Pomo vno totum cœpimus Imperium.

Cœpistis nempe, inquam, sed ita vt alius *Pomum* vestrum caperet; captantes capti. Qui hæc igitur, ait Bellerophon, quæ multi futura nunquam sibi persuadebant, iam facta fuisse vides: Crede & istud, quod promisi futurum. Non enim par est hominis & Pegasi celeritas, facilè in oculi nictu,

totum

totum hoc, quod vides cœli ſpatium, tranſiliet perniciſsima caballi alacritas. Atque dictis meis vt pondus fidemq́ue addam, ipſos inconniuos illos aſtrorum aucupes teſtes dabo; qui conſtantiſsimis vocibus affirmant, quadrupedem hunc Meduſæ filium, & alium quemuis è celeriore ætheris caterua, omni ſagittâ citiùs rapi. cùm enim ſagitta 40. diebus neceſſe habeat, ad totum terræ ambitum incitatiſsimo volatu implendum: ſtella vnius horæ termino, eundem bis millies obiret, ſi ſolitâ celeritate in eâdem viciniâ ferretur. Equo ergo te committe, & antè quàm cogitaſti, iam ad cœlum euolaſti.

Cap. VII. *Poëta Pegaſo inſidentis & Muſas quærentis error.*

CRedulì ſumus in rebus, quæ nobis arrident: nam & ego ſplendidis promiſsis annui; & equum circumſpiciens iam ſolùm ſollicitus eram, quis eum mihi caperet, frænoſque in manum daret? Non expectauit ſermonem meum Bellerophon, ſed interrogaturum occupans; Vno verbo, inquit, rem omnem confectam dabis, MAXIMILIANVM ELECTOREM illi nomina; mox vltro accurret, & tergũ tibi ſubijciet ſponte genua ſubmittens, quod Bucephalus Alexandro fecit, ſentiens, quem veheret. Dixerat, & quaſi iam audiſſet hæc nomina Pegaſus, clariſsimè hinniens, ad me aduolauit; plaudendúmq; poppyſmis dorſum exhibuit. Age igitur

Q. Curtius lib. 6. de geſtis Alexand.

igitur, generose sonipes, inquam, & noui Electoris seruulo hanc operam præsta. Adhuc vltima verba pronunciabam, & iam inter alas armosque Pegasi nouus & admirandus eques sedens, adductis imprudentius habenis, in æthera sublimis attollebar. Prius tamen, quàm se Pegasus alis in auras tolleret, silicem de terra sublatum, ore mordicus apprehendit. Quod ego interpretatus sum, aëris impediendi causa fieri, ne is nimia vi in equum irrumpens, animam illi discluderet. Tum subito supra nubes & humanam prudentiam euectus, ingenti curâ cruciabar. Ecquid enim immortalis equus contra aëris vehementiam, se tam solicitè munit; ego autem è cera compactus igni aërem superne vastissimo incendio obuallanti nullum adeo clypeum obtendo? Heu me miserum, terras deserui, vt flammas sectarer. Ergo non domi mori, aut in sepulchro in cineres abire licuit? Ergo hodie secundum fabulis Phaëthontem dabo. Quid si verò Philosophi de igne hoc falso somniassent. Ingens telum necessitas. Cogor pergere. Fortasse feliciùs finiam: quod malè inchoaui. In cœlum per q; ignes per q; aquas oportet irrumpere. Illuc

Principis *exemplo per tela venitur & hostes:*
Ac, vbi mille obstant, vi facienda via est.

Dico hæc talia, & iam vicinum mihi ignem esse, ipso calore propinquante, sentio. dumque anxius

in vtramque partem nuto; ecce tibi prouida Pegasi virtus, repentè conceptum ab ore silicem reuomit, & tantâ dexteritate proiectum sanè excussissimo calce ferit, vt nouum ex perstricto lapide humorem felix vngula, non tamen sine terrifico tonitru eliciat, tantaque circa percussum fulmen, riuumq; è vulnere prosilientem velocitate circumfertur; vt orbem Pegasus circumuolitando, ter impleret, antequam lapis celerrimo licet, fortissimoque ictu percussus deorsùm, ab eodem loco promotus videretur.

Pegasus Imbricitor fulmen pede soluit hiulcum,
Quæq; fuit lapidis vena, redundat aquis.
Unde secuta pedem, duris salit ignibus vnda,
Mitiaq; aduersum fulmina flumen agunt.
His ego tinctus aquis, his Pegasus ebrius vndis,
Ignibus in mediis, frigidus hospes erat.
Non credis? rectè. fuit iste Poëticus humor.
Non aqua, si posses credere, talis erat.

Interea & ignem propè emensi eramus, cùm ego, qui inter metum hunc securus fueram, in ipsâ primùm securitate & portu de capite oppidò quàm periclitari cœpi. Nam dum liquidissimam esse viam arbitror, atq; per inane illud omnis prorsus timoris expers feror, ictus sapere didici; nihil enim quidquā durius solidiusq; toto hoc itinere sum ex-

per-

pert⁹, quàm cœlum, quod sanè ferreum & occlusissimum inibi mihi reperi; & ceruicè antè, quàm illud fracturus eram, si progredi temerè voluissem. Sed nec Pegasus ipse amplius fræno paruit, credo quia iā tam monstroso saltu fatigatus, vel quia viā ipse tutiorem aptioremq; nouisset. Itaque quamuis fræhum mordenti & detrectanti imperium irasci libuisset, tamen à Pegaso in Bellerophontem se cōcitauerat bilis; qui nondum apud me extra telum suspicionis erat.

SEd Pegaso sponte suâ ad terras reuolante, & iam intra humidas nubes constituto, calor paulatim defæuiit, refrigerataque demum est mens penitùs aspectu Horti cuiusdam siti ad radicem montis, in quem me caballus meus deferebat. Cum enim capite ad trallucidum illud cœli marmor inclementi impetu alliso, propemodum sine cerebro redirem; habenas reluctantis Pegasi arbitrio permisi, qui ad Parnassum illicò suum postliminio reuolauit. Horti ergo ibi conspiciebantur, non quales Semiramidis, aut Phæacum, aut Adonidis, aut Hesperidum, sed quales omnino Musarum & Apollinis oportet esse; pleni Gratiis, & lepôre. Tametsi enim Musæ ipsę non erant domi; sufficere tamen poterat domus Musarum, hortusque tam multâ varietate amœnus. Nec deerant alię Nymphæ, vel ad custodiam horti relictæ, vel ab-

CAP. VIII. Hortus Musarum Bauarico Duci consecratus.

O 2 sen-

ſentibus Muſis loco occaſioniq́ue inſidiatæ. Nam & illis, poſtquam hoc violarum aurum, liliorum argentum, roſarum purpuram, aliorumq́ue florum gemmas; poſtquam tot Punicorum, Citriorum, Perſicorúmque pomorum ſyluulas; poſtquã garrulos iſtos de Caſtalio fonte riuulos, loquaculas illas de ramis arborum auiculas; poſtquam Labirynthos tam Dædalâ manu factos; longiſsiméque per ambitum excurrentes porticus, & oculi quantumuis præſtantis aciem fatigantes, ceteraſq́ue hortenſes illecebras ſunt conſpicatæ, rura nemoraq́ue illa ſua inculta poſt fuêre.

Ego quoque cum equo meo ibi non ignoto, haud grauatè intromiſſus admiranda vidi plantarum, aquarum, ſtatuarumq́ue artificia; muſicamq́ue audiui luſciniolarum, & Pſittacorum inter Hamadryades cantantium, nullo vnquam ſæculo viſitatam. Atque vbi propiùs attentiuſq́ue omnia conſideraui, deprehendi totum Parnaſſum à Muſis in cœlum abeuntibus in noui ELECTORIS GLORIAM eſſe verſum & conſecratum.

CAP. IX. *Apollo Banarum.*

INter apia adhuc verſabamur, & primus ſe ſe obiiciebat ingredientibus æreus Apollo, ſagittarum loco aquas altiſsimè in ſublime eiaculans: ſed & radij qui ſe ſe à capite illius diffundebant æternâ venâ rorantes imbrem vndique elegantiſsimum ſparſerunt. In quem Solis fulgor cadens, tantum ſplen-

ſplendoris imagini indidit, vt viuum Apollinem putauiſſes. Ad latus Apollinis affabrè itidem ex ære concinnata Victoria, coronas porrigebat accedentibus. Videbar mihi ad BOICVM ELECTOREM dicere poſſe, quod vetus Panegyriſta ad Conſtantinũ dixit: *Vidiſti, credo, Conſtantine, Apollinem tuum, comitante Victoriâ, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenûm ſingulæ ferunt omen annorum.* Et dicturiebam talia, cum arcano quodam motu ænea in me conuertit brachia Apollo, atq; inopinus, aquarum in me ſpicula direxit, nihilq; minus cogitantem largo imbre perfudit, hinniente Pegaſo, & velut ſimplicitatem meam ridẽte. Sed tantò illa erat maior, quia ab aue inſtrui habuit neceſſe.

Panegyr. Conſtant. 4.

Pſittacus propè aſſederat, virentibus, inter quæ ſederat, foliis, aurumque imitantibus pomis concolor, ita diſertus, vt vel M. Portio Catone cenſore quouis mancipio pretioſiùs venire poſſet, & vel Indis ipſis ſacer haberetur. Is humanæ linguæ ſolertiſsimus imitator, docere me cœpit, militarem BOII DVCIS ſcientiam eo Apolline indicari. Nam & DVCEM, ſub initium Bohemici belli, viſum aliò collineare, cum in Bohemiam iturus, militem ſurſum in Sueuiam miſiſſet; perque Danubium deſcenſurus, ferè ad caput Danubij caſtra collocaſſet. Itaque alios ab illo pluuiam timuiſſe, alios ſenſiſſe. Optimos vtique gladio eſſe, qui alium locũ oculis aſpiciant;

Ælian lib. 13. de Animal. cap. 18.

ciant; alium ferro tangant. Quare hac vnâ ferè arte Austriæ superioris rebelles tam facilè subactos esse, quòd antè militē in suis finib. haberent, quàm aduentaturum audiissent.

CAP. X.

Horti Bauarici horologia herbacea.

PArtem igitur tantum laudauit Chabrias, *optimos Imperatores esse dicens, qui res hostium notissimas haberent*; illud addere debuisset, *& quorum res hostes minimè notas haberent*. *Notissimas* porrò hostium *coniurationes, rebelliones, contumacias, arma clandestina, consiliaq. omnia* fuisse, ipsa Bellatoris prouidentia satis declarauit. Quam horti Musarum plātis quibusdam, buxo inclusis, & mirifico quodam ordine in nouam Mathesin dispositis expresserūt. Illic suis areolis virentes numeri nō solùm dierum horas inumbrati loquebantur; sed & anni tempestates, & siderum cursus, Lunæque & Solis labores, ac omne negotium Astronomorum, velut in ephemeridibus, exhibebant. In medio ipsi flores albi cæruleíque ita fuerunt sati collocatiqúe vt insignia BAVARICA referrent; addito heliotropio; quasi *Imperiali Pomo*. Circa hæc insignia limbus obibat ex thymo in litteras coactus, quarum iste erat sensus:

Stobæus serm. 52.

Vide Diariū Anno 1620. mense Iulio.

POLI FVTVRA NOVIT, IGNORET SOLI?

CAP. XI.

Horti Bauarici fons Castalius, & ad eum Nympharū inuitatio.

QVo modo ignoret autem? qui solus nouit, quidquid nouerunt omnes? nam illi doctus

est,

est, quisquis illius caussâ doctus est. Quanquam enim immensa in PRINCIPE hoc, & vel hostibus formidabilis sapientia est, nequaquam tamen consilia respuit, sed requirit. Est enim & hæc scientiarum non vltima, *scire, etiam alios aliquid scire*: & vt Tullius docuit, *parui sunt foris arma, nisi sit consilium domi*. Cic. 1. offic. Itaque ad rem hanc & velut confluxum consiliorum significandum, lacus erat in parte horti alterâ pellucido humore plenus; vt transparerent tanquam per purissimum vitrum & lapilli & pisces (quorum sanè magnus numerus, & rara magnitudo decorque fuit) & quidquid per modum corallij, aut herbarum sub vndis aut fluitabat, aut fluitare videbatur. Hic lacus ripâ coercebatur saxeâ; sed ita dissimulanter elaboratâ, vt ars naturam, & natura artem æmularetur. Huic ergo seu ripæ seu rupi sexcentæ in orbem serpentium imagines superiacebant, aquam totidem fistulis ex ore in lacum seu piscinam eiaculantes. Sed præ omnibus visu dignum fuit caput in summo ripæ constitutũ, ex quo solo ad prodigalitatẽ vsque, magno impetu penè totũ flumen aquarum in sublime euectũ prosiliebat. Et quidem ipsâ vi proiectas in altum aquas testudinante, quoties Sol ex aduerso incidisset, iris roscida per arcum curuabatur, tot coloribus distincta, vt ne nubes quidem aliquid pictius oculis vnquam ostenderint. Nullo interpretamento o- Cic. 1. de Legibus.

pus

pus fuisset; & tamē interpretationem clarissimam reperi. Eminebat ex medio lacu pulcherrima insula florido gramine vestita. Insulæ cor Palma erat procera & tenera, qualem se in Delo vidisse Homericus Vlysses dicit; palmæ appensa tabella, hæc monebat.

QVOT SERPENTES, TOT SAPIENTES; ET PLVRA CONSILIA, QVAM ORA: SED SI SCIRE CVPIS, VNDE COPIOSIVS SCATVRIANT, CAPVT ASPICE.

His lectis, Bonum omen! exclamo. nam caput istud Dearum nuncia Iris, fœderum & pacis signum, coronat. Sed neque te, PRINCEPS, quisquam satis laudauerit, qui cùm ipse tibi sufficias, tamen & alios interrogas; & dū doctos cōsulis, doctos facis. Quisque enim se litteris ornat, vt te consilijs possit. Hoc est de Musis bene mereri. Quas vtinam in Parnasso hoc reperissem, vtique grandius aliquid sonaturas! Sic mecum ipse & cum caballo meo loquebar; & tanquam si Musæ mei misertæ legatum misissent, ita *lux volucrum*, Psittacus ille *Eoæ plagæ* viridis *regnator* Palmę aduolauit, & extimo insidens ramo, vbi iactato in vtramque partem capite circumspexit, sibilo signum dedit. Agminatim ad signum hoc diuersi coloris Psittaci vndique sunt congregati. Alij quidem toti albi, quales apud Æthiopes esse dicuntur; alij rubri purpureique aut scutulati, quales in Brasilia & Molluccis reperiun-

Scaliger. Exerc. 59. 2.

riun-

riuntur.: alij toti cęrulei aut cinericei, vel omnigenis coloribus aspersi. Poëtarum animas esse credidissem, si fuissem Pythagorçus, ita suaues canere versus orsi sunt hi oscines, toto reliquo monte silulisq; resonantibus. Versus eiuscemodi fuerunt

Ex Io. Iouian. Pont. lib. 1. de Hortis Hesperidum.

Vos ô quæ liquidos fontes, quæ flumina Nymphæ
Naiades colitis, quæ florida culta Napææ,
Deliolosq; hortos, & littora cognita Musis,
Quæ colles Baccho lætos, flauentiaq; arua
Messibus, ac summi curatis rura Vesevi,
Quo solem vitetis, iniqui & sideris æstum;
Hac mecum placidâ fessæ requiescite in vmbrâ
Gratorum nemorum, Dryades dum munera BOIO
DEBITA, *dum magno texunt noua serta* TRIVMPHO,
E molli violâ, è ferrugineis hyacinthis,
Quasq; fouent teneras Sebethi flumina myrtos.
Vos gelidi fontes, genitalis & aura Fauonij
Inuitant, vos cæruleo quæ littore pictæ
Nereides, varias ducunt ad plectra choreas,
Et nudæ pedibus, fusæq; ad colla capillis.
En ipso de fonte, & arundine cinctus, & alno
Frondenti caput, ac vitreo SIMVL ISARA *ab antro*
Rorantes latices, muscoq; virentia tecta
Ostentans, placidas de vertice suscitat auras,
Queis Solem fugat, & salices defendit ab æstu.
Ergo agite, & virides mecum secedite in vmbras
Naiades, simul & sociæ properate Napææ,

 Quæ-

Quæque latus Tyrio munitis Oreades arcu.
Non hîc Pierij cantus, non carmina desint,
Aduentante DVCE: EXCELSIS *en collibus offert*
SE NOVVS ELECTOR, *agite assurgamus eunti,*
Et Dominum comitemur, opacâ & rupe sedentem,
Et rore Idalio, & Syrio veneremur odore,
Insignem PALMA, *& stellanti ad tempora serto.*

Cur palma victorib. tradatur, vide Gellium. lib. 3. cap. 6. Plin. lib. 16. c. 42. & Plutarch.

CAP. XII. *Nympharum conuentus ac tripudium, Musarumq; Ingolstadiensium incrementum.*

FLoribus legendis plectendisquê corollis occupatæ Nymphæ, hac voce inuitatæ, magnâ celeritate in insulam traiecerunt: aliæ quidem lembo vsæ, aliæ autem tam leui celeriquê pede per aquæ summa currentes, vt nec *æquore plantas* tingerent: aliæ natatu se appulerunt. Pulcherrima arbor; pulcherrima insula; pulcherrimus chorus. Nec desiderabantur instrumenta Musica. nouæ Musæ videri potuissent. Ibi ergo vna Hamadryadum longè supra ceteras eminens, Vtinam Musæ ipsæ coram adessent, inquit, aures illas PRINCIPIS, tot buccinarum, sclopporum, tormentorúmq; bellicorum strepitu diu fatigatas, digno cantu oblectaturæ. Facturas id eas tantò promtiùs arbitror, quãtò non solùm ædificata sibi iam splendidiùs varia ab hac manu Lycea conspexerunt; sed etiam ædificanda, aut in nouum splendorem danda sperant angulosa illa & ipsâ senectute fatiscentia. Intellexi, quorsum loqueretur, & adhinnijt verbis illis ipse

Pega-

Pegasus, quo me vehebam, nouarum scilicet sediũ spe lætus. Ego autem tantum Musarum fautorem, & eruditorum Mæcenatem ac Patrem sic compellaui.

O te felicem, PRINCEPS, quo bella gerente,
Nulla nouem metuunt bella gerenda Deæ!

Fateor Ciceronem dixisse, *Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illicò nostræ conticescunt.* quod si ita est; cedet, opinor, forum castris, otium militiæ, stylus gladio, umbra Soli. *Cic. orat. pro Muren.* Aliter se res habet in BAVARIA. Mars feruebat, & Pallas non languebat. Clamabant litui & tubæ, & non tacebant litteræ ac scholæ. Implebantur pariter & castra milite, & Lycea auditore: ita vt nunquam aut in Philosophiâ numerosiores *Magistri*, aut in illis altioribus studiis plures crebrioresq; creati legantur *Doctores*. Neque enim parum est vidisse, vno die nouem, qui *Doctorum* laureâ insigniti ab eadem Academiâ prodirent: qui numerus ante paucos annos vel Philosophiæ magistris suffecisset. Vsque adeò nec *forum castris*, nec *otium militiæ*, nec *stylus gladio*, nec *vmbra Soli* cessit. Nempe vno PRINCEPS oculo Bellonam, altero Mineruam aspexit. Quid dicam, prouidissime ELECTOR? quo tempore omnes Academiam nostrã dilapsurã augurabũtur, aucta est; & inde incrementũ cepit, vnde alię fuerunt vulneratę. Nam Altorfio, Haidelbergâ, Tubingâ aliisq; aut mi-

nus securis aut sibi magis metuentibus locis, magno numero Musæ suos pullos huc in Ingolstadiensem Academiam, velut in asylum, & in tutum migrarunt. Amplissima scilicet illa virtutis felicitatisque tuæ fama eâdem catenâ frequentes ad castra Musarum, quâ ad castra Martis attraxit. Vix mihi credent, qui non viderunt; sed quia nimis sunt multi, qui viderunt, hodieque vident, etiam absq; illis, multitudinem, ad lectiones, disputationes, actusque publicos confluentem, testium numero victi credere cogentur, Academiæ nostræ scholas non fuisse amplius tot Auditorum capaces. Stantes scribere, in fenestris & gradibus ipsis sedere, & quod nec standi quidem, aut ita miserè sedendi locus esset, plurimi quotidie excuneati discedere impasti debent. Ita nimirum non qui discere velint, sed vbi discere possint, locus deest discere cupientibus. Sic sub tuâ famâ, nostra creuit Academia. Vel igitur famam tuam contrahe, vel Academiam nostram ampliorem redde, si vis famæ tuæ capacem esse: intra has angustias, nequit GLORIAE tuæ immensitas porrò contineri.

CAP. XIII. *Nymphæ Principi accinunt.*

DIxi. Interea Dryades, Napeę, & Nereides, supra omnes Alexandrinos rerum Musicarum peritę, instrumenta sua in dulcissimi acroamatis concentionem aptauerant. Post Apollinem

enim

enim & Musas Pierides, nemo magis peritus est artis Musicę. Neque fidibus tantùm sciunt aut citharâ, cui Nympharum minima quęque ita est assueta, vt etiam illos chordarum errores celerrimè peruideat, qui apud indoctas aures, pro elegantiâ habentur; sed etiam tibiarum sunt admodum gnarę. *Nec earum solùm, quæ virgineæ puerilesque vocantur, sed & earum, quæ dicuntur viriles, perfectæ & ampliores, citharisteriarumque & dactylicarum. Nouerunt & diopos & musocopos quique hypotreti appellantur:* itemque *hemiopos*, gratum Anacreonti oblectamentum. Buxeę autem illę Phrygum tibiæ quotidianum aliquid illis sunt; vt & arundinum fistulę cerâ compactę. Athenæ. lib. 4. cap. 24.

Talibus ergo armis instructę arborem cinxerunt; circa ipsam palmam de palmâ certare gestientes. Nempe non ignarę Terentiani illius

— in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractat Musicam. Teręt. in prolog. Phormionis.

Nec diu deliberatum est de canendi argumento. Conuênit inter omnes illud factum potissimùm nunc voce humanâ fidiumq; cantu esse celebrandum, quo & PRINCIPIS erga Musas amor ac cura, & Musarum vicissim in PRINCIPEM emolumentum declararetur. Nam ex Musarum quoque castris emolumentum, immò & milites prodire, multę nos historię docuerunt. Et vel ipsum Solonis contra Me-

Aelian. lib. 7. cap. 19.

garenses strategema. Quippe *Solon in bello de Salamine suscepto, ducem egit: & captis duabus nauibus Megaricis, duces Atticos in eas imposuit, atque hostium arma suis militibus induenda dedit: sicque dolo traijciens, per insidias multos Megarensium circumueniens inermes trucidauit.* Recteque idem auctor, qui hoc Solonis factum in litteratorum laudem commemorauit, alio loco scribit; *An verò non fuerunt bellandi periti etiam Philosophi? Mihi sanè videntur. Siquidem Archytam sexies ducem elegerunt Tarentini. Melissus verò classi præfuit. Socrates ter in militiam profectus est. Plato etiam ipse fuit in oppugnatione Tanagræ & Corinthi. Xenophontis autem militias & imperatorium munus cum multi alij descripserunt, tum etiam ipse de se fatetur in libris de Cyro. Dion item Hipparini filius Dionysij tyrannidem euertit, & Epaminondas Bœotarchus ad Leuctra missus, superauit Lacedæmonios, & tum inter Romanos, tum inter Græcos primus fuit. Multa etiam pro Atheniensibus in republ. confecit Zenon, contra Antigonum. Nihil enim interest, siue quis sapientia & consilio, siue armis alios iuuet & promoueat.*

Aelian. lib. 7. cap. 14.

Aubertus Miræus in commentario de bello Bohemico.

Matthia Cæsare & Ferdinando Bohemorum Rege, Viennæ agentibus, Carolus Gonzaga, Dux Niuernensis, & alij septemdecim primariæ notæ heroes, in aula tunc Cæsarea versantes (quos inter Germani, Galli, Poloni, Hungari, Itali, aliarumque nationum proceres fuere) Ordinem Equitum militiæ Christianæ, sub patrocinio

SS. Deiparæ, Michaëlis & Francisci, contra Turcas & alios nostræ Religionis hostes, ante biennium instituerant. Præclarum hoc institutum Ferdinando tunc Imperatori, Philippo Hispaniæ, Ludouico Galliæ, Sigismundo Poloniæ, Regibus, Alberto Belgicæ Principi, Maximiliano Bauariæ Duci, Ecclesiasticis S. R. I. Electoribus, alijsque Principibus probari; Gregorius XV. Pontifex Maximus cum intellexisset, illud ipsum diplomate typis Romæ edito comprobauit.

CAP. XIV.

Ingolstadiensium studiosorũ erga Principẽ affectum.

MEministis, ACADEMICI PATRES, seu hoc exemplo, seu quod verius est, propriâ indole & veræ honestatis cognitione in scholis haustâ, *Illustres, Generosos & Nobilissimos* quosque Academiæ nostræ iuuenes, clarissima illa ingenia nouo quodam more excitata, sicut ad Palladis, ita & ad Martis studia feruidis vocibus profitenda. Pręterquam enim, quòd tot masculos bello animos Academia nostra submisit, vidistis etiam Anno 1620. inter ipsos parietes vestros, & adeò inter ipsos etiam libros clypeatam virorum segetem exurgere. Quàm enim, obsecro, tum omnium animus ad prelium, manus ad gladium erat intenta! Signa non habuerunt, & tamen ordinem non deseruerunt. Nulli adhuc duci iurauerant, & obedientiam plus quàm militarem pręstiterunt. Nullis tubis tympanisue ad arma conuocabantur, & noctu diuque instructissi-

ctiſsimâ acie proceſſerunt, non magnis haſtis, ſed magnis animis armati. Quid facturi erant, ſi inſignitum Iuone, Coſma, Damiano, aut Catharinâ ſuâ vexillum ante oculos volitare vidiſſent? aut ſi ſacramento ſe militiæ obſtringere permiſsi eſſent, qui ſolum impetum defendendi PRINCIPEM ſecuti, pugnæ ſe vulneribúſque tam ſitienter conſecrarunt, per ipſam mortem ad belli laudem ituri? Nimirum & Macedonico Aſturconi, præſtantioribúſque equis, cum tubæ clangorem exaudiunt, illicò totus circum præcordia ſanguis gliſcit, & aures ambæ extemplò cacuminantur; ſic illi, qui minimè indolis marcidæ atq; effeminatæ non Paridẽ, ſed Hectorem in pectore portauerunt, cor ſibi impendio vehementiùs ſalire ſenſerunt, quamprimùm de bello, pro libertate, pro vitâ, pro patriâ ſuſcipiendo audierũt. *Sic Leonides Lacedæmonius, & vnà cum ipſo trecenti viri ad Pylas mortem vaticinio ſibi denunciatam ſubterfugere noluerunt: & pro defenſione Græciæ ritè ſtrenuéque pugnam facientes, glorioſum finem ſortiti ſunt, ac perpetuam ſibi gloriam & nomen clariſsimum reliquerunt.*

Aelian. lib. 3. cap. 25.

Et fuerunt ſanè etiam hîc trecenti ætate iuuenes, virtute viri, qui, niſi prohibiti eſſent, pari facinore nomen ſibi tale parere voluiſſent. Verùm quoniam id neque belli neceſsitas exigebat, neque libris deſtinata ætas, aut Muſarum vtilitas permittebat;

tebat; ſapientiſsimè tu, Artiũ Scientiarũq; æterne Patrone, maluiſti *volonibus* iſtis non vti, vt illi libris ſcholiſq; liberaliùs vterentur. Præmio enim non pœnâ eſſe dignos cenſuiſti, quamuis intempeſtiuis deſideriis ſeruire geſtientes. Pœnam autem eſſe à litteris iuuentutem ſeuocare, & quidem pœnarum grauiſsimam, quamuis ipſa iuuentus nõ agnoſcat, improuida futuri; ipſi tamen parentes ſatis intelligunt. Quod vel Polyhiſtor ille Mitylenenſium exemplo perſpicuè docuit. Nam *cùm maris imperiũ tenerent Mitylenenſes, ſociis, qui deſciſcebant, hanc pœnã impoſuerunt, vt liberos ſuos non docerent litteras, neq; artes liberales, omnium ſuppliciorum hoc grauiſsimum iudicantes, in inſcitiâ, & ignorantiâ artium liberalium vitam tranſigere.* Aelian. Var. hiſtor. lib. 7. cap. 15. Magnas igitur PRINCIPI veſtro gratias debetis, iuuenes, qui à militiâ ſuâ vos tantiſper excluſit. Noluit vos ignorantię ſupplicio afficere, quos omnium ſcientiarum artiumque liberalium præmio dignos iudicauit. Itaque negando plus vobis, plus parentibus, plus patriæ conceſsit, quàm ſi bellaturis annuendo eruditionem negauiſſet. Hoc ergo argumentum percuſsis fidibus, tibiiſque conſonè animatis Nymphæ ſic cecinerunt.

Anglipolis pariter Muſarum aptiſsima ſedes
Et Marti ſacrata domus, quà fluctibus Iſtri
Obuenit, & rapido ſpumans obmurmurat amni.
Viderat æthereo cœli de vertice Pallas.

Tercentum Iuuenes, electæ robora pubis,
Pulucre de vario Boici prodire Lycei;
Et quanquam multis vacuæ lanugine malæ,
Et teneri vultus, & adhuc sua mater in ore,
Visa tamen manus illa fuit, quam apponere Martis,
Boiarico & patriis posset subiungere castris.
Ergo ciere animos, furiisq; incendere Martis,
Gradiuumq; Patrem posit a suadere Mineruâ
Ingreditur, dictis & áuentes talibus implet.
Magnanimi Iuuenes, quonam hæc ignauia pennæ,
Imbellesq; libri, nec vestrâ ex indole sudor?
Semper an ignauus digitis interstrepet Anser?
Et nunquam grauior calamus, nunquam altera canna,
Inq; humeros veniet bombarda? adeóne iacebit
Hæc virtus, lentâq; (nefas!) tabescet in vmbrâ?
Ergo impune ferent illi, tot corpora letho
Qui dederunt; vestris quòd pœnè incendia fulgent
Turribus, atq; omnis latè vicinia fumat?
Scilicet expectant dum mœnibus ingruat hostis,
Dum quatiat vallum, portisq; incurrat apertis?
Nec quisquam imbelles tener excusauerit annos:
Non ego tercentum Fabios, Spartanaq; malim
Agmina Thermopylis totum prohibentia Xerxem;
Sed neq; iuratam Thusca in diademata pubem,
Quam ferus ante focum cœpit Porsenna timere.
Quare agite & mecum matura in prælia promptas

Coniurate manus; nullum subduxerit ætas
Fortè minor; nullus minor est virtutibus annus.
Hæc ait, & Iuuenes dicentem pectore toto
Accepêre Deam; hinc intra præcordia cunctis
Bellator subitò caluit Deus; exul Apollo
Stat procul, & flentes fugiunt hæc agmina Musæ.
Arma illis, arma, arma placent; latus asperat ensis,
Hasta manum; claudunt humeros & tempora curuo
Ære, laborati pereunt sub caßide crines;
Annuus ille labos calamistri protinus atræ
Immoritur galeæ, atque unâ confunditur horâ.
Pro calamis cannæ, iamq; altera venit arundo,
Fistulaq; ex humeris aliud deducere carmen
Docta iacet; nigro violantur puluere vultus;
Fit Charitum fuga, nec iam ulli sua mater in ore est.
Sed belli fulsêre notis, formamque priorem
Mutauêre situ generosi Martis, & omnem
Protinus amisit vetus indulgentia vultum.
Ipsa dedit faciem Pallas, frontesq; seueras
Duxit, & heroum cunctis inscripsit honorem.
Iamq; acies stabat, qualem sibi fingere Mauors
Ipse velit Geticas fracturus cuspide gentes;
Et tum fortè istbic ter MAXIMVS ÆMILIANVS*,*
Boiariæ ductor patrias lustrabat Athenas,
Quasnam ageret fossas, quo vallo cresceret hosti,

Num longas potiùs FICVS, *quæ turribus extant?*
Talia solicito meditamine contemplantem
Circumstat noua turba Ducem; tunc ilicet vnus
Agmine de medio reliquis audentior infit:
Magnanime ô Princeps, cuius Sapientia Mundo
Succollans humeros lapsurum sustinet Orbem;
Romanasq; Aquilas veteri componere nido
Gaudet ouans; viden' vt dudum tibi dedita pubes
Iam Marti sacrata tuo, tua signa, tubasq;
Expectent? da bella auidis sperata maniplis.
Scilicet (heu Superi) cum tu claudare minaci
Casside, ferratusq; sones, nos fusa per vmbram
Agmina fœmineos nondum exæquabimus ausus?
Et nostra haud vnquam Tyrrhenus tempora circū
Clangor eat, mollisq; viris plus possit Amazon?
Omne simul tecum roburq; decusq; potentis
Boiariæ iustos pariter iurauit in enses,
Nos, miseri! steriles laudum damnamur in annos
Inuisi Superis, nos ardua gloria segnes
Præterit, & soli bona turba relinquimur vmbræ.
Quin, age, securus crescentibus vtere neruis,
Sume rudes animos, campoq; infunde patenti,
Inq; tuis liceat virtutem attollere castris.
Ne dubita, virides factis superabimus annos.
Audierat dudum iuueniliter exultantem
Magnanimus Ductor; Vnde hic pulcherrimus
ardor

O Iuuenes? teneroq́ vnde improba pectore virtus?
Vos bellis aptare manus? vos pondera ferre
Martis, & ensiferas inter volitare cateruas?
Atq́ age si vobis tanta est audacia belli,
Seruate hæc, dum maior honos, dum firmius æuum,
Dum nudis venit vmbra genis, vultusq́ recedunt
Implumes, iustæq́ aderunt in prælia vires.
Tunc forsan tunc tela egomet, tunc arma tubasq́
Ipse dabo, patiarq́ meis succedere castris.
Quanquam quid seris galeas promittimus annis?
Si mecum pariter ferrum spirabitis omnes,
Quis regat imperio gentes, populisq́ subactis
Iura det, & captas moderetur legibus vrbes?
Quis tandem vrbanas acies, Martemq́ togatum
Tunc gerat, & nostras sedeat Rhadamantus ad vrnas?
Si sibi Bistoniâ frondem decerpere lauro
Quisq́ velit, pulchrumq́ illo sub bacchare crinem
Ostentet, cui vestra dein ridebit Epomis?
Cui sterilem Phœbum, Musasq́ relinquitis orbas,
Et vacuum montem? sed tu malesuada Minerua,
Tu potes hanc gentem propriis auertere castris.
Vsq́ adeò tua te Gorgon, tumidusq́ Cerastes
Impulit? O tali nequicquam excisa cerebro!
Natalisq́ tui nimirum oblita! parabat
Plura dehinc Ductor, sed & illum plura parantē
Impediit fusæ circum acclamatio turbæ.

GLORIAE BELLICAE LIBER V.

DE GLORIA A PROGENITORIBVS CETERAQVE DOMO BAVARICA.

CAPVT I. *Psittacorum ingenium & cantus.*

Hic pausam fecerunt canendi Nymphæ. Ergo quasi in alternas vices iurauissent Psittaci, ita cantum cantui subtexuerunt, de arbore, deque choro suo respondentes. Verè ab Ouidio dictum,

Ouid. eleg. 6. lib. 2.

Non fuit in terris vocum simulantior ales,

Apul. Florid. & Martial. in Xeniis. Plin. lib. 10. cap. 42.

Siquidem *id quod dicit Psittacus, ita similiter nobis canit, vel potiùs eloquitur, vt vocem si audias, hominem putes. Suprà omnia namque humanas voces reddit,* & quidem prolixâ memoriâ indigentes. Neque inposterum credere dubitabo, si ad pudorem hominum desidiosorum & diuina nescientium legero; *Psittacus fuit Ascanij Cardinalis Romæ centum aureis comparatus nummis, qui articulatissimè continuatis perpetuò verbis Christianæ veritatis symbolum integrè pronunciabat, perinde ac vir peritus enunciaret.* Maiora audiui. Nam simul ac præcipuorum vnus, cuius *ceruicula circulo mineo velut aureâ torqui, pari fulgoris circumactu cingebatur*, pennęque virides smaragdi fulgorem hebetare poterant, distinctissimâ voce pręiuit, modósque incinuit; secuta est symphonia ceterorum,

Cal. Rhodig. lib. 3. Antiq. lect. cap. 32.

quę tam suauiter cecinit, vt ipsas Hamadryades, plura cantaturas, admiratione defigeret, silentiúmque regeret illius sexûs; cui alioqui difficile est silere. Igitur

Psittacus ille plagæ viridis regnator Eöæ, *Stat. lib. 2. Siluar.*
Quem non gemmata volucris Iunonia cauda
Vinceret, aspectu gelidi non Phasidis ales,
Ille salutator regum, nomenque locutus
Cæsareum,

vbi & nouo Electori suum χαῖρε dixit, insignia domûs Bavaricae in canendi argumentum sumsit. Commodum sanè argumētum loco. Passim enim in varijs horti angulis portisq; insignia illa oculis occursabant; & Musę ipsę, vt ex Psittacorū postea carmine collegi, festiuius se ornare cupientes, Bavaricorvm insignium colores induerunt. Sic enim smaragdina illa auis orsa est.

Cap. II. *Insignium Bauaricorū albi caeruleiq; color, in rhombos sectus laudatur.*

D*Vm dubitant, quali comant se cyclade Musæ,*
Instita quæ pauidam syrmate verrat humum;
Adfuit è Tyrio pretiosum vellus aheno,
Adfuit à picta serica palla colu.
Multa illam ambibat componere purpura litem,
Et ducta in tenues aurea fila togas.
Sed nec honos auro, nec honos suus adfuit ostro:
Nec placuit Musis iste, nec ille color.

Lætus

Lætus ouat PRINCEPS*, ergo mox* PRINCIPIS *illæ*
Vestibus, insignes exhibuêre notas.
Quòd si vna atque eadem Musarum & Apollinis aula est,
Iam nouus ELECTOR *Phœbus, opinor, erit.*

Hæc, in summo arboris ramo, primo illo moderatore ac Phonasco liquidissimâ voce modulante, cæteri Psittacorum, (sicut ij, qui choreis immisti alius hinc, alius inde mouentur) in partes secesserunt; candidis in vnam, cæruleis in alteram, alijs purpuratis, & virescentibus & multicoloribus in mediam ramorum seriem se transferentibus. Itaque distributis chori partibus, primo cantum finiente, illi cœperunt rami exsonare, quibus albi insederant Psittaci. Hi album in ijsdem BAVARICIS insignibus colorem, albo calculo dignum indigitantes, tali musicâ prosecuti sunt.

Threijcij questus, & lamentabile carmem,
Præfica luᴐificos condocefacta modos;
Tibia dextra, sinistra, & quidquid nigricat vsquã,
*Auferte hinc (*PRINCEPS *candicat iste) pedem.*
Candicat, vt tacito, quæ labitur æthere lana;
Candicat, vt pressâ, qui salit humor oue.
Quemcunq; ergò diem numerabit, candidus esto:
Quemquem annum ducet, candidus annus eat.
Stamina, quæ nebunt, sint stamina candida, Parcæ;
Nec nisi de penso nobiliore trahant.

Cumq;

Cumq́ laborabit squalorem obducere tempus,
Ipsa à canitie candidiora fluant.

Vraniæ chorus à diuersâ parte stabat, cæruleis alis eruditisq́; vocibus dudum applaudere gestiens. Et quem nisi proprium cœli colorem sumsisset celebrandum? Sic ergò in cærulum cecinit.

Suaue die mediâ, subtexto albentia cœlò
Nubila, Solari pænè micare face.
Sed simul ac radios Phœbus vehementior vrsit,
Transq́ vaporatas, se penetrauit aquas;
Continuò puri se regia pandit Olympi,
Regia inexpletis facta serena oculis.
Tenditur in teretem fornix pulcherrimus orbem;
Cæruleumq́ suprà nos laqueare rotat.
PRINCIPIS ergò huius, si quid mutauerit albor,
Quisquis succedet, cærulus esto color.
Et nos non albos tunc deniq́ flebimus annos,
Quando placent sudo nubila nigra polo.

Mediâ arboris regione eorum, vt dictum, agmen consederat, in quibus colorum mixturam fecit natura. Illi ergò cur candidus, cęruleúsque insignia BOICA distinguat color, ad hunc modum explicauerunt.

Et violæ bellæ sunt, & sunt bella ligustra;
Et violæ suauè, & suauè ligustra fragrant.
Sed quando alternâ seriè confunditur ordo,
Et geminos flores vna corolla capit;

R Tunc

Tunc melius violæq; micant, meliusq; ligustra:
Tunc & plus violæ, plusq; ligustra fragrant.
Cæruleus color hinc blanditur, & albidus inde,
Digestus scutis, DVX venerande, tuis.
Quem potuit tibi candorem tua terra propinat,
Alter quo veniat, prædicat ipse, solo.
Quàm melius veterem repetat modò Mantua ver-
Diuisum imperiũ, cum Ioue Boius habet. (sum?

Post hæc satis diu visus est sibi à laudando abstinuisse is, qui in apice Arboris constiterat: ordine ergo canendi ad se reuerso Rhombos, qui eidẽ clypeo Boico mixtis coloribus intercurrunt, attigit eiuscemodi epiphonemate;

Cum canimus magnum, Tellus tibi BOICA, BOIVM,
Sunt aliqui frustra, qui fieri ista putent:
Et nihil ad RHOMBVM *dicunt hoc esse: sed errant,*
Atque errare illos res manifesta docet.
Nam cum BOIA *domus* RHOMBIS *insignia nectat,*
Hoc BOIO *ad* RHOMBVM *nil magis esse potest.*

CAP. III. *Pomũ & Leonem insignibus Bauaricis meritò adiungi.*

CVm animum in tot carmina diuiderem, *Leonum, Pomiq;* oblitus, psittacus quidam cristatus multicolor, cui & sua circa oculos iris, & gemmæ in alis, & saccharum in voce, haud facilè dixerim, poëtarúmne leges, an ceteras sui generis aues ridere volens, tali fistulâ vsus est.

Quæ

Quæ prius Hesperidũ poma aurea præbuit hortus
Ecce habet in clypeo nunc DOMVS *ista suo.*
Illa tamen meritò nobis ablata fatemur:
*A*VREA POMA DVCES, NOS *decuêre* NVCES.

Nucibus delectari psittacos docet illud Ouidij: Nux erat escatibi, causaq; papauera somni.

Leonem alius cantare parauerat. Itaq; pręfatus: Meliùs hunc *leonem* immo hũc PRINCIPEM de psittacis meruisse, quàm illũ Romanorũ (Heliogabalũ intelligebat, vt ex Lampridio didicimus) imperatorem, vel etiam Apicium: quorum ille psittacis leones, pantheras, aliaq; animalia pauit; vterq; aũt, vt maiores in cœnis sumptus faceret, etiã capitib. psittacorum ac phasianorum ingentes dapes refertas Palatinis exhibuit. Romanum igitur imperatorẽ Apiciumq; psittacos occidisse, ne eũ salutare quidem possent, hunc aũt DVCEM & hortos apparasse, & ingentẽ laudũ siluã psittacis prębuisse. Harũ igitur laudũ vel partẽ aliquã se libaturũ. Quàm multa incipimus, quę ad exitũ non perducimus! Psittac⁹ gesticulantib. pennis, etiã hianti ore non cantaturus, sed iã cantare videbatur, solâ laudũ verborũq; copiâ sermonis principiũ dubiũ faciente, sonũq; morante; cùm ecce vox aliunde substituitur, rugientis altissimè leonis. Ad quã vocem vna vox fuit omnium psittacornm: MAGNVS DVX MAXIMILIANVS. Ita vndique exclamantes, & totum aërem implentes ad proxima siluarum diuerticula aufugerunt.

Vlyß. Aldrou. lib. 11.

Placuit mihi hæc vox longè præ illâ, quâ Hanno Carthaginensium Dux, itémque *Apsephas* seu *Psaphon* Rex Libyę diuinos honores fertur consecutus. Magnâ enim is ambitione captos Psittacos atque in vnum conclaue comportatos planè ac dilucidè canere docuit, μέγας θεὸς * Ἀψεφᾶς, *Magnus Deus Apsephas: Magnus Deus Psaphon*: mandauitque moriens, vt cauea Psittacorum disiectis fenestris patefieret: ex quâ prouolantes totam vrbem & agros eâ voce *Magnus Deus Psaphon* compleuerunt. Quâ arte & Psaphon, & Hanno Deus creditus est, atque templa immeritò consecutus. Postquam enim ad hanc scholę disciplinam loquaculis auibus consuetudo quoque accesit, quasi emeritæ manu missę, tandem & in siluas suas redierunt. Ibi cum diu diuque idem occinerent illæ, audirentque aliæ verba humana conari solitę, docuerunt pariter didiceruntque omnia nemora *Psaphonem* cantu in cœlum extollere, atque inter Deos collocare. Quàm longè modestiùs veriusque hi Psittaci, non solùm lucos sed etiam ramos omnes docebunt, MAGNVM DVCEM MAXIMILIANVM modulari?

* ψάφων.

CAP. IV. *Bauaria florentis gloria.*

HÆc apud meipsum reputanti mihi venit in mentem, non frustra Psittacos fugę suę latebras quęsiuisse. Stimulum timori addidit secundò

do rugiens leo: vt nequaquam ambigerem, illic voluptatis, isthic formidinis collegia esse, & ne parum dixerim, cœlum cum tartaro mixtum. Sed adhinnijt rugienti Pegasus, & me totâ voluntate in diuersa conantem ire, in eam ipsam, quamuis, post multos scopulos amœnam planitiem extra hortos portauit, in quâ rugitus oriebatur. Plena illa planities, pulcherrimis floribus tanquam stellis quibusdam oculos apta erat detinere, nisi aures aliud suasissent, & paulo post ipsi quoque oculi, inter blandientes flores metuendum animal cernentes. Nam per hos ipsos flores insignis quædam matrona frænato leoni insidens decurrit triumphabunda. Quantum tamen à leone metus, tantum à matronâ fiduciæ accessit. Etsi enim leo dentes in ore, matrona tamen habebat frænum in manu. Neque Pegasus meus alas amiserat, si res fugam exegisset. Nihil tamen grauissima matrona lætanti vultu tristeminabatur. Et quoniam spicis faciem inumbrabat, illa credi poterat Dea, de quâ vetus scriptor, *prima*, ait, *Isis repertas spicas capite circumtulit.* Nec paruus honos sic redimiri, cum spiceam coronam omnium primam apud Romanos in honore fuisse constet. Poterat & credi Iuno, cuius *Argis signum palmite redimitum, subiecto pedibus eius corio Leonino, insultantem ostentat de exuuijs vtriusque priuigni*, vt Tertullianus testatur. Talis matrona

Tertull. lib. de cor. mil. vbi Pamelius notat Cererê eandem fuisse, quæ Isis ab Aegyptiis dicebatur.

De spiceâ coronâ Plin. lib. 18. c. 2. Tertull. loc. cit.

illa credi poterat; sed *Bauaria* erat *florida illa tellus, fertilis omnium frugum mater; frumenti thesaurus, ager lætitiæ & pacis, Germaniæ Sicilia; leonum domitrix, degenerantiumque priuignorum iustißima insultatrix.*

CAP. V. *Domus Musarum Bauarica domus imago.*

BAuariam esse, vestitus dixit, & palatium in vicino, præcipuâ magnificentiâ eductum, notissimisque signis condecoratum. Erat ædes laxissima, cuius ne quidquam de elegantiâ prætereuntium incuria abstergeret, obiecti lapidei cancelli prohibebant. Muris cum maiestate eminentibus, creberrimæ altissimæque fenestræ, & pinnæ ad splendorem compositę adornauerant domum. Ædificium recenti artificio elegans, & tamen in ipsâ nouitate vestigia quędam antiquitatis exhibens, nihil aut ad famam, aut ad venustatem omittebat. Geminis magnis & quatuor paruis aditus erat portis. Ibi lato lunatóq; ferro terribiliter hastati excubitores; & adeuntium ingens numerus. Torquata procerum opulentia: pennata militum capita: secreta eruditorum totiusque curię taciturnitas. & quod pręcipuè mirandum inter tot turbas, summa quies, rarúsque Aularum incola Tranquillitas maxima.

Stabant ante fores gemini de more Leones,
Tota domûs facies ære, vel arte micat.

Hinc

Hinc Themis, & Librâ, & gladio metuenda mi-
Diuino hostiles territat ore manus. (canti,
Inde grauis Virgo Prudentia, quæq; dat ingens
Robur, & intrepidis Fortia corda viris;
Quæq; voluptates, & sæuas temperat iras;
Diua Palatinos excubat ante Lares.
Præcipuè ante alios radiat pulcherrima Virgo;
Virgo patrona hominum, Sponsa Parensq; Dei.
Hæc, vt Luna nitet; Phœbeæ lampadis instar
Filius, & radios dat tibi, Phœbe, nouos.
Vtrisq; accedit nocturno tempore lampas
Luminibus: sic fit tota SERENA *domus.*
Aes ipsum tales fusum se gaudet in vsus,
Ipse lapis tali gaudet inesse domo.
Dædala, prô Superi! ingenio, quo marmora ludunt,
Ars, credo hic statuam, collocat ipsa suam.
Ostia tam doctè ludunt, vt limina, tantâ
Ex arte, in lapides obstupuisse putes.
Quæ postquam aspexi, dixi, has, qui condidit ædes,
Iuppiter, aut similis debuit esse Ioui.

CAP. VI.

Cygnorum in Parnasso conspectorũ laudes.

NON libuit limen subire & statim in interiora irrumpere, sed insidentem leoni matronam secutus totam in ambitu domum lustraui, ipsâ similitudinis picturæq; specie delectatus.

Ex alterâ parte fossas reperi, piscinasque stagnantibus aquis plenas, & magnâ latitudine notabi-

tabiles. Duo etiam fontes inde, velut Atticam petentes, Hippocrene & Aganippe nomen loco defenderunt. In vnâ fossarum parte maior Cygnorum, quàm in Caystro numerus innabat; & erat numerus vsq; ad artem compositè concinnatus. Vnum enim corpore ceteris proceriorem, plumísque multò candidiorem, velut acie factâ, ceteri stipabant euntem, itáque exultabundi ducebant, ac si Iulium aliquem triumphantem comitarentur. Horum purus candor cum Pario marmore certans, propè fecerat, vt imbecilles oculi alieno tempore niues cecidisse crederent, nisi moueri, nigrísque candorem rostris discriminari vidissem. Agnito tamen Phœbi alite: O felix augurium! exclamo. O lætus Oscen! quo viso vicinum etiam nautæ portum sperant. Nisi Pythagoræ decreta, aut Platonis errores, damnare didicissem, Poëtarum, aut noui Ligurum Regis, aliorumque inuictissimorum Heroum animas Olores hos esse dixissem. Ne tamen rusticâ inurbanitate insalutatos transire, illos ex nescio quo Poëta versus recitaui.

Cygnos Apollini dicatos quòd ab eo diuinationẽ habere videãtur, scribit Cic. 1. Tuscul.

Ingenio est placido; pacis cupidissimus; at non
Est imbellis Olor: iustas vbi concipit iras,
Concipit inuictum robur, fuluumq; Tonantis
Sustinet armigerum, tanto nil territus hoste:
Sæpe fugat, vimq; illatam virtute repellit:
Formosis soboles formosa, & plurima Cygnis.

In

In mentem erant & illa Aristotelis de oloribus ita scribentis: *Aquilam, si pugnam cœperit, repugnantes vincunt: ipsi autem nunquam nisi prouocati inferunt pugnam.* Vera hæc esse, nullâ morâ liquidissimè intellexi. Nam illicò

Lib. 9. hist. cap. 12.

Bissenos video lætantes agmine Cygnos,
Æthereâ, quos lapsa plagâ, Iouis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis?
Et cœtu cinxêre Polum, cantusq; dedêre?

Virgil. 1. Æneid.

Quæritis, quid cecinerint? eorum quidem, qui trãs nubila scandebant, cantum auditu proceritas spacij fecit alienum. At medius ille tantùm:

CAP. VII.

Cygni in suos cura & omen, serenissimi Parentis ac Filij emblema.

Hic inter vitreos ales sanctissima fontes
Lusit, & explicitas sustulit ala niues.
Dumq; ego candorem, roseasq; ex ordine plumas,
Tantasq; effœto corpore miror opes:
Lætior illa suis lato pede remigat vndis,
Crispataq; simul voce celeuma ciet.
Noscere cùm vocem didici, Cygnumq; putaui,
Qui sua vicino funere fata canat;
Tristis factus eram, dignosq; effundere questus
Instituteram, & mæstas imbre rigare genas.
Attamen ille suo lachrymas modulamine tersit,
Et date mî, cecinit, mî bona verba date.

Ecce fatigatum votorum pondere cœlum,
Pronius in nostras cœpit abire preces.
Ergo, GNATE, *meis potuisti vincere votis?*
Sæpius vt vincas, vota secunda dabo.
Tu gladio gladios & tela retundere telis,
Tu potes hostiles arte domare manus.
Ast ego qui Cygnus terras annosus oberro,
Nequaquam visâ pace, recuso mori.
In me, Parca, tuas, patiar, diffunde sagittas;
Nunc quoque post mortem pars mea magna manet.
Nam nisi viuo Pater, viuit Victoria GNATI:
Sic mihi sat vitæ est, VIVERE POSSE MEOS.
Et quoniam ipsa nequit factum immortale vetustas
Tollere, nequaquam vita erit illa breuis.

Audiui hæc talia, & lachrymis gaudio exilientibus, haud modicum stagnis incrementum de oculis meis adieci: atque, vt tam dulci Cygno respondere possem, cupientissimè optaui, vt in voces & carmina ipse totus abirem. Quia tamen Phœbum Musasque nondum inueneram, vel aliunde adiutos Cygno cantus reposui.

Ne, DVX BOIE, *tuos, pulcherrime terreat ausus*
Styx armata dolis: dabit insitus ardor honesti,
Et repetita dabunt præclara exempla tuorum,
Laudis inoffenso metam contingere cursu.
Nomine, famâ, animo expressam splendoris auiti
Effigiem, & iunctas vinces virtutibus artes.

Tan-

Tantis aucte bonis, Genitor GVLIELME, *triumpha.*
En vestræ columen, mansuraq; gloria gentis,
Exoptata tuum proles succreuit in æuum.
Quale virens tollit, sub ramis matris opacæ
Laurea virga caput: qualis Cytherëia myrtus,
Imbre & sole nouo, Zephyriq; tepentibus auris
Ad cœlum occulto se subiicit incremento.

CAP. VIII.

Serenissimi Parentis à Sobole suâ inusitatum gaudium.

MVltis titulis, ô SERENISSIME beatissimeq; DVX, Senectus tua nondum ad vltimum sui finem prouecta facta est venerabilis, hic tamen nouus FILII tui VICTORIS & ELECTORIS titulus, quasi perfectio quædam est, & complementum tuæ Senectutis, dignusque qui incolumitatem tuam ad longissimos humanæ conditionis terminos proroget. Raris hæc contingit felicitas, quæ vitã tuam coronauit. *Qui vitem æquinoctio verno serit, vuas ex eâ legit autumnali. Occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fœtus. Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, vt pleriq; parentes prius ex hac vitâ decedant, quàm filij virtutem suam demonstrent: Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles; neq; Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades, non audiuit Periclem concionantem Xanthippus, neq; Platonem philosophantem Aristo: neq; Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt.*

Plutarch. libello de amore prolis.

S 2 At

Ecce fatigatum votorum pondere cœlum,
Pronius in nostras cœpit abire preces.
*Ergo, G*NATE, *meis potuisti vincere votis?*
Sæpius vt vincas, vota secunda dabo.
Tu gladio gladios & tela retundere telis,
Tu potes hostiles arte domare manus.
Ast ego qui Cygnus terras annosus oberro,
Nequaquam visâ pace, recuso mori.
In me, Parca, tuas, patiar, diffunde sagittas;
Nunc quoque post mortem pars mea magna ma-(net.
*Nam nisi viuo Pater, viuit Victoria G*NATI:
*Sic mihi sat vitæ est, V*IVERE POSSE MEOS.
Et quoniam ipsa nequit factum immortale vetustas
Tollere, nequaquam vita erit illa breuis.

Audiui hæc talia, & lachrymis gaudio exilientibus, haud modicum stagnis incrementum de oculis meis adieci: atque, vt tam dulci Cygno respondere possem, cupientissimè optaui, vt in voces & carmina ipse totus abirem. Quia tamen Phœbum Musasque nondum inueneram, vel aliunde adiutos Cygno cantus reposui.

*Ne, D*VX BOIE, *tuos, pulcherrime terreat ausus*
Styx armata dolis: dabit insitus ardor honesti,
Et repetita dabunt præclara exempla tuorum,
Laudis inoffenso metam contingere cursu.
Nomine, famâ, animo expressam splendoris auiti
Effigiem, & iunctas vinces virtutibus artes.

Tan-

Tantis aucte bonis, Genitor GVLIELME, *triumpha.*
En vestræ columen, mansuraq; gloria gentis,
Exoptata tuum proles succreuit in æuum.
Quale virens tollit, sub ramis matris opacæ
Laurea virga caput: qualis Cytherëia myrtus,
Imbre & sole nouo, Zephyriq; tepentibus auris
Ad cælum occulto se subiicit incremento.

CAP. VIII.

Serenissimi Parentis à Sobole sua insitatum gaudium.

MVltis titulis, ô SERENISSIME beatissimeq; DVX, Senectus tua nondum ad vltimum sui finem prouecta facta est venerabilis, hic tamen nouus FILII tui VICTORIS & ELECTORIS titulus, quasi perfectio quædam est, & complementum tuæ Senectutis, dignusque qui incolumitatem tuam ad longissimos humanæ conditionis terminos prorogет. Raris hæc contingit felicitas, quæ vitã tuam coronauit. *Qui vitem æquinoctio verno serit, vuas ex eã legit autumnali. Occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fœtus. Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum; virtus ita in longinquo sita, vt pleriq; parentes prius ex hac vita decedant, quàm filij virtutem suam demonstrent: Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles; neq; Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades; non audiuit Periclem concionantem Xanthippus; neq; Platonem philosophantem Aristo: neq; Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt.*

Plutarch. libello de amore prolis.

Ecce fatigatum votorum pondere cœlum,
Pronius in nostras cœpit abire preces.
Ergo, GNATE, meis potuisti vincere votis?
Sæpius vt vincas, vota secunda dabo.
Tu gladio gladios & tela retundere telis,
Tu potes hostiles arte domare manus.
Ast ego qui Cygnus terras annosus oberro,
Nequaquam visâ pace, recuso mori.
In me, Parca, tuas, patiar, diffunde sagittas; (net.
Nunc quoque post mortem pars mea magna ma-
Nam nisi viuo Pater, viuit Victoria GNATI:
Sic mihi sat vitæ est, VIVERE POSSE MEOS.
Et quoniam ipsa nequit factum immortale vetustas
Tollere, nequaquam vita erit illa breuis.

Audiui hæc talia, & lachrymis gaudio exilientibus, haud modicum stagnis incrementum de oculis meis adieci: atque, vt tam dulci Cygno respondere possem, cupientissimè optaui, vt in voces & carmina ipse totus abirem. Quia tamen Phœbum Musasque nondum inueneram, vel aliunde adiutos Cygno cantus reposui.

Ne, DVX BOIE, tuos, pulcherrime terreat ausus
Styx armata dolis; dabit insitus ardor honesti,
Et repetita dabunt præclara exempla tuorum,
Laudis inoffenso metam contingere cursu.
Nomine, famâ, animo expressam splendoris auiti
Effigiem, & iunctas vinces virtutibus artes.

Tan-

Tantis aucte bonis, Genitor GVLIELME, *triumpha.*
En vestræ columen, mansuraq; gloria gentis,
Exoptata tuum proles succreuit in æuum.
Quale virens tollit, sub ramis matris opacæ
Laurea virga caput: qualis Cythereia myrtus,
Imbre & sole nouo, Zephyriq; tepentibus auris;
Ad cælum occulto se subiicit incremento.

CAP. VIII.

Serenissimi Parentis à Sobole suâ insperatum gaudium.

MVltis titulis, ô SERENISSIME beatissimeq; DVX, Senectus tua nondum ad vltimum sui finem prouecta facta est venerabilis, hic tamen nouus FILII tui VICTORIS & ELECTORIS titulus, quasi perfectio quædam est, & complementum tuæ Senectutis, dignusque qui incolumitatem tuam ad longissimos humanæ conditionis terminos proroget. Raris hæc contingit felicitas, quæ vitã tuam coronauit. *Qui vitem æquinoctio verno serit, vuas ex eâ legit autumnali. Occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fœtus. Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, vt pleriq; parentes prius ex hac vita decedant, quàm filij virtutem suam demonstrent: Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles; neq; Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades; non audiuit Periclem concionantem Xanthippus; neq; Platonem philosophantem Aristo: neq; Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt.*

Plutarch. libello de amore prolis.

S 2 At

Ecce fatigatum votorum pondere cœlum,
Pronius in nostras cœpit abire preces.
Ergo, GNATE, meis potuisti vincere votis?
Sæpius vt vincas, vota secunda dabo.
Tu gladio gladios & tela retundere telis,
Tu potes hostiles arte domare manus.
Ast ego qui Cygnus terras annosus oberro,
Nequaquam visâ pace, recuso mori.
In me, Parca, tuas, patiar, diffunde sagittas;
Nunc quoque post mortem pars mea magna manet.
Nam nisi viuo Pater, viuit Victoria GNATI:
Sic mihi sat vitæ est, VIVERE POSSE MEOS.
Et quoniam ipsa nequit factum immortale vetustas
Tollere, nequaquam vita erit illa breuis.

Audiui hæc talia, & lachrymis gaudio exilientibus, haud modicum stagnis incrementum de oculis meis adieci: atque, vt tam dulci Cygno respondere possem, cupientissimè optaui, vt in voces & carmina ipse totus abirem. Quia tamen Phœbum Musasque nondum inueneram, vel aliunde adiutos Cygno cantus reposui.

Ne, DVX BOIE, tuos, pulcherrime terreat ausus.
Styx armata dolis: dabit insitus ardor honesti,
Et repetita dabunt præclara exempla tuorum,
Laudis inoffenso metam contingere cursu.
Nomine, famâ, animo expressam splendoris auiti
Effigiem, & iunctas vinces virtutibus artes.

Tan-

Tantis aucte bonis, Genitor GVLIELME*, triumpha.*
En vestræ columen, mansuraq; gloria gentis,
Exoptata tuum proles succreuit in æuum:
Quale virens tollit, sub ramis matris opacæ
Laurea virga caput: qualis Cythereia myrtus,
Imbre & sole nouo, Zephyriq; tepentibus auris;
Ad cælum occulto se subiicit incremento.

CAP. VIII.

Serenissimi Parentis à Sobole sua innusitatum gaudium.

MVltis titulis, ô SERENISSIME beatissimeq; DVX, Senectus tua nondum ad vltimum sui finem prouecta facta est venerabilis, hic tamen nouus FILII tui VICTORIS & ELECTORIS titulus, quasi perfectio quædam est, & complementum tuæ Senectutis, dignusque qui incolumitatem tuam ad longissimos humanæ conditionis terminos proroget. Raris hæc contingit felicitas, quæ vitã tuam coronauit. *Qui vitem æquinoctio verno serit, vuas ex eâ legit autumnali. Occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fœtus. Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, vt pleriq; parentes prius ex hâc vita decedant, quam filii virtutem suam demonstrent. Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles; neq; Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades; non audiuit Periclem concionantem Xanthippus; neq; Platonem philosophantem Aristo: neq; Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt.*

Plutarch. libello de amore prolis.

Tantis aucte bonis, Genitor GVLIELME, *triumpha.*
En vestræ columen, mansuraq́ gloria gentis,
Exoptata tuum proles succreuit in æuum.
Quale virens tollit, sub ramis matris opacæ
Laurea virga caput: qualis Cytherëia myrtus,
Imbre & sole nouo, Zephyriq́ tepentibus auris,
Ad cælum occulto se subiicit incremento.

CAP. VIII.

Serenissimi Parentis à Sobole suâ exuscitatum gaudium.

MVltis titulis, ô SERENISSIME beatissimeq; DVX, Senectus tua nondum ad vltimum sui finem prouecta facta est venerabilis, hic tamen nouus FILII tui VICTORIS & ELECTORIS titulus, quasi perfectio quædam est, & complementum tuæ Senectutis, dignusq́ue qui incolumitatem tuam ad longissimos humanæ conditionis terminos proroget. Raris hæc contingit felicitas, quæ vitã tuam coronauit. *Qui vitem æquinoctio vernio serit, vuas ex ea legit autumnali. Occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boues, equi, alites, iam vsibus paratos edunt fœtus. Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, vt plerią parentes prius ex hac vitã decedant, quàm filij virtutem suam demonstrent: Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles; neq́ Cimonis res ad Eurymedontẽ gestas Miltiades, non audiuit Periclem concionantem Xanthippus, neq́ Platonem philosophantem Aristo: neq́ Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt.*

Plutarch. libello de amore prolis.

At tu ante hos tales parentes & robore senectæ neruosequé viuacitatis admirabilis, & prole numerosâ gloriosaqúe beatus, vidisti tam multis iam annis filios sapientissimè gubernantes, felicissimè bellantes, magnificentissimè triumphantes. Nonne Rhodium illum Diagoram prosperitate superas? *Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem: eosque omnes vidit vincere coronariq; eodem Olympiæ die: & cùm ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suauiarentur; cumque populus gratulabundus flores vndiq; in eum iaceret; ibi in stadio, inspectante populo, in osculis atque in manibus filiorum animam efflauit.* Tu animam non efflauisti, sed viuere primùm atque vigere cœpisti, cum populus tibi gratularetur de triplici filiorum tuorũ coronâ. Nam cuius filij sunt, eius sunt & filiorum coronæ. Et, quâ sunt illi pietate, libenter coronas suas in caput Patris ponunt. Tres igitur & ipse filios superstites habes. Vnus coronat te nepotibus; nam *corona senum filij filiorum*, vt Sapiens dixit, *qui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ*, haud vanâ posteritatis spe gaudióq; te cingunt, iubentqúe & ex alio sperare, quod in alio non frustra sperauisti. Plerumque enim Superi in rebus magnis non properant; & quanto diutiùs differunt, tanto sunt liberaliores in largiendo. Alter cœlesti morum castimoniâ, rerum

Gell. lib. 3. cap. 15.

Prou. 17. 6.

Psal. 127. 3.

rerumque gerendarum incredibili sapientiâ celebris, & ipse inter hostium inũdationes alluuionésque cõtinuas intrepidus Imperij limes, Ecclesiasticis te coronat honoribus, vt vel in filio tuo æui nostri Metellus aut Fabius Max. possis nuncupari. *Val. Max. lib. 8. c. 13. Liu. 30.*
Tertius non solùm maximi ingenij, & altissimi belli pacísque temporibus consilij, sed etiam optimè de Rep. deque CAESARE, & toto Imperio inter summa discrimina meritus, plurimísque, ob inauditas difficultates vix speratis victoriis inclytus, & ipse suam in caput tuum lauream transfert. Quos in animo tuo lætitiarum motus esse oportet? viuus vigensque tres vides filios felicitatem tibi accumulantes: & nunc ex illis duos, quod nemini vnquã contigit, eodem tempore Imperij ELECTORES; qui prius etiam fratrem ELECTOREM conspexisti; inter tot *Electores* electissimus PRINCEPS. Atque filiorum quidem alter ad Rhenum, alter ad Danubium excubat, vt cum nobilissimis duobus fluminibus fama vestra potestasque vsque ad Oceanum se extendat; & latissimè vndique excurrat. Atque vt Diagorę tanto similiorem te & numero & fortunâ filiorum ostendam; Aio te tres filios numerare ELECTORES; quorum duo MAXIMILIANVS videlicet atque FERDINANDVS IMPERATOREM, tertius ille PHILIPPVS etiam PONTIFICEM eligendi nactus est potestatem. Sic primus Danubium, secundus Rhenum, tertius

Tiberim, immo vnus etiam idémq; MAXIMILIANVS, & Danubium, & Rhenum, & Tiberim nominis tui gloriâ occupauit.

CAP. IX. *Sereniſſimi Parentis in Filium & Filij in Parentem mutua officia.*

HÆ ſunt aſsiduæ illæ preces tuæ, hæc vota cœlo tradita. Duri fuiſſent Superi, ſi illa tot annis continuata non exaudiiſſent. Sic Metellus ille, *ſenex admodum Pont. Max. creatus, tutelam ceremoniarum per duos & viginti annos, neque ore in votis nuncupandis hæſitante, neque in ſacrificiis faciendis tremulâ manu geſſit.* Idcirco enim VESTRA mihi SERENITAS in ipſâ virere ſenectute videtur, vt *neq; ore in votis nuncupandis hæſitante, neque in* precibus *faciendis tremulâ manu* boni apud Deum Parentis patroníque officium gerat. Filius in caſtris tanquam nouus robuſtæque ætatis Ioſue ferro, VESTRA SERENITAS in templis gemitu precibúſque tanquam ſenior Moſes pugnabat. Ille hoſtes, VESTRA SERENITAS numen vicit. Igitur alterum triumphum Pater in cœlum, alterum Filius in terras duxit. *Nec diſcerni potuit, vtri plus laudis tribueretur, an cui Victoria, an cui Pietas comes aderat;* niſi & à Filij parte pietas ſtetiſſet, & quidem gemina; in Deum ſcilicet atque in Parentem. *Teleclus*, vel, vt in Græco eſt, *Telecrus interrogatus cauſſam cōſuetudinis Spartanæ, quâ ſenioribus iuniores aſſurgunt: reſpondit: Eò id fieri, vt adſueti hoc honoris deferre alienis, tantò magis venerentur parentes.*

Val. Max. ibidem. Cic. Catone. Plin. lib. 7. cap. 48.

Exod. 17. 10.

Plutarch. Lacon. Apophthegm.

Quan-

Quantâ filium tuum GVLIELMI veneratione in Diuos ipsos esse oportet, quem tantos Parenti suo honores habere cernimus, vt putaret aliquis nonnulla infra filij naturam facta, *nisi diligere parentes prima naturæ lex esset.* Cuius proinde felicitas vt multum admirationis, sic pietas plurimum etiam amoris meretur. Nempe in filio pater relucet, & renouatur imago cadentis genitoris in genito. Talis & tu in parentes tuos extitisti. Id quod te facere filij viderunt, facere didicerunt. *Enuncietur sanè Platonis dictum*, ait Imperatorum Panegyristes, *quod his potiùs, quàm illis congruit, in quos pronunciatum est: nempe istud: Boni extiterant, quia ex bonis orti fuerant.* Quare & ipsi maiores tui, GVLIELME, vitam dignissimam egerunt, ex qua tam luculenti filij tui in vtroque orbe laudatißimi fulgores promanarent.

L. si operarũ & L. à duob. de operis libertorum P.

Liban. in Panegyr. Constãtis & Constãtij.

Quibus quidem fulgoribus non exiguos tu ipse radios addidisti; Appium illum imitatus, qui *fessus iam viuendo, lecticâ se in Curiam deferri iußit, vt cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet:* manibus enim ac pedibus laborasti, vt tam infidis hostib. resisteretur; dignus proinde cuius votis & immortales annuerent, & perfidi mortales vapularent. Viue igitur candidißime Cygne, & eâ ætate quâ alijs nihil superest, nisi *labor & dolor*, animo tot gaudijs inundato lætißimè non tuum, sed hostium tuorum funus canta Gorgiæ illi Leontino par, qui in altis-

Val. Max. lib. 8. cap. 13. Cic. de senectute. Liu. 13.

Psal. 89. 10.

Val. Max. loc. cit. Lucian. Macrob.

altiſsimâ ætate, *interrogatus, quapropter tam diu vellet in vitâ remanere: Quia nihil, inquit, habeo, quod ſenectutem meam accuſem.* Vt ergo Gorgias *iam alterum ſeculum ingreſſus, neque in hoc querelam vllam inuenit, neque in illo reliquit*, ſic tibi continget, millies merito, millies merituro.

CAP. X. *Defunctorum Bauariæ Principum triumphus.*

Prou. 10. 1.

QVid autem tibi continget ELECTOR SERENISSIME, Auorum illuſtrator, Parentum exhilarator? Siquidem iuxta ipſius Sapientiæ oraculum *Filius ſapiens lætificat patrem:* & *Exultat gaudio pater iuſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo.* Immo vt & quod

Prou. 23. 24. & 25.

ſequitur, *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, quæ genuit te*, tibi non fruſtra dictum arbitrarer, ecce quid cygni illi in aquam regreſsi rerum mihi arcanarum detexerint. Nam quamobrem à Iouis

Cap. 6.

aue, vt ſuperiùs memoraui, turbati ſint, aut quid ſupra nubes alij illi cygni ſublimiores cecinerint, non intellexeram. Itaque allocutione meâ læti, quòd ex ipſorum mente, *magno* illi *cygno* reſpondiſſem, Primùm ſignificârunt, ſe *Boiorum Principum in terris degentium* nomine à Muſis in huius aquæ regnum deſtinatos eſſe: illos autem *altiuolantes defunctorum iam Bauariæ Principum* locum tenuiſſe, atque quantum ipſis in beatorum ſede commorantibus gaudiorum MAXIMILIANVS VICTOR attuliſſet, mortalibus nunciare iuſſos eſſe, ex æthere delega-

legatos. Porrò ne plus reuelarent, quàm opus foret, missam & Iouis Aquilã, conciliũ diuturnius quasi per ludum diremisse. Id autẽ quod cantu reuelassent, triumphum fuisse, quem nouum RENATA MATER de Filij, & MARIA ANNA, cũ PHILIPPO CAROLOQVE de Fratris in terrâ victorijs apud cœlites agitauerunt. Nam & Diui nostræ lætitiæ participes fiunt, atque ea, quæ ad suos pertinent, ad se quoque pertinere arbitrantur.

Si enim Lacæna illa, *cum solenni pompæ ducendæ interesset, nunciato filium in prælio victoriâ potitum è vulneribus, quæ multa accepisset, mori: non detracto serto, sed iactabunda proximis mulieribus dixit: Multò pulchrius est, amicæ, vincentem in acie mortem oppetere, quàm superstitem vincere Olympia:* quid RENATAM in cœlo dixisse par est, cum filium suum tot victoriis contra hostes Dei potitum, atq; etiam incolumem audiret? Intererat illa cœlestium Geniorum pompæ solenni, sertum immortalitatis in capite gestabat, Numiniq; gratias immẽsas agebat, quod filiũ suum voluerit esse tantarũ pro Ecclesiâ rerum patratorem. Non igitur sertum à capite amouit, sed nouam impositam coronam de Filij virtute sensit: coniectique sunt in eam omnium Diuorum oculi, tanquam in Matrem Filij tam *bellipotentis* simul ac *sapientipotentis*, quod duarum virtutum in pari gradu coniugium vel Romanis Ennius negauit. *Plutarch. Apophtheg. Lac.*

T Illud

Illud quoque se ab ætheriis illis cygnis accepisse dixerunt, PHILIPPVM (illum fatò præuentum, ne famam ipsis terris maiorem, crescentibus annis, & Romanæ purpuræ, & Ratisponensi mitræ compararet) eandem illam Parentem suam sic gratulabundum compellauisse. Quæ tam prouida Filij tui, Fratris mei solicitudo vsque ad sepulchra se se effundit mortuorum: Eaque non erigenda solùm liberaliter, sed etiam fortiter defendenda. Mihi monimentum Ratisponę posuit vel Superis visendum; tuum monimentum Monachij defendit, ne ab hostibus viseretur. Nosti enim istorum morem, qui nec tumulis quidem aut tumulatis abstinēt. Et tanta erat proteruia, vt minas palàm iactarent, iamq́ue ipsum Monachiense forum diuidendæ prædæ suæ designarēt. Sed antè cogitare debuissent, quà in Bauariam, quàm quà in Bauariæ vrbes intrare vellent; & suo magis foro cauere necesse habuissent, quàm alieno insidiari. De Scythis aliter sentire debuissent, quàm de tam acri Patriæ defensore. *Dario enim Scythæ totius regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes, ad vltimas Asiæ solitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finē, aut quod initium pugnandi facturi essent; responderunt, se nec vrbes vllas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Ceterùm cum ad Parentum suorum monimenta venissent, scituros,*

Val. Max. lib. 5. cap. 4.

quem-

quemadmodum Scythæ præliari solerent. Quo quidem vno tam pio dicto, immanis & barbara gens ab omni se feritatis crimine redemit. Hæc alij de Scythis & cogitarunt & audierũt, quib. neq; mos, neq; cultus, neq; terra; sed sola charitas parentum pectoribus liberorum infusa animos addidit ad hostẽ à monimentis sepulchrísq; patrum ac matrum repellendum. MAXIMILIANVS cui & agri sunt, & vrbes, & prouinciæ eò vsque venire minitantibus non permisit, neq; latum quidem vnguem impetum facientibus cessit, sed cedere coëgit. Ergo nec ad monimentum quidem accedentibus aduersariis, ostendit tamen quemadmodum Bauari & pro Patriâ, & pro sociis præliari solerent. Itaque monimentum parentum non modò à manibus, sed & ab oculis hostium immune conseruauit. Qui si mortuorum ossa sic defendit, quid mirum est viuenti atque regnanti Imperatori tam fidelem esse? Pro quâ sanè fidelitate, sanctissimi nominis Heroiníque pectoris femina MARIA ANNA charissimi coniugis sui etiamnum memor, nec CAESAREM iam minùs, quàm antehac ARCHIDVCEM AVSTRIAE agnoscens, & ipsa Fratri laudes persoluit, pariter & Coniugali & Fraterno triumpho lætabunda.

CAP. XL
Gloria bello & Serenissima Elisabetha pietate adiuta.

ARgumenti duntaxat loco se *cygni* hæc commemorasse affirmabant; ceterùm cantum ip-

 sum

ſum atque carmina Diuorum triumphantiũ, mortali neque ore pronunciari, neq; aure percipi poſſe. Sic *cygni* dixerunt; & choro rurſus inſtaurato Ducem illum ſuum medium, per quaſdam arborum de aquis prodeũtium ambages ex oculis meis abduxerunt; inter abeundum quoq; cantantes.

Ego ad frontem Palatij reuerſus nullo vetante, per oſtium vnum ex minoribus intraui, atque in ouali quadã areâ, quæ Circi Romani ſpeciem habebat, ludicræ venationi aptiſsimâ, ad fontẽ quendam Pegaſum deligaui; cui ſe nec inuitus innodari eſt paſſus, veluti veteri ac notiſsimæ ſtationi ſuæ. Fons eſt viuaciſsimis aquarum fiſtulis inſignis, & vel regibus ad exemplum dignus. Diis & Deabus ambitur vndique, itidem viuaciſsimis, niſi quòd ænea illis caro. Ibi Iuno, ibi Diana, ibi Acidaliæ nymphæ, ibi ipſe Neptunus cũ ſuâ Amphitrite, caſtiſsimi matrimonij imago. Quod & verſus appoſiti loquebantur iſti.

Horat. lib. 1. carm. Od. 13.

Felices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulſus querimoniis,
Supremâ citiùs ſoluet amor die.

Legi atque eiuſdem Poëtæ verſibus lympham ſalutaui,

Idem lib. 3. Od. 13.

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine florib. &c.

A

Sed

Sed ante omnia, quæ hoc fonte significabatur, Principem salutaui. Nam eius quoque ibi imago Lotharingo gryphe præluſtris. Cuius mirum amorem ſemper quidem, maximè verò belli tempeſtate clarum, tabula ære fuſa depinxit. Quid ni enim amorem illum depictum dicam? Depicta enim erat memorabilis illa hiſtoria, cui⁹ ſolius narratione Laurentium Medicen, ſine aliis medicamentis à morbo cōualuiſſe refert Io. Bodinus. *Cùm enim Conradus III. Imp. Guelfum Bauariæ Ducē, poſtquam ſæpiùs ancipiti Marte pugnatum eſſet, in arcem & oppidum Sueuiæ, nunc Wirttenbergicæ ditionis, Weinſburgum, cui amœna vineta nomen dederunt, compuliſſet, nec vllis conditionibus à propoſitâ ſuſceptaq́ oppidi euerſione deduceretur, ad extremum victus nobilium feminarum precibus permiſit, vt inuiolatæ abirent, eâ lege, vt nihil ex oppido, niſi quod humeris poſſent, exportarent. Tum illæ, confidentiâ maiore dicam an pietate? Ducem ipſum, maritos, liberos, parentes, ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt. Ex quo Imperator tantam voluptatem cepit, vt effuſis præ gaudio lacrimis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitus depoſuerit, verùm etiam oppido pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo, cōtraxerit.* Deo Diuiſque laus; eò Maximilianus Elector non peruênit anguſtiarum, vt ſic includeretur, aut humeris exportari opus haberet; ſed alios potiùs incluſit, atque in tales anguſtias redegit. Quæ tamen

Io. Bodin. in proœmio de facilit. ablect. & vtilit. hiſtoriar. Item ex Nauclero, Phil. Camer. part. 1. medit. hiſt. cap. 42.

men belli ſors eſt, pati potuit, quod aliis fecit, ſi Superi pati permiſiſſent. Ne ergo pateretur, ELISABETHAE quoque lectiſsimæ coniugis piâ ad Deum ſolicitudine eſt adiutus; quæ ingenti curâ ſaucia velut facto agmine templa omnia obſedit, nec minus Deum precibus, quàm Maritus hoſtem bello fregit. Itaque tanto illius maior fama, quia non victũ aut in anguſtias concluſum, humeris ſuis ſuſtentauit, ſed Victorem ipſum, in cuius humeros totius Imperij negotia cum totâ belli mole inclinata recubuerunt.

Tales bona Fortuna BAVARIAE DVCIBVS VXORES elargitur, quæ legitimi amoris imagines, valenterque inter coniuges ſtabilitæ fidei opera, non ſine maximâ veneratione contemplanda ceterorum mortalium oculis ſubiiciant. Nec enim minus ELISABETHA SERENISSIMO ſuo CONIVGE inter tela, vulnera ac funera verſante, ſuſpenſo in omnes euentus animo teſtata eſt, quantum maritalis flammę in pectore clauſum habuiſſet; quàm Guelfi illæ virilis animi geſtatrices: immo quàm *Chiomaræ, Stratonicæ, Cammæq; Toliſto-Boicæ* heroides; quarum germanam pudicitię laudem, & coniugalis amoris fidem ac ſpecimina, cum Lucretiâ Collatini, cum Iuliâ Pompeij, cum Portiâ Bruti, cum Artemiſiâ Mauſoli, cum Hipſicrateâ Mithridatis, cum omnibus priſci æui exemplis contendere nõ vereamur. Atque

Plutarch. de clar. mulier. M. Velſer. rer. Boicar. lib. 2.

Liu. lib. 1. App. ciuil. 2. Dio. 47. Plut. Bruto. Gel. 10. c. 18. Cic. Tuſc. 3. Plutarch. Pomp.

que hoc sunt Nymphæ illæ, quas vidi fontem, ceu Libethram, honestißimo consessu coronantes. Vt BAVARICA DOMVS tot VIRORVM virtute longißimis iam seculis nobilitata, etiam à muliebri spiritu; immo etiam ab vxorum fide gloriæ suæ capiat incrementum.

Quamobrem imperatoria, haud satis dispexi, cuius proauorum statua medio fonti superimposita eminet. Quæ tametsi circũiacentes fonti Nymphas eminentiùs ornat, ornatum tamen vicißim ab iisdem capit. Et quoniam proauorum facta est mentio, non possum facere, quin me de memoriæ inopiâ excusem. Multa me intuitum esse recordor, sed ipsa multitudo cogitationes confundit, nimiâ imaginum frequentiâ perturbatas.

GLORIAE BELLICAE

LIBER VI.

DE GLORIA A SOCIIS ET PRINCIPIBVS REBVSQVE PVBLICIS FOEDERATIS.



CAPVT I. *Interioris palatij Parnassei de proauorum imaginibus ornatu. Virgil. 7. Aeneid.*

A Fonte pedibus oculisque digressus, ad cetera lustranda animum appuli, spectauique

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.

Ipsi

Ipsi gradus, per quos ascẽdebatur magnis integrisque marmoribus, primusque ædium aditus, non aliis lapidibus fulgebat, quàm qualibus primùm triumphasse Lucium Crassum, aut præluxisse Anicianæ domûs splendorem memorant veteres libri. Trabes Hymettiæ, aut moles Africanæ, quales opulentis Arabum tectis amussitatas canunt; laquearia citro variegata, atque ebore testudinata, fastigiaque etiam ad formidinem subeuntium aureis Atlantibus nixa, qualia in magnâ illa Achæmenis domo pependisse iactant, vilia mihi præ ingeniosissimo, venustissimóque huius ædis parietumque penicillo visa fuerunt. Is enim quàm poterat excellentissimis maiestatis coloribus omnium virtutum historiarumque chorum complexus est.

Ex Virgil. ibidem Parodia.

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, solidoue ex marmore & ære
Carolus, Henricusq; manu qui nobile templum
Gesserat, enerues vinctiq; Cupidinis arcus,
Vestibulo astabant; aliiq; ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaq; clypeiq; ereptaq; tela BOHEMIS.

Quibus omnib. haud parum auctoritatis addidit, augustus in quoddam ingens conclaue ingressus.

Trib.

Trib. patentibus is portis oculos antè quàm pedes venientium admisit. In summo caminus cernebatur elegantiâ rarâ splendidus. Ibi infra triumphatoris nomẽ, hæc præterea inscriptio est à Musis apposita, atque aureis litteris illustrata.

QVIS CREDIDISSET DOMVI BAVARICAE TAM MVLTVM DE SPLENDORE DEFVISSE, NISI POST TANTAM CAESARVM DVCVMQVE SERIEM, MAXIMILIANVS TAM MVLTVM SVPERADDIDISSET?

CAP. II. *Deiotarus fœderat. vrũ ingens præsid. ũ, & Bauarica Ducũ imago.*

MArmori ista inscripta: alia longè plura tapetibus Alexandrinis aut Phrygiis parietes vestientibus. Duodecim Mensium hæc in pictâ telâ figuras suspenderant. Magnum erat tam fili, quàm coloris precium, sed maximum artis. Is mensis *quo reges solent ad bella procedere*, præter vernos flores, & corollas puellarum ludo concinnatas, Geminosque illos, antiquissimum BAVARICAE DOMVS columen DEIOTARVM pinxit, à Romanis, ob fœderum fidem mirificè seruatam, nouis titulis terrisq; egregiè auctum. Nam DEIOTARVS *maximè Tolisto-Boius Tetrarcha (alius à Deiotaro Paphlagone, qui vel tunc, vel non multò post, Philadelphi cognomine vixit) virtute & fide erga Romanos constanti, egregium se socium, suarum copiarum strenuum ducem præbuit, atque omnibus, quos diximus, Imperatoribus, operam volũtatemq ita probauit, vt ab iis Romam reuersis, ampliter & magnificè in Senatu fuerit laudatus. Sub Lucullo Eumachum Mithridatis præfectum, Phrygiam incursantem, magnâ clade repreßit. Cn. Pompeium Luculli Successo-*

Mar. Velser. Boicar. lib. 2. Strabo lib. 12. Plut. Dio.

Cic. Phil. 11.

Appian. Mithridat.

V

cessorem postmodum adeò demeruit, vt is eum pulcherrimo elogio, vnum in toto orbe terrarum ex animo amicum,
Cic. loco ſcit. *vereq́ beneuolum vnum fidelem Pop. Rom. iudicatum, ornauerit: Bello confecto, Trocmos & Gadilonitidem, quæ*
Cic. de Diuin. Strabo lib. 12. Eutrop. lib 6. *ad Pharnaciam & Trapezuntem pertinet, & Colchos ad minorem Armeniam, atque Armeniam eam deniq́ ipsam, paternæ ditioni adiecerit, Regemq́ appellarit. Ille tantis*
Strabo. *prouinciis auctus, regni caput veterem sedem Tolisto-Boios esse voluit, regia Luceij constituta, Peij Gaza recondita: neque latius alio tempore à Boiis in Asia regnatum est.* Floridiſsimus Menſis DEIOTARVM, DEIOTARVS MAXIMILIANVM pinxit. Neq; enim *latius alio tempore à Boiis* in Germaniâ *regnatum*, quàm ſub MAXIMILIANO: quem non immeritò IMPERATOR *pulcherrimo elogio vnum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereq́ beneuolum*, iudicet, ſi quenquam hoc elogio, in tantâ amicorũ copiâ affici fas foret. Certè DEIOTARI virtus, quantum opis Romano militi, tantum ſplendoris Boico nomini attulit.

CAP. III. Liga emblemata in Cimbris praisantibus. Catull. de Nupt. Pelei & Thet.

HOc ergo priſcum BOIORVM decus longè ſuperatum eſſe à nouo Catholici fæderis CAPITE, priore pariete explicatum, alterum aulæum oſtendit, roſeo & ipſum fuco tinctum. Nam &

Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mirâ virtutes indicat arte.

Quantâ enim LIGAE CAPVT *virtute ac fide* Imperatori, ſociiſ-

sociisque belli *operam voluntatemq;* suam probârit; ipso LIGAE emblemate significatum est. Mensis, vt opinor, Marti sacer, in illâ chonchyli purpurâ ob oculos ponebatur. Ita enim cœleste *Arietis* sidus indicabat, & cetera topiarij operis negotia inibi expressa. Sed præcipuè ad Martium mensem faciebat multitudo armis Marti velut strenuè sacrificans. Prælium id erat, quo Cimbri cum Catulo Marioque ingentibus animis sunt congressi. Cimbros fuisse, *catena* dixerat per singulorũ baltheos deducta: ita enim, vt in Plutarcho legi, *ne ordines dissicerentur, longis catenis* Cimbrorum *antesignani per baltheos traiectis erant colligati.* Quid autem cogitassem? an Cimbros olim ferrea catena tam firmiter constrinxit, quàm hos nostros Heroës fædus suũ? Mille catenas rumpes citiùs, quàm Principum dexteras semel in cõcordiam societatemq; iunctas. Antequam coëant, circumspectè cunctatur; vbi coierunt, vel vnà vincere, vel vnà cadere videbis. Tam magna est fæderum sanctitas, tam adamantina vincula, veræ probæque societatis.

Plutarch. in C. Mario.

CAP. IV.

Fæderum vis & venustas, in Sciluri iaculis: & Musica.

Plutarch. Apophteg. Stob. serm. 82.

ID quoq; in tertij mensis (cui *Taurus* signum) tapete acu picto significatum. Scilurus enim, octoginta liberorum masculorum pater, velut sub Martij, senibus tam periculosi, mensis exitum moribundo similis iacens, iacula in fasciculum colli-

gata filiis senili manu porrigebat, quasi frangere iussisset. Et alij quidem singulas sagittas, vel digito diffringere, alij collectas in fascem etiam toto nisu flectere non posse videbantur, egregio concordiæ symbolo. Est enim vis sociata fortior; & scutum septemplex difficiliùs penetratur. Nec minus pulchritudinis, quàm firmitatis à concordiâ rebus accedit. Ita mecum in aspectu Sciluro disputabam; cum subitò percussis in viciniâ fidibus Musica eiuscemodi auribus meis carmen propinauit.

Sic hederæ molles stabili firmantur ab vlmo;
Protegit & dubias anchora fixa rates.
Candida cùm Tyriæ iunguntur vellera conchæ,
Commendat tinctam purpura nata niuem.
Cynthia, Phœbe, tibi, Phœbus tibi Cynthia seruit,
Dum sociat radios, multiplicatq́ tuos.
Tu quoq́ nos hederas magnis Aquilonibus actas
DVX tutas magnis viribus esse facis.
Iure igitur stabilis mihi nomine dignus es vlmi,
Anchora iure tuæ, iure carina rati.
Tu concha, & quidquid conchâ rutilantius extat,
Tu gemma, & si res est preciosa magis.
Vtq́ etiam dici Sol posses, vndiq́ noctem
Eijcis, optatum restituisq́ diem.
Sed nil tam Soli similem te reddidit; à te
Quæcunq́ hîc lucent, omnia lumen habent.

Nec

Nec tam carmen me, quàm ipsa neruorum cõcors discordia admonebat, nihil esse tam pulchrum auditúque iucundum, quàm si Principum Rerumq; pub. animi *concinant*. Sapienterq; veteres Romani, *Lyræ* hieroglyphicò concordes animos depinxerunt. Vel minimùm enim dissonans *lyra* aures offendit. *Quæ* autem *harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctißimum atq; optimum inRep. vinculum incolumitatis* Scipio pridem declarauit.

Pier. Valer. lib. 47.

In fine lib. 2. apud S. Aug. de ciuit.

CAP. V.

Concordiā pro more esse.

NE verò parum videatur, si ad aures & famam duntaxat dicamus acerbam esse animorum dissensionẽ, vim quoq; cum concordiâ reb. adesse vel abesse quartus mensis suo colore ostendit; cui *cancer* insigne; animal vtiq; retrogradum, & iuxta appositis Numantinis, vel Numantinorũ imitatoribus iure debitum. Scipio enim Africanus postquam Numantia in potestatem venit, *Tyresium Principem Celticum rogauit, qua de causâ Numantia aut priùs inuicta, aut post euersa fuisset? Respondit Tyresius, Concordia Victoriam, discordia exitium præbuit.* Rectè ergo in diversâ quoque peristromatis parte, insuti sunt Asiaticâ acu Lacedæmonij, densâ acie, ceu murus quidam cohęrentes, qui cum periclitarentur aliquando ac de ciuitate mœnib. cingendâ consultarent, Homericum carmen recitauit Isæus Sophista:

Bruss. lib. 2. cap. 4. Philostratus in Sophistis.

 Scu-

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atq; viro vir. & adiecit, *sic mihi state Lacedæmonij, & muris cincti sumus.* Planeq; vt *omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari totius interest*; ita eiusdē Imperij membra decet, nisi & ipsa interire velint, in totius corporis salutem conspirare.

CAP. VI. *Vires dissipari, si fœdera dissipentur.*

QVintus ergo dehinc mensis *Leoni* consecratus, & magnis feruoribus æstuans hominesq; ad flumina & aquas inuitans spectabatur. In eo id ipsum docetur. Flumen enim quoddam magnum, in riuos euanescit tam exiguos, vt pueri ipsi lapidibus in eo ludere audeant. Qui non minùs lapides, quàm ipsum flumen exemplum concordiæ vtibile proponunt. Lapides enim pueri natare docent. At iam pridem Plinius dixit *vt Tyrrhenus* vel etiam *lapis è Scyro fluctuat integer, sidit comminutus; sic res discordia pessum eunt, concordia sustinentur.* Flumen porrò in aquarum deriuationes ramósq; consumptum Cyri factum effigiabat, qui Gnidem amnem, eò quòd vnum ex equis eius absorbuisset, pœnæ loco, ita restrinxit, vt in trecentos sexaginta riuos diduceret, ex quo celebris amnis amplitudo concisa est. Quamobrem cum ab Aruntio & Ateio actum esset in Senatu sub Tiberio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augescit; Itum est in hanc senten-

Plin. l. 2. c. 106. & l. 36. c. 37.

Herodot. lib. 1.

sententiam. *Optimè rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, atque originem, ita fines dederit; ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluuiis orbatum minore gloriâ fluere.* Ita ex Tacito accepimus, omninóq; plus prodest vnum flumen, quàm trecenti riui; & maior est gloria aquę vno alueo collectæ, quàm plurimis æstuariis dispersæ. Nimisq; parum dixit Cicero, cum dixit: *Nihil præter laudem bonis atque innocentibus ex socijs reportandum est. Conueniunt enim homines*, ait Philosophus, *emolumenti alicuius caussa, & vt aliquid suppeditent, quod ad vitæ vsum cultumq; pertinet. Societatem autem ciuilem iam ab initio vtilitas & conciuit, & continet.* Tacit. lib. 1. Annal. Cic. lib. 3. de Legibus. Arist. lib. 8. Ethic. c. 9.

CAP. VII. Eandem esse animorum & auxiliorum coniunctionem.

PAriter itaque, vt in prouerbio est, oportet remum ducere; quod in sexti mensis tapetio spectabatur, nautis ad numerum symphoniacorum remigantibus. Quę enim indignitas est, aliis pro te laborátib. ociosum sedere? cupere vt alij opes tuas defendant, sed sine ope tuâ? Non approbat hoc *Astræa*; quod eam è terris in cœlum fugauit; id è cœlo in terras nunquam reuocabit. Aliter Solon. *Cum esset enim ex eo quæsitum; quæ esset optimè comparata ciuitas. Illa (inquit) in qua illæsi perinde ac læsi insectantur, & vindicant maleficia.* Nempe vnum cum altero non est, qui non sentit alterius dolorem. Neque gloriosum habetur suis tantùm incommodis excitari ad vigilandum. Plutarch. in Solon.

Illud

Illud potiùs memoria dignum eſt, quod in ſeptimi menſis imagine videram. Is menſis ſolem in *librâ* collocans, etiam eos laudauerat, qui communis memores neceſsitatis, amoreq; Patriæ flagrantes, priuatos ſumtus non æſtimauerũt. Hiſtoria autem quæ in periſtromate *Septembri* adiecta fuerat, Romanum ſpiritum ſapiebat. Nam *cum ſecundo Punico bello exhauſtum ærarium, ne deorum quidem cultui ſufficeret; & publicani vltro aditos cenſores hortati ſunt, vt omnia ſic locarent, tanquam reſpub. pecuniâ abundaret, ſeq; præſtituros cuncta; nec vllum aſſem, niſi bello confecto, petituros polliciti ſunt. Domini quoq; ſeruorũ, quos Sempronius Gracchus ob inſignem pugnã Beneuenti manumiſerat, pretia ab imperatore exigere ſuperſederũt. in caſtris etiam non eques, nõ centurio ſtipendium dari ſibi deſiderauit. Viri atq; fœminæ, quicquid auri argentiue habuerunt; item pueri inſignia ingenuitatis ad ſuſtentandam temporis difficultatem contulerunt. Ac ne beneficio ſenatus, (qui muneribus functos, tributi onere liberauerat) quiſquam vti voluit; ſed inſuper id omnes promtiſsimis animis præſtiterunt.*

Val. Max. lib. 5. c. 6. Liu. 24.

CAP. VIII. *Diuerſa hominum facta, & ipſi ſaeculi diuerſi.*

ID verò & Principes, & Magnates, & Reſpubl. noſtris his proceloſis annis feciſſe liberaliùs quis neſcit? Hærent ac ſtupent hominum oculi, cum huius facti pictam imaginem in ſericâ texturâ vident. Octauus quippe menſis & *ſcorpione*, & *vinde-*

vindemiæ comportatione insignis; insuper vtrumque latus hinc historiâ, inde emblemate impleuerat. Historiâ quidem, quia ipsi illi Heroës, & capita *Ligæ* turmatim astabant. Et poterat in ipsâ turbâ ordo videri: sua enim quemque heroum facies inscripserat. Sed hos ego nunc quidem velo inscriptos sub velo relinquam, quia laudare, quàm nominare præstat. Noti enim atque nominati sunt satis, vbi noti nominatique esse debent; laudati tamen nondum sunt satis; quia laudari apud omnes merentur, quia omnium salutem cordi habuerunt. Ad alterum igitur latus *ichneumon* sociâ manu stipatus serpenti desuper imminebat. Vt enim Horus Apollo Niliacus de sacrarum apud Ægyptios insculptarum litterarũ interpretatione testatur; Ægyptij cum eos monstrare volunt, qui aliorum se auxilio tuentur, ichneumonem pingunt, *Hic enim conspicatus serpentem, non protinus in eum irruit, sed vocatis priùs clamore alijs, tum demum ei resistit.* Serpentem insidiatorem, quem authore Eusebio Phœnices *dæmonem felicem* nominabant, illũ nempe ipsum Germanæ concordiæ dissipatorem, nihil potentiùs effumigauit, quàm fœdus & societas ista. Siquidem & serpens concilia coëgit; sed eorum hominum, qui vt Tacitus monet, *imperitos animos impellunt, nocturnis colloquijs, aut flexo in vesperam die, dilapsis melioribus deterrimum quemque congregantes;* at-

Horus lib. 2. cap. 31.

Euseb. lib. 1. de præpar. Euãg. cap. 7.

Tacit. 1. Annal.

 que

queillic inserunt querelas, & ambiguos de Principe sermones, quæque alia turbamenta vulgi. His *libertas ac speciosa nomina prætexuntur*, nam *vt imperium euertant, Libertatem præferunt; si euerterint, ipsam aggredientur.* Igitur *vnione fuit vnio* dissipanda.

Idem 1. histor.

Idem 4. hist. & 16. Annal.

CAP. IX. *Variarum rerum vis coniuncta auctior. fœderum prorum est magistra.*

SAgitta nunquam hostem vulneraret, nisi arcui neruóq; prius coniuncta. Hoc in *sagittarij* mense indigetatum, vbi variæ res sociatæ, vnam conficiunt, aut certè conficere videntur, colore ita persuadente. Nec vna gutta fluuium, nec vna arbor siluam, nec vnus annulus catenam cõstituit. Quid guttâ imbecillius? quid fluuio potentius? & tamen si guttæ confluant, fluuium gignunt; sicut & multi annuli inter se conserti catenam, & complures arbores siluam. Hoc igitur catenam siluæ circundatam portendisse mihi credibile est.

Hoc & in illius mensis, qui *posterior nono est vndecimoque prior*, stragulam vestem impicta domus docebat. Nihil enim esset domus, nisi lapides vniti essent. Atque vt pius ille vetusque Poëta cecinit

D. Prosp. lib. epigr.

Dum lapides vini pacis compage ligantur,
Inq; pares numeros conuenit vna domus:
Claret opus Domini qui totam construit aulam,
Effectumq; piis dat studiis hominum.
Quorum perpetui decoris structura manebit,
Si perfectè auctor protegat, atq; regat.

Quin

Quin & Seneca doctore, *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso continetur.* Hæc amicitiæ, hæc fœderũ concordiæque est structura, ô excelsæ mentes, quam vestra prouidentia aduersariis opposuit. Validè totus iste murus vester obstitit: vnum lapidem citiùs transiliissent. O aurea Iouis catena! ô eburnea Pacis domus! ô ferreus murus! immo ô argenteus potiùs; quia argento vestro non pepercistis, vt ciuibus parceretis; & sapienter tantos pecuniæ cumulos vestris militibus in stipendium expendere, quàm hostibus in rapinam relinquere maluistis. Multùm fecistis, vt aduersariorum vires contereretis, haud latet; sed hoc ipsum in DVCIS CAPITISQVE vestri gloriam redundat, qui aliis multum facientibus ipse plurimùm facere voluit; hoc ipso, malleo hostes conterenti simillimus. Vt enim maxima vis mallei in capite est, ita summa vis fœderis exercitusque in DVCE. Senec. ep. 97.

QVam vim illius, cum non ignoraretis, velut odore tracti in vnum auspicatissimè cõfluxistis. Ea vndecimi mensis figura est. Vidi enim sub *Aquario* cadentes niues, volantes columbas, ambulãtes homines, & in illis mutis membrorum lineamentis viuum spirantemque Ioann. GODEFRIDVM Bambergensem Herbipolensemque Antistitem sanctissimum, quem etsi

CAP. X.
Io. Godefrid. Bamberg. & Herbip. episc. aliiq; Bosnam Ducem cur secuti?

X 2 *Aurea*

Aurea nunc solio stellantis regia cæli
Accipit, & numerum Diuorum altarib. auget,

imago tamen eius non finit esse mortuum, sed antiquę virtûtis cōditionē, pręsētis spectaculi admiratione renouat. Ille nimirū ipse, cuius ea vox laudatur, *Vna manu gladium, alterâ Breuiarium*, perq; niues, perque hyemes, omnes cœli iniurias tolerans in vndecimo aulæo exprimitur, quia sibi à tempestatibus illatas iniurias omnes lubens tolerauit, (tanquam MERCVRIVS CATHOLICORVM) ne Ecclesiæ allatas tolerare cogeretur. Sed quorsum id iter tā asperū suscipit? in quē scopum oculos, in quam anchoram spem suam coniicit? Te, MAXIMILIANE, designat, te cogitat, te ambit. Nec ille tantùm, sed & alij maxumi PRINCIPES, ciuitates, Respublicæ: & vt verbo dicam, ipsa Christi Ecclesia, te DEFENSOREM suum quærit. Aptissimo idipsum emblemate eâdem telâ est explicatum, dum pleno agmine candidissimæ columbæ vnam sequi ostendūtur. Nam vt, præter D. Basilium in epistolis, etiam Dydimus tradidit: Columbæ suauissimis vnguentorum odoribus impensius delectantur. Quamobrem vt alias inescarent columbas, solebant antiqui vnam opobalsami oleo circumlinere, atque odorum fragrantiâ delibutam emittere, quam ceteræ omnes affectabantur. Quid aliud illud abstinentiæ exemplar, & in virgineâ innocentiâ virilis spiritus, dignus

Dydim. Geopon. lib. 14

gnus Hephæstion, quem Alexander lugeat, quid inquam, aliud illa candidissima Ecclesiæ columba Io. GODEFRIDVS, oliuæ ramum vbique quærens, & in arcam suam reportare laborans; quid aliud alij adhuc in viuis atque optimis morib. agentes PRINCIPES & Respub. senserunt, quando cum MAXIMILIANO datâ acceptaquę fide fœdus icere, & sub eius alis tegi voluerunt? Nempe preciosus ille Sapientiæ, Iustitiæquę odor alliciebat; illud perpetuæ fælicitatis opobalsamum, Fecialis erat; ille opum, potētiæ auctoritatisque crocus magnete quouis trahebat vehementiùs. Nihil enim odore virtutis potentius. Vt ambigam nihil, Musas eundem DVCEM in altero illo alite ibidem locorum delineasse.

Duodecimus enim mensis, cui Februario nomen, etsi de *piscibus* suis notum se fecerat, duas tamen insuper figuras inprimis eleganter elaboratas spectantibus offerebat. Altera in aëre Phœnicem toto auium comitatu cinctum referens, perspicuè docuit; & esse qui virtutem suspiciant; & ipsos virtutis obseruatores, non sine emolumento res pulchras admirari. Vbi enim suspensis se pennis librat Phœnix, ibi delicatissimo Poëtâ teste

Conueniunt Aquilæ, cunctæq; ex orbe volucres *Claud. de Phœnice.*
Vt Solis mirentur auem, &c.

Et iterum nouo ad Nilum hospite eodem volante, velut aulica quædam officia

Innumeræ comitantur aues, ſtipatque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors: exercitus ingens
Obnubit vario latè conuexa meatu.
Nec quiſquam tantis è millibus obuius audet
Ire duci, ſed regis iter flagrantis adorant.
Non ferus Accipiter, non Armiger ipſe Tonantis
Bella mouent: commune facit reuerentia fœdus.

CAP. XI. *Alios in Patriæ periculis Soloni, alios ceteris Atheniensib. similes esse.*

O Veriſsime Germaniæ noſtræ Phœnix, optime PRINCEPS, viue & ætatem Phœnicis, qui Phœnicis habes auctoritatem. De cętero rectè pingeris in Solone, ante domum ſuã cũ ſcuto & haſtâ ſedente. Nam agnoſco & hanc tuam effigiem in telas translatam; niſi quod bellica facinora tua etiam Solone te ad militiam vt ætatis vigore, ſic rerum gerendarum prudentiâ multò aptiorem eſſe demonſtrarunt. Plura non addam. Sola hiſtoriæ narratio, poterit imaginis eſſe explicatio. *Is ergo Solon Execeſtidæ filius iam ætate grandior, ſuſpectum habere cœpit Piſiſtratum nomine tyrannidis affectatæ; cum progrederetur in concionem Athenienſium, & poſtularet præſidium à populo. Videns autem Athenienſes negligentiores & parùm attentas aures ſermonibus ſuis præbere; Piſiſtrato verò accedentes, dixit ſe alijs ſapientiorem, alijs fortiorem eſſe. Quicunq; enim non intelligerent ipſum, ſi accepiſſet corporis ſatellitium, tyrannide quoque potiturum, his ſe eſſe ſapientiorem: qui verò tametſi intelligerent,*

Aelian. lib. 8. Var. hist. c. 16.

rent, tamen subticescerent, istis se esse fortiorem. At ille cum impetrasset copias, tyrannidem occupabat. Solon verò ante domum suam sedens, protendebat scutum & hastam; inquiens, se arma sumsisse, ad asserendam patriam, quoad posset, & cum iam ætate minimè par esset ad agendum ducem (aut militem) tamen animo patriæ faucbat. Nibilominus tamen Pisistratus, reuerentiâ tanti viri & sapientiæ, nullo eum damno affecit. Quid opus est, his plura addere? Fuit qui regnum Bohemiæ affectaret *Pisistratus*, fuit qui id, & in id animaduerteret *Solon, ætate, arte, potentiâ par ad agendum ducem*, fuit qui *scutum & hastam* protenderet: & *arma sumeret ad asserendam patriam*. Cur igitur illi, qui Pisistratum imitati sunt in occupando regno, non etiam imitantur in *Solone* reuerendo, & à *damnis* cogitandis abstinent? armaque ponunt, quæ sibi ipsis toties experti sunt perniciosa? Nimirum victi isti Pisistrato victore insolentiores sunt, vt, si qui nunc Athenienses reperiantur, discant *Solonem* nostrum non frustra *scutum & hastam* protendere.

GLORIAE BELLICAE
LIBER VII.
DE GLORIA AB IMPERATORE.



Iusceniodi res me docuerunt picti in tapetibus menses, multoqúe plura docuissent,

CAPVT I. *Artificiosorū peristromatū laus.*

ſent, ſi ad ſingula animum aduertere tempus tuliſſet. Quippe in pictis menſibus ſpectandis menſes veros integroſqúe inſumſiſſem lubens, niſi ita defixo & in tot miracula animum diuidenti, vir quidam, vt videbatur artium litterarumqúe non expers, paulatim à tergo adrepens, & ſpectantem ſpectans obſeruanſqúe vltra loci genium ſalutem dixiſſet ignoto. Hic an placeret acus, quæ hæc talia telæ inſeruerat, quæſiuit. Reſpondi verò, placere ita, vt nihil magis: nec meâ æſtimatione ſimile quid operatam ipſam Arachnen, cui tamen aliquando fama

Ouid. lib. 6. Metam. *Inter mortales faciendæ maxima telæ.*

Quid cenſeam? nec Pallas, nec Liuor ipſe carpere ingenium hoc poſsit. Vtinam oculis coram fuiſſem, cum tam doctæ manus gracili ſtamine telas intenderent, iugoque iungerent, tenuiſsimaſque iſtas minimi diſcriminis vmbras texerent, nullum non tanti operis ſubtemen numerare libuiſſet. Sed rapuit me pręcipuè & aliud aulæi genus, cuius filis lento auro micantibus eximia pulchritudo pacalibus oleis nexilibuſque hederis omnis generis flores aueſque intertexuit. Hoc aulęum cum me conſtanti lumine tantùm non transfigere cerneret comis ille & officioſus ſalutator, Quâ manu, inquit, cenſes hos flores ſatos? Certè non aliâ, quàm ipſius Principis Elisabethae, quæ & templorum parietes eius

ius generis veste circumamictos à se tibi complures potest commonstrare. Vt noris manum illam, quę precando apud superos plurimùm valet, etiam in laborando excellere:

Cuius vt aspicerent opus admirabile, sæpe — Ouid. ibid.
Deseruêre sui Nymphæ vineta Timoli:
Deseruêre suas Nymphæ Pactolides vndas.
Nec factas solùm vestes spectare iuuabat:
Tunc quoque cum fierent, tantus decor affuit arti.
Siue rudem primos lanam glomerabat in orbes,
Seu digitis subigebat opus: repetitaq́ longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu:
Siue leui teretem versabat pollice fusum:
Seu pingebat acu: scires à Pallade doctam.

VErùm quia te ita video picturis delectari, vidistíne aliquando imagines in ipsâ chartâ ambulantes, & locum mutantes, sibique succedentes, & omnia, quæ viui agimus, picto quoque & ipso motu agentes? vis vt calculo te mordeam? inquam ego. Nam

CAP. II. *Mira ars imaginum ipsum etiā motum exprimentium.*

Dentis claustra tui quæ vox elapsa reliquit? — Homer. lib. 1. Odyss. Gell. 1. Atticar. c. 15.

quasi verò istuc fieri posset? aut non priùs pisces in summâ vlmo deprehensurus sim? *Hoc autem nullo pacto crediderim, ne si bos quidem fuerit elocuta.* Subrisit ille, & ex eodem Homero versum reponens, Nisi hoc tibi vel iam nunc ostendero, inquit, — Alciphron. in epist. Glyceræ ad Menandrum.

Homer. Iliad. *Posthac ne caput hoc humeris insistat Vlyssi.*

Et quod magis emiraberis, res maximas plurimasque pænè vno temporis momento videbis in puram virginemque chartam cum omnibus suis coloribus ac lineamentis ad viuum traiectas, motus istos tibi gesticulationesque exhibere; & vbi voluero, rursus, citiùs quàm nictes, euanescere, tabulamque abstersam relinquere. Incipiebam timere, ne Cerberum etiam & Hecaten promitteret, apertéque magicas artes profiteri apud me vellet. Itaque quia nihil perniciosius, quàm apud inuerecundos pudore teneri, gratias egi tam beneuolè promittenti, neque me illa cupere videre dixi, quæ sine Numine offenso videri non possent. Hic ille censorio me vultu intueri: & mox, quasi mentem correxisset; Tantò, inquit, mihi charior eris, quantò erga suspectos liberiorem te animaduerto. Habeo igitur, quæ è re tuâ erit audire & spectare. Cōmoda aliquantulum aurem & oculum; neque si te aliqui circumuenerunt, ex alieno scelere meam fidem metire. Quanquam nondum satis fidebam, cogitabam tamen multa artibus confici posse, quæ præfractè aspernari vel superbiæ vel ignorantiæ crimen est. Nec videbam, quæ fraus timeri eiusmodi spectaculo posset, si contra malas artes animum obfirmassem. Itaque humanissimè & tempus & oculos promitto, simulque in quandam exiguę altitudinis turrim conscendo. Quàm

CAP. III.
Colores picturæq́ue apparentes quomodo ostendi soleāt.

QVàm proni sumus ad deteriora suspicanda in rebus incertis! Vt primùm pedem in turrim intuli, Tullianum me, aut æternum aliquem carcerem ingressum putaui. Illicò enim ille, qui me induxerat, omnes fenestras, omnes vndique valuas, immo vt nulla spes diei reuisendi ampliùs luceret, omnes prorsus rimas, omniáque foramina claudere, & panniculis quibusdam, quàm diligentissimâ solicitudine obturare cœpit; cumque saltem solantibus verbis simplicitatem meam mulcere atque metu liberare debuisset, formidabili silentio suo etiam magis exterruit. Nempe ita occupat hæc scientia absorbetque mortales, vt se solos in terris viuere, nihilque nisi vitrea sua illa negotia curari oportere cogitent. Itaque in carcere, in tenebris, in timore constitutus, id solum expectabam, vt diceret, *Ferrum recipe*, infelix victima. Sed modico post reuixi, ac inanem me metum metuisse deprehendi. Rotundum enim quoddam foramen quo fenestra orbiculariter pertusa erat, retexit, per quod tantum luminis admissum, quantum ad internoscenda omnia vtcumque satis. Hic ille artifex obiectam foramini chartam puram candidam de perticâ suspendit, & me videre iussit, quid in eâ pictum appareret. Ego ab inferis mihi reuersus videbar, vbi verbis me denuò compellari audiui. Respondi itaque nihil me prorsus videre,

nisi puram putam albam tabulam, in quâ nihil pictum esset, sed pingi posset. Mox ergo ille rotundo foramini rotundum orbem vitreum in medio paulo crassiorem, quàm in ambitu (*quales sunt vulgares dioptræ, quæ ad res augendas conficiuntur, qualia item illa vitra quibus ignis excitari solet radiorum solarium transmißione*) adhibet, chartamq; candidam eâ distantiâ vitro opponit, *quâ radij solares nati sunt in vnum locum coire*; Ergo quasi ipsi Alastores vmbræque Acheronticę per modicam rimulam haud modicæ ipsæ in turrim insilijssent, ita extemplo pura illa paulo priùs charta saltantibus in omnem partem coloribus impleta est. Vtque extemporales imagines formidolosam meam opinionem roborarent, præpostere omnes apparuerunt; euersâ rerum facie. Siquidem manibus pleraque simulachra niti, & pedes sursum habere videbantur. Quin & ipsa tecta domorum euersa fuerunt; & cœlum ac nubes ibi stabant, vbi telluris locus erat: tellus autem, arboresque & cętera humi spectari solita deorsum pendebant, velut radice in cœlum translatâ. Verbo dicam, mutasse elementa fidem rerumq; omnium ordinem perturbatum credidissem, nisi maluissem denuò de hominum arte, quàm de rerum naturâ sinistrè suspicari. Ergo in Magum me incidisse putaui. Iamque Christianis amuletis me munire & luce palà rursus protestari

cœpi

cœpi, Me non cupere cum animæ dispendio esse curiosum; rogaréque vt desisteret, ab huiuscemodi nefariis ludibriis; malos enim hæc artificia exitus sortiri. Quantum ego rogabam, tantum ille risit, tanquam si oleo incendium restinguere voluissem. Tandemque Bone homo, inquit, nihil est quod vmbram metuas. Mathematicorum istæ sunt incantationes. Vtique probe. Illi sunt huic rei Zoroastres, illi occultos rerum colores figurásque per aërem vagantes sic coniurare, & per angustum hoc foramen, velut per cribrum percolare norunt; imaginésque chartarum obiectu exceptas oculis ostendere, quas in aurâ dispersas nunquam aspicerent, si vel Epidaurio serpente acutiùs viderent.

CAP. IV.

Naturam rerum imagines, seu species, quas vocant, exprimere, & quomodo?

Atque hem vt rursus omnia sunt absterſa? Et iterum, vt fulgure ocyus, tota pictura redit? Cuius vnquam Apellis manus tam ad viuum omnia expressit? cuius Zeuxidis color, aut Parrhasij penicillus tam fuit felix?

Dico igitur rerum effigies, tenuesq́; figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum:
Quæ quasi membranæ, vel cortex nominitanda st,
Quòd speciem, ac formam similem gerit eius imago,
Cuiuscunq́; cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde:

T. Lucret. Carus De rer. natura lib. 4. Nec his aduersatur Aristot. lib. de sēsu ac sensili c. 3. scribens: Porrò decere, perinde, vt antiqui, colores esse destuxa, & talis de

 Prin-

Principio quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solutè:
Robora ceu fummum mittunt, ignesq́; vaporem:
Et partim contexta magis, condensaq́; vt olim
Cùm veteres ponunt tunicas æstate cicadæ,
Et vituli cùm membranas de corpore summo
Nascentes mittunt: & item cum lubrica serpens
Exuit in spinis vestem, nam sæpe videmus
Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.
Quæ quoniam fiunt: tenuis quoq; debet imago
Ab rebus mitti summo de corpore rerum.
Nam cur illa cadant magis, ab rebusq́; recedant,
Quàm quæ tenuia sunt, hiscendi sit nulla potestas,
Præsertim cum sint in summis corpora rebus
Multa minuta, iaci quæ possint ordine eodem,
Quo fuerint, & consimilem seruare figuram,
Et multo citius, quanto minus indupediri
Pauca queunt, & sunt in prima fronte locata.
Nam certè iaci, ac tergeri multa videmus,
Non solùm ex alto penitusq́; vt diximus, ante,
Verùm de summis ipsum quoque sæpe colorem;
Et volgò faciunt id lutea russaq́; vela,
Et ferugina, cùm magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabesq́; trementia pendent.
Namq́; ibi consessum caueai subter, & omnem
Scenai speciem patrum, matrumq́; deorumq́;
Inficiunt, coguntq́; suo fluitare colore.

caussa videri, absurdum est: nam ipsis necesse est attactu sentiri omnia statuát. Mox enim ita cócludit. Quare præstat dicamus sensum fieri, quòd à sensibilis medium moueatur, quàm attactu, aut defluxib. Vbi significat nō colores ipsos corporeos ab obiectu decidi, sed medium tantum ab ipsis tingi, alterariq́;. Nam à colore, qui reb. inexistit, mouetur actu perspicuum, hoc est, primò ipsum lumen, deinde eius beneficio aër, ac deinde hac alteratione ad oculos delata visus ad videndum excitatur.

Et

Et quanto circùm mage sunt inclusa theatri
Mœnia; tam magis hæc intus perfusa lepôre
Omnia conrident conreptâ luce diei.
Ergo lintea de summo ceu corpore fucum
Mittunt, effigias quoq; debent mittere tenuês
Res quæq; ex summo quoniam iaculantur vtræq;,
Sunt igitur iam formarum vestigia certa,
Quæ volgò volitant subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.
Postremò in speculis, in aquâ, splendoreq; in omni Idem paulò infra.
Quæcunq; appârent nobis simulachra: necesse' st,
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
Esse in imaginibus missis consistere eorum.
Nam cur illa cadant magis, ab rebusq; recedant
Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,
Quàm quæ tenuia sunt, biscendi st nulla potestas.
Sunt igitur tenues formarum, consimilesq;
Effigiæ, singillatim quas cernere nemo
Cùm possit: tamen assiduo crebroq; repulsu
Reiectæ reddunt speculorum ex æquore visum:
Nec ratione aliâ seruari posse videntur
Tantopere, vt similes reddantur cuiq; figuræ.

Agnoui ex voce Lucretium, & ne illi quidem iam tum, cùm hos versus cōderet, artis huius principia fuisse incognita intellexi. Veniam igitur suspicioni meæ rogaui. Quam cum ille Mathematico vultu, ac velut vno oculo renidens dedisset; vt se sua-

se suarum rerum non auarè amantem ostenderet, etiam caussas adiecit. *Eam enim* dixit, *esse naturam luminis, vt quemcunque colorem attigerit, mox illo tingatur, ac iam non purum, sed affectum per medium diaphanum propagetur. Quo pacto enim alioquin aliud lumen albidum, aliud flauum, aliud rubicundum, aut alio colore affectum cerneretur? Itaque non modo à propria materia, vnde profluit, lumen colores mutuatur, sed etiam ab illis ipsis corporibus in quæ impingit. A quocunque enim repulsum fuerit, eius colore fœdatur, sicut decisus color per medium diaphanum cum lumine deportetur, eodemq; peruadat, quo ipsum lumen. Hi ergo colores vitri huius, quod cernis, densitate infracti, tanquam per angustum foramen in obiectam chartam dilabuntur; in qua proinde conspicui apparent, qui alias in medio peruio nullo modo perspici poterant, propter tenuitatem. Porro quod non nisi in tenebris hæ colorum imagines perspiciantur, caussa est, quia lumen, quo colores illi sustentantur, & vehuntur, sicut est pertenue, ita à maiore lumine facile vincitur, & eneruatur.* Hæc qui ignorant, pronum est, vt alia suspicentur. In quorum naui, ne me solum putarem, addidit etiam illa ex celeberrimo Aguilonio sic scribente. *Ita plebem imperitam circumuenire solent vani quidam præstigiatores, qui vt se Necromantiæ peritos ostendant, cuius vix nomen sciunt, iactant se posse dæmonum spectra ab inferis euocare, & adspectantium oculis sistere. Introducunt illi curiosos rerum occultiorum in obscu-*

Francisc. Aguilonius lib. 1 opticor. propos. 42.

obſcurum conclaue, quò nullum omnino lumen adſpirat, niſi tantillum, quantulum exilis vitri orbis immittit. Ibi ſilentio ſeuerè indicto, ſimulatiſque myſterijs rerum ac verborum, atque adeò expectatione ipsâ, dæmonem mox affuturum denunciant. Intereà clanculum de eorum ſodalibus vnus dæmonis perſonā induit, quâ is vulgò pingi ſolet, vultu horrido ac monſtroſo, cornibus è fronte ſurgentibus, lupinâ pelle & caudâ, manicis calceiſque vngulatis; tum is foris meditabundus eo obambulat loco, ex quo ſuus & color & figura per vitreum orbem in conclaue transfundi poteſt. Rebus ita callidè comparatis ſilentium ſeueriùs imperatur, quaſi proditurus quiſpiam ſit è machinâ Deus. Hic pallere alij, alij ſudare metu rei euenturæ. Profertur chartacea tabula, opponiturque radio luminis in conclaue immiſſi. Prodit in eâ dæmonis ſimulachrum obambulantis ſpecie, cernunt timidi, intuentur, contemplantur. Ita rudes illi homines, vt vmbram videant hiſtrionis, operam perdunt & pecuniam; nihilo profectò infantibus doctiores

— qui credunt ſigna omnia ahena
Viuere & eſſe homines. *Lucil. Satyr. lib. 20.*

CAP. V. *Arcus triumphalis Cæſaris, nonoq; Electoris poſitus.*

SIc illo diſputante, oculis pariter auribuſq; eandem rem didici. Cum ergo etiam atque etiam & aues inuerſas volitare per chartæ areã, & equos pendentes de tholo cernerem currere, aliaq; multa talia admirarer, ſuperaddidit nouus iſte Lucreti⁹

Z vitri

vitri orbem alterum, & omnia de præposteris re-cta fecit. Quid aliud vidissem, MAGNE ELECTOR, quàm tuam GLORIAM? Da veniam

Hor. et. lib. 1. carm. od. 6.

Conamur tenues grandia: dum pudor,
Imbellisq. lyræ Musa potens vetat
Laudes egregij Cæsaris, & tuas
Culpâ deterere ingenî.

Arcum igitur *triumphalem* ingentem per exiguum foramen cum omnibus suis ornamētis in chartam vidi traiectum. Arcus inscriptio hæc erat:

FERDINANDO II. AVGVSTO. CAESARI
ET
MAXIMILIANO BAVARO ELECTORI,
VICTORIBVS.

Paulo infra, istud distichon subiiciebatur:

DISCITE MORTALES OPERA HAEC VICTORIBVS ARCVS
ESSE TRIVMPHALES, HOSTIBVS ESSE IVGVM.

CAP. VI. *Quanam maiestatem Cæsaream læserint?*

SInistrum in hoc *arcu* lat⁹ hostium rebellionem; dexterum amicorū auxilia, Dvcisq; BAVARIAE fidem erga CAESAREM, designabat. In Summo *arcus* fornice CAESARIS erga BAVARIAE DVCEM amor animusque gratus aureis pictisque signis vibrabat.

Tacit. 11. hist.

Sinisterior itaque pars *in omne fas nefasq. auidos aut vænales, non sacro, non profano abstinentes* expressit. In summo *Matthias Comes Turrianus* cum suis stabat inter armatorum globos, ac in conclaue velut vi ingressus, more victoris salutabatur. Salutationis gratulationisque caussa infra apposita, *Guilielmum*

lielmum Slauatam, Cameræ Bohemicæ Præsidem; Iaroslaum Borzitam, regni Marescallum; & Philippum Fabricium Secretarium, *è fenestrâ* quadraginta ampliùs cubitos altâ præcipitatum repræsentabat. Porrò ne sine miraculo innocentissimos viros è tam excelsâ ruinâ incolumes euasisse nescirem, cœlestes aligeri, expansis in solo palliis tunicisq; cadentes excepturi opperiebantur. Lemma erat. CVM CECIDERIT, NON COLLIDETVR: QVIA DOMINVS SVPPONIT MANVM SVAM. *Anno 1618. die 23. Maij.* *Psalm. 36. 24.*

In alterâ arcus zonâ abdicatio regis FERDINANDI An. 1617. legitimè electi coronatique & præstito sacramento ab omnibus ordinibus recepti; itemque FREDERICI V. Comitis Palatini Rheni sollennis inauguratio pingebatur. Vnius anni comœdia. Immò tragœdia. Nihil enim tam tragicum esse potuit, quàm quo tantum sanguinis factum est. Huic picturæ grandibus Romanis litteris superscriptum fuit. QVOMODO ERGO STABIT REGNVM EIVS? *Electio rebellionis Tri. 27. Augu. & coronatio Pragensis 4. Nouemb. coronatus.* *Matth. 12. 26.*

Supra basin emblema faciebat depicta seditio Tiberij Gracchi, qui *primam certaminum facem* accendisse aliquando fertur. Nam vbi intercedentem legibus suis M. Octauium vidit, contra fas collegij, ius potestatis, iniectâ manu depulit Rostris. *Sic triumuir creatus diuidendis agris, cum ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, ob-* *L. Flor. lib. 3. cap. 14.*

uiâ nobilium manu, eorumque, quos agris mouerat, cædes à foro cœpit. Inde cum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ manu caput tangens hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis, atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma populo, quasi iure oppressus est. Vidit & *Fridericus* religionem *reformaturus* legibus suis obsistere CAESAREM. Ergo vt à capite inciperet, primum habuit, vt è regno Bohemiæ remoueret. Tota inde Germania in partibus. Magni Principes, magnæque ciuitates, rebellibus adhæsêre. Quorum appendix Britanni Bataui que. Hos *ad defensionem salutis suæ* Fridericus *manu caput tangens* hortatus est. Et *præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis.* Ita igitur *duce* MAXIMILIANO BAVARO *iure oppressus est.* Appositum est & huic imagini epiphonema, è sacris literis, nempe istud.

Psal. 7. 17. CONVERTETVR DOLOR EIVS IN CAPVT EIVS.

Sub ipso ingressu partem historiæ obliquè duntaxat prospicientem videre potui. Et, nisi me coniectura frustratur, *Lysimachum desiliens equo Alexander hastæ cuspide* ita *in fronte vulnerasse* ostensus est, *vt sanguis aliter claudi non posset, quam diadema sibi demtum rex alligandi vulneris causa capiti eius imponeret. Quod auspicium primũ regalis maiestatis Lysimacho fuit.* Iustin. lib. 15. Hæsit ad hanc picturam mihi vox & aqua; cum Lucretius meus, Inscriptionem, inquit, si legere posses, facilè vates esses. Est autem ista.

LYSI-

LYSIMACHVS DIADEMATE VVLNVS FACTVM; FRIDERICVS FACIENDVM OBLIGAVIT.

CAP. VII. Iusta Cæsaris Ferdinandi ira.

ERgo, inquam ego, quod Lysimacho bonum, id Friderico infelix auspicium fuit. Vtque Alexander diademate superimposito sanguinem stitit; sic Fridericus diademate de CAESARIS fronte reuulso regiam illam imperatoriamque frontem per summum nefas cruentauit. Quid igitur mirum si iustissimâ irâ incaluit mitissimus IMPERATOR?

A Ioue qui procul est, procul est à fulmine: sed qui
Ambit regna Iouis, sentiet arma Iouis.
Hoc ait Enceladus, Zanclusq; hoc grandis Ophion,
Hoc centum geminâ promtus ad arma manu.
Vos quoq; Martigenæ meditando summa peristis:
Nempe etiam Cæsar tela trisulca gerit.
Cur tamen expectat tam grandia facta gigantum?
Magna nisi à magnis non calet ira Iouis.

Quis rem magnam non putet, si charissimos, fidissimósque suos legatos & amicos videat de tam formidandæ altitudinis *fenestrâ* præcipites agi? Agesilaus VI. Lacedęmoniorum rex cognominatus Magnus, quodam *tempore videns murem à puero tenente trabi de* FENESTRA, *eumque mordere manum tenentis ac profugere, re iis, qui aderant, ostensâ dixit: quando minimum animalculum sic propulsat vim illatam, quid existimandum est, viros debere facere?* Fecit ergo & FERDINANDVS AVGVSTVS, quod eum perduelles facere coëgerunt. Plut. Apophth. Lacon.

CAP. VIII. *Auxilia quæ Cæsar extra domũ Bauaricam habuit.*

OPus fuit ad eam rem amicorum auxilijs: quæ ipsa luculentis imaginibus in alterâ *arcus* triumphalis parte expressa fuerunt. Itaque Lucretius meus, vt illa distinctiùs cernerem, *oculum ligneũ*, cuius vertebris prodigiosa illa sua vitra regebat, paululum in alterum latus distortum, dexteræ *arcus* parti obuertit. Noui illicò colores, nouæ figuræ chartam asperserunt. Primum, quod aspicerem, fuit antiqui Imperatoris historia, duos filios in duas orbis partes cum milite mittentis: de quo Libanius sic scripsit. *Quemadmodum* AQVILA *ad volandum pullos exercens, sic* IMPERATOR *liberos cum copijs emisit, hunc Orientali plagæ, illum Occidentali præpositum.* Inscriptum erat huic imagini. DOMI MEAE ET TVAE INVENTVS ES. Nempe & CAESAR noster duobus locis hostem inuasit. Quippe PHILIPPVS III. *Rex Catholicus, præter vndecim millia, quæ in Austriâ alebat, copiosissimum apud Belgas exercitum, ad inuadendum Palatinatum viresq́ hostium distrahendas conscribi iussit.* Cum exercitu hoc preciosum illud nomen, duarúmque gentium, Italorum scilicet atque Hispanorum insignis honos AMBROSIVS SPINVLA, PHILIPPI SPINVLAE Venafri Marchionis filius, in Palatinatum inferiorẽ intrauit. In quem agrum nequaquam *spinæ* venissent, nisi eius colonus relicto suo rure aliena colere arua cœpisset. Atque SPINVLAM quidem Martis ritu, adamantinâ tectum tunicâ Rhenus ha-

Liban. in Basil.

Aubert. Miræus de bell. Bohem.

habuit. Mox etiam Lusatia vim sensit IOANNIS GEORGII Saxoniæ ELECTORIS, qui probatissime in summo rerum æstu erga CAESAREM suum fidelitatis exemplum extitit. Is ergo alterâ hostes parte aggressus, quâ Orienti viciniores, Occasum illis ostêdit. Ante hunc itidem ab Oriente fulgura spargentem trepida vidit Austria atque Bohemia alterum illum constantissimi pectoris Fabium, cuius moderationem hostes ipsi venerati; prudentiam autem & pietatem omnes admirati sunt; CAROLVM inquam LONGEVALLIVM, *Comitem Buquoium*, ab ALBERTO Belgarum Principe missum. Quamobrem SPINVLA *Crucenacum*, *Alseium*, *Oppenhemium*, *Baccheracum*, *Traubacum*, aliáque ad Rhenum & Mosellam oppida atque arces occupauit: BVQVOIVS autem ad Danubium & Moldauam rem strenuè gessit. Nam & *Matthæum Comitem Turrianum* à Viennæ obsidione reuocauit, dum clarâ victoriâ docuit *Ernestum Mansfeldium* mille amplius cæsis vtiliter fugacem fuisse, ne plures cęderentur. Qui etiam, totidem Hungarorum Danubium transgressorum, in prælio occidit, reliquis bis mille fugatis. Tantus erat heros Buquoius: cuius etiam pectus, brachia, & totum ferè corpus cum plagarum cicatricibus pænè cooperiretur, ipse tamen metu vacuus, ac si vulnera non persentisceret, ita per hostium tela, gladiosq; intrepidus penetrauit. Quam vir-

virtutem inprimis æmulandam sibi censuit BALTHAZARVS MARADA Hispani nominis & pectoris bellator, ac postea etiam Thaborensium debellator, itémque alter illeHispanicæ legionis à primis belli initijs clarissimus DVCTOR, OTTHO HENRICVS FVGGERVS, genere, formâ, fortitudine, auctoritate notissimus, æui nostri Achilles, tot iam periculis tantâ laude, quantâ incolumitate perfunctus: alijque itidem Tribuni Ducésque inuictissimi, qui vires suas viribus Buquoianis addiderunt. Siquidem *nec defuêre sororio suo* SIGISMVNDVS *Poloniæ Rex, &* COSMVS *Magnus Etruriæ Dux: quorum prior Cosacorum equitum millia quatuor opportunè transmisit*; Hispanæque copiæ, & Pontificiæ pecuniæ ex Italiâ profectæ, ad opprimendam rebellionem.

Mirum loc. est.

CAP. IX. *Auxilia Cæsaris à Bauaria Duce.*

MAgni erant hi arietes, quibus hostium fortitudo quateretur; sed dilata est procrastinatáque plenę Victorię lętitia, dum MAXIMILIANVS BAVARVS veniret, qui generosi falconis more, non alas vellere, non gyros circa prædam continuare, sed vbi primùm licuit, iugulum ipsum voluit capútque aduersariorum petere; vt bis vicisse dici posset, quia citò vicit; & plenè superasse, quia caput belli superauit. Hoc nempe est, quòd Lucretius ille mihi ostēdit semianimem iuxta *arcum* leonem humi iacentem. Nempe à *fuluo Leone, albus Leo* proster-

sternendus erat. Hoc est, ô inclyte DVX, quòd gigantes saxorum aceruis semiobrutos, & fulmine prostratos inibi vidi.

Bella mouent Superis homines: iam Pelion Ossam
Occupat, & fesso sustinet astra iugo.
Grandibus æqua tamen Iouis obstat dextera cœptis,
Fulmine sacrilegos disijcit artifices.
Iuppiter in terris est Cæsar: Cæsaris arces
Infestâ violat gens malè sana manu.
Fulminibus dirum Cæsar frænare furorem
Dum cupit: ipse suum te iubet esse Iouem.

CAP. X.

Gryphs ex Aquilà & leone cuius rei emblema? Herodot. in Melpom.

HOc est, quòd *Gryphem* spectaui ex alterâ parte arcus tam animosè respectantem. Scyles rex Scytharũ habuit in vrbe Boristenitarum ędes magnificas, & circa illas è lapide candido Gryphes atque Sphinges stantes: sed gryphes illi ad huius comparationem anates erant, gryphes non erant. Talem gryphem si Galienus Imperator nummis suis inscripsisset, aurum illius tutius fuisset: & verò erat talis gryphus, qui posset ipsum Apollinem delectare; dignus stare inter illos *Picos, qui aureos montes colunt,* nidúmque ex auro construunt. Formâ fuit, qualem illi Mantuanus tribuit,

Aelian. lib. 4. de Animal. cap. 27. Plaut. in Aulular. picos nominatos docet, olim, quos nos gryphes vocamus.

—— latè bipatentib. alis
Et iugulo sese in rostrum tollente recuruum;
Nam Gryps est animal duplex, Aquilamq; figurat,

Bapt. Mantuan. l. 4. Angelar.

Pars prior: in Libycum transit postrema Leonem.

Quis non agnoscat magnum felixque naturæ auspicium? *Aquila Leoni* coniuncta Gryphem efficit animal inuictum & auspicatum. Quod cum Pannoniæ rex in armis suis ferre soleret, en quid ad eũ idem Poëta dicere audeat.

Mantuan. L. ad Reg. & Princip. Christianos.

Quod trepides nihil est, tecum Deus ibit in hostem,
Per mare, per terras quocunq; leuaueris altè
Sanctum insigne crucis Gryphemq; Aquilamq; biro-strem.

Sic tu AVGVSTE CAESAR vera Imperij *Aquila* sic tu SERENISSIME ELECTOR magnime *leo* coniunctis viribus in hostem iuistis, in *Gryphem* coalescentes, qui auri aureæq; coronæ insidiatores, hinc rostro, inde vnguibus potentissimè dilacerauit. Nam ex Cæsariano, Bauaricoque milite conflatus fuit exercitus, tanquam *Gryps* ex *Aquilâ* & *Leone*, qui hostes in Pragensi prælio dissipauit. Quin & ipsi hostes, vt declararent, contra quos potissimum munitiones & arma & cristas hastásque erexissent, velut *Aquilâ Leoneque* constantem *Gryphem* protertuè sanè expresserunt, cum infami illo procacique propugnaculorum nomine CAESARIS vnà BAVARIQ; vires per sarcasmum improbè irritauerũt. Nam ad Haidelbergense promontorium duo sunt propugnacula collocata, quorum alterum *Cæsari-prouocum*, alterum *Boio-prouocum* nuncupauerũt, ad

ad imitationē scilicet illius, quod Batavi in Rheni insulâ *Clerico-provocum* dici voluêre. Itaq; ipsi hostes, qui nec FERDINANDI erga MAXIMILIANVM fiduciā, nec MAXIMILIANI erga FERDINANDVM fidem ignorauerunt, duos coniunctissimos animos, & ipsi illudendo coniunxerunt. Sed *Leone*, immo *simiâ* illorum, noster *Picus* multò erat potentior. Quàm enim facilè illi *ingentem ligneam coronā* quasi ligneo Regi, ex illa alterâ munitione, quæ contra CAESAREM stabat, per ludibrium suspenderunt; tam facilè BOIVS miles difflauit & *coronæ* improbum opus, & turrim ipsam è quâ superbum illud *coronæ* inuētum pependit. Nimirum quia animas vænales habebant, hanc *Gryphi* nostro hederam suspendere voluerunt. Et CAESAREM quidem BAVARVMq; tanto minùs cum gryphe comparare vereor, quia scio, eidem animali, ob duplicem naturam, ipsum à non nemine Christum esse comparatum. Damascen. Parg. Cat. 29.

IN hanc rem fuêre, quæ dexteræ *arcus* parti impicta conspexi. In summo *pacificus* ille Salomon sedebat, regio throno sublimis. Et quamuis *pacificus*, tamen non existimauit sapientissimus vir, solium suum absque *leone* esse oportere. Lemma habebat hæc imago istud.

CAP. IX. *Dextera pars arcus, quibus figuris illustris fuerit?*

3. Reg. 10. 19.

SIC, FERNANDE, TVVM SOLIVM LEO FIRMAT ET ORNAT.

Medium tenuit altera figura, quam hæc verba prætexebant; FERTILE GRATVMQVE SOLVM. Cad-

mi enim clypeata de aruis seges erumpens, ostendebat, Boiis ab antiquissimis illis ante CHRISTVM temporibus iam innatum esse, vt amicitias, atque clientelas magno studio parent & tueantur. Ita enim vetustissimi scriptores de Boijs loquuntur: *Incredibilis istius ordinis in patronos affectus, quorum ne dum vitæ & saluti, sed etiam famæ, propriam posthabere, sacramentum erat, superstitem verò Principi ex acie decedere, probrosum in omnem vitam reliquam, nec ferè repertus, qui eo interfecto cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret, illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare, hoc demum in primâ commendatione positum.*

M. Velf. lib. 1. rer. Boic. ex Cæsar. de bel. Gall. lib. 3. & 6. Tacit. de mor. German.

Institisse his proauorum suorum vestigijs MAXIMILIANVM, ipse CAESAR mille testium loco mihi erit: qui cum veredo nuncius de Pragensi Victoriâ aduectus esset, meritò pronunciare potuit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Enimuerò id ipsum Imperatorium oraculum quàm grato animo nuper in Ratisbonensi Electorum Principumque conuentu & consessu est palàm pronunciatum! Quid ad Bauaricæ Domus gloriam potuit expresius splendidiúsque excogitari, quàm vt ipse INVICTISSIMVS CAESAR inter solennes epulas honoris ergò assurgens, stansque & propinaret alijs, & biberet ipse, *in salutem* NOVI ELECTORIS, *vt qui fortunam, famam, vitam*

[illegible]

sangui-

ſanguinemque & res omnes ſuas, pro Imperij & Imperatoris incolumitate tot diſcriminibus obijcere non dubitauiſſet? Nec dubitaturus ſit inpoſterum, ſuis vllis periculis, aut Imperij, aut Imperatoris pericula propulſare? Hæc Cæſarea vox non ſolùm digna fuit, quæ tot Principum auribus exciperetur; ſed etiam quantus ſit fidei æſtimator FERDINANDVS abundè demonſtrauit, vt planè duo maxima Germaniæ capita ambiguũ fecerint, maiórne fuerit animus beneficia agnoſcentis, an præſtantis. Huic ergo rei media figura indicium fuit.

Dextera porrò ſub eâ figurâ baſis antiquum Bohemorum morem ſeculo noſtro reuixiſſe teſtata eſt. Nam priſcâ hominum ætate ſolennia in regno Bohemico concedendo, vexillorum traditione peragi ſolita ſcribit Dubrauius, dum agit de Elizabethæ regni hæredis deſponſatione cum Iohanne Luxenburgico Henrici VII. Cæſaris filio. FERDINANDVS itaque legitimus Bohemorum rex adſtabat, & hinc quidem MAXIMILIANVS BAVARVS, inde verò CAROLVS *Comes* BVQVOIVS multa variaque vexilla ac ſigna militaria genu ad reuerentiam decenter flexo offerre videbantur. Et poterant ſanè cum regno vexilla Domino ſuo tradentes pingi. Nam octoginta quinque vexilla, in ſolo Pragenſi prælio hoſtibus erepta FERDINANDO CAESARI vna cum recepto regno tradiderunt. Titulus ſupra hanc figuram

Dubrau. lib. 19. & Petr. Gregor. Toloſ. lib. 6. de Rep. c. 20. n. 29.

ram effulsit iste: REDDITE QVAE SVNT CAESARIS, CAESARI, ET QVAE SVNT DEI, DEO. Commodus omnino hic titulus erat; nam commodùm *eo ipso die, quo miraculosa illa & tam illustris victoria de hoste prædone parta est (incidit enim in Dominicam XXII. post Pentecosten) illud ex Matthæi Euangelio ab vniuersâ Ecclesiâ Catholicâ recitatum est*, in quo verba ipsissima illa continentur; vt proinde etiam Christi nomine illa DVX BOICVS ad hostes verba *Reddite quæ sunt* CAESARIS CAESARI, *& quæ* DEI DEO, toties pronunciasse videatur, quoties vel tormentis in illos detonuit, vel gladio verberauit.

Matth. 22. 21.

CAP. X. *Cæsaris erga Bauariæ Ducem animus in honorandâ eius virtute.*

IN apice *arcus* ipse conuentus Ratisponensis, & singulorum Principum, in primis aût ipsius IMPERATORIS in vrbem ingressus describebatur. Nec enim postrema illius conuentus caussa fuit, qui ferè postremus Principum in illam vrbem cum splẽdidissimo apparatu intrauit. Et cur non illius quoque gratiâ IMPERATOR ceterique PRINCIPES ac ELECTORES Ratisponam issent, qui illorum gratiâ in bellũ iit? Meritò laborem pro illo susceperunt, à quo Victoriam & securitatem acceperunt.

Itaque in medio *arcus* apice pegma erectius stabat, & in pegmate IMPERATOR FERDINANDVS MAXIMILIANO BOIORVM DVCI paullò submissius stanti POMVM, PILEVM & EPOMIDEM, lætâ fronte serenisque ocu-

lis

lis porrigens: MAXIMILIANVS autem inter vniones, quibus luxit, ipse primi summique precij gemma, stricto sed verso in terram gladio, positaque ad latus casside præmium expectanti similis erat. Supra vtrumque *Aquila* volitabat, quæ vnguibus telum tenuit alterâ parte iam efflorescere incipiens. Amphiarai nimirum illud telum erat, quod ab *Aquilâ* sublime raptum, & in terram iterũ delapsum cessisse in laurum Poëtæ cecinerunt. Notissimi figura auspicij. Ita enim Imperij nostri *Aquila* CAESAR FERDINANDVS, MAXIMILIANI BAVARI arma extulit; atque ijs terram percussit in laurum abituris. Nihil enim propemodum hac tempestate magis *floret* aut *triumphat*, quàm NOVI ELECTORIS arma, in quæ omnium quà sperantium; quà metuentium oculi conijciuntur.

Gladius porrò, & cassis, vniõesque NOVI ELECTORIS, in recenti facto, vetus dictum exprimunt. Quippe Comes Sabaudiæ Petrus *feudum apud Imperatorem Ottonem IIII. (alij inter quos est Paradirius, nominant Rudolphum I. huius nominis) petiturus, antè eum apparuit in duplici habitu. Latus enim dextrum eius vestibus inauratis egregiè fuit ornatum; sinistrum verò armis lucidissimis ferreis munitum. Imperator, quid sibi hic distinctus & inusitatus mos vestiendi vellet, ab eo sciscitatur: Comes respondet: Aurum se gestare in dextrâ parte ad honorandum Maiestatem Imperatoriam: in sinistrâ* *Phil. Cam. oper. succis. p. 1. cap. 6.*

nistrâ verò se esse armatum, vt contra maleuolos & obtrectatores eius VSQVE AD EXTREMVM SPIRITVM *pugnaret. Eundem quoque quum Cancellarius Imperatoris moneret, litteras feudales de nonnullis oppidis, quæ paullò antè primum in bello acquisierat, monstraret; gladium euaginatum ostendens: Hæ, inquit, sunt litteræ, quibus ista loca acquisiui.* Interpretationem hanc mihi suppeditauit, tergemina inscriptio volitantibus velut tæniis inserta. Prima POMVM, altera PILEVM, tertia EPOMIDEM respiciciebat. Fuerunt autem istæ.

I. AVREVM POMVM FERREI LABORIS FRVCTVS EST.
II. TE CAESAR PILEO, TV CAESAREM CLYPEO TEXISTI.
III, EIVSDEM DECET ESSE CAESARES CREARE, CVIVS FVIT CAESARES CONSERVARE.

GLORIAE BELLICAE

LIBER VIII.

DE GLORIA A PONTIFICE ET ECCLESIA.

CAPVT I. *Ecclesiastici ordinis homines Ducis Bauariæ beneficio ad sua, & suos reducti.*

VIdi legiq; hæc talia vitreo glaucomate in chartam sparsa; & nequaquam vitreâ voluptate plenus, iam CAESAREM, iam ELECTOREM, iam ipsum quoq; Lucretium meum, suâ quemque laude muneraui, simul & nouâ arte diues, & veniam meæ illius de Magiâ Thessalâ suspicionis deprecatus.

Tum

Tum Lucretius. Quando ita hæc tibi, teque ipſum mihi gratum animaduerto, à vitris ad gemmas te ducam. Sed priùs etiam hoc mihi ſpectaculo oculos ſatia. Ita ait, & vitra cum oculo ſuo ligneo, aliò dirigit. Nec mora. Video per chartam illam, quę lumē de vitro deriuatum excipit, illicò inquietas effigies, ambulantéſque turmatim colores diſcurrere, & de coloribus ipſos homines agnoſco. Quidam curribus, alij equis inſident. multi ſibi ipſis & currus & equus ſunt. His alij gratulante geſtu occurrunt, alij libros ceteramque eruditorū ſupellectilem porrigunt. Interrogo quinam ſint? An neſcis, inquit Lucretius, hos de tunicis togíſq; ſuis viros diſtinguere? Ille Pontificio amictus eſt ſchemate, iſte albâ, ille pullâ veſte, alius glaucâ vitæ ſtatum profitetur. Et vt compendiis vtar, An neſcis vix BOIARIAE DVCEM in terras ab hoſtibus occupatas intrauiſſe, cum & ij quoque, qui ob veram religionem exulabant, ſpe intrauerunt? Neq; ſpei vanus poteſt eſſe exitus, quæ BAVARICAE virtutis nititur fundamento. Et vel Tullio teſte, *Maiorum inſtituta tueri, ſacris cærimoniisq́ retinendis, ſapientis eſt.* Cic. II. de diuinat. Itaq; obtentâ Victoriâ, etiā illud obtinuit VICTOR, vt *Joannes Lohelius, Pragenſis Archiepiſcopus, cum clero Metropolitano; Gaſpar Quæſtenbergius, Abbas Strahouienſis, qui eſt ex familiâ Præmonſtratenſi, Dominicani, Franciſcani, Patres Soc.* IESV, *& alij ordinis Eccle-*

 ſiaſtici

siastici viri in vrbem redirent, & cum illis totà pœnè in terris triūphans Ecclesia. Obuiis hi omnes vlnis, & desiderantibus votis, festóque cum strepitu à meliùs sentientibus sunt excepti. Quàm grata esse solet serenati cœli facies, postquam atrox tempestas desæuiit, tam læta ea tum fuit dies. Hoc igitur est, quod istæ vltrò tibi citroqúe discursitantes in chartâ imagines monstrauerunt. Incessit mihi cantandi cupido, his auditis. Horatianam igitur lyram arripui semi tamen fractam.

Horat. lib. 1. carm. od. 2.

O decus cæli, columenque terræ,
Verus antiquæ pietatis hæres,
Iamq́ non ficte PATIENS VOCARI,
CAESARIS VLTOR.
Serus in cælum redeas, diúque
Lætus intersis populo Quirini:
Néue te nostris vitijs iniquum
Ocyor aura,
Tollat. heic magnos potiùs triumphos,
Heic ames dici pater, atque Princeps:
Neu sinas CALVOS *equitare inultos*
Te Duce VICTOR.

CAP. II. *Merita Ducis Boij in Vniuersam Ecclesiam collata.*

PLVS optabis, inquit Lucretius, vbi intellexeris eũ pro totâ quoq; Ecclesiâ in armis stetisse. Nam si vel profano scriptori credimus, *iure ille à dijs proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicatur.*

Iustin. lib. 8.

Pro

Pro totâ autem Ecclesiâ stetisse quis negabit illum qui hostes fregit totam funditùs Ecclesiam euertere cogitantes? Quia igitur ex mente Philosophi, *Primum est, curatio rerum diuinarum*, etiam ille censuit, *nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summâ vi oportere defendi.* Et sanè potenter defendit, *Decet enim*, vt Diogenes Stoicus dixit, *quod optimum est, ab optimo coli; & quod imperat, ab imperante.*

Arist. 7. Polit. cap. 8.

Lactant. lib. 5. Instit. cap. 20. Diog. apud Stobæum.

Hæc inter ambulandum fabulati sumus, & nondum cogitabamus de epilogo sermonis, cùm augustissimum mihi templum digito monstrauit, meus iste magister. Nec tam oculus digito indiguit ad tantum fulgorē curiosè spectandum, quàm animus cogitationibus aliò abreptus. Aureæ litterę in summâ fronte rutilantes docebant, TEMPLVM HONORIS id esse, eius nempe, quo & Ecclesia honorata est, & vicissim honorauit honorantem. Nam supra ingressum ante marmoream Ecclesiæ effigiem ense armatus *Leo vrsos, leones, apros, dracones*, similémq; totam cateruam in fugam conijciebat; carmine rem sic interpretante.

Quid Boico facies Ecclesia cincta leone?
Præsidium ostentas scilicet ipsa tuum.
Transiluanus aper frendebat montibus in te,
Taurus Pannonico mugijt axe ferox.

Iamq; instaurabat Leo *lubrica bella* Batauus,
Quæ malè cognatus cœperat antè Leo.
Hos inter tot apros Ecclesia totq; leones,
Absque Leone foret, quomodo tuta foret?

CAP. III. *Bauaria ob constantem cum Catholica religione communionē quanta sit Gloria?*

PRæter supra dictas statuas visebatur & BAVARIA Virginis habitu, vnâ manu palmam Ecclesiæ tradēs, alterâ ab Ecclesiâ coronam capiens. Nempe hinc merita, inde præmia veniebant: & quia magna merita, ideò magna præmia. Aspectâ hac statuâ totus in verba & affectum solutus dixi: Quid laudes tuas silebo ingratus, ô felicissima BAVARIA nutrix mea? Postquam tot Germaniæ vrbes, Resp. Prouinciæ per cæcam hæreseos libidinem religionis pristinæ puritatem vel penitùs amiserunt, vel magnâ sui parte attaminauerunt, tu sola illibata Virgo in fide Christi veræque & antiquæ Ecclesiæ in hunc vsque diem perstitisti. Etsi enim nō defuerunt etiam in hac castissimâ Penelopes huius domo improbæ ambitionis proci, longè tamē potentiorem Telemachum inuenerunt, à quo fortissimè arcerentur. Ergo quia hæresi in Bauariâ apertè grassari non licuit, vel latibulis contenta fuisset, si tantam DVCVM prouidentiam quidquam latere potuisset.

Meritò itaque & nunc Bauaria dum palmam Ecclesiæ offert, coronam refert. Quanta autem coro-

corona? Scripsit olim disertissimus Plato, Medis victis, Cyrum gentis suæ nomen imposuisse. Et Sallustij verba sunt, *Victos omnes in gentem nomenque imperantium concessisse*. Idem BAVARIAE *Victrici* contigit. Nam Amberga, præcipueque Camum & alia in Palatinatu superiore oppida, quæ dum quaterentur tormentis, subigerenturque, ipse MAXIMILIANVS in acie stetit, nunc id BAVARICO nomini illustrissimum testimonium prębent, vt quoties aliquem abiuratâ hæresi, ad CATHOLICAM transire Ecclesiam cernant, non iam vt antehac solebant, CATHOLICVM, sed BAVARICVM factum esse dicant. Quanta hęc laus tua florentissima BAVARIA, vt BAVARICVM & CATHOLICVM fieri pro eodem habeatur? Sic D. Ambrosius testatur etiam ante M. C. annos *Romanum* & *Romanensem*, idem fuisse quod *Catholicum*. Immo sic ipse D. Paulus testatur ad Romanos ita scribens: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per IESVM CHRISTVM pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Quam Romanorum laudem etiam posterâ ętate perdurasse D. Hieronymus confirmat, dum ait: *Ad Romanos Apostolico ore laudatos perfidia non habet accessum*, nec à tempore S. Hieronymi hucusque habuit, quia nulla illam vnquam hæresis occupauit. Et neque Decianę quidem persecutionis tempore Romanorum fidem labefactatam, D. alibi Cyprianus ex hac ipsâ san-

Plato in Menexeno.

S. Ambros. in orat. de obitu Satyri.

Rom. 1. 8.

S. Hieron. lib. 3. contr. Ruffin. cap. 4.

S. Cypr. epist. 57. ad Cornelium. cti Pauli sententiâ laudat. S. verò Chrysostomus vlteriùs progressus, *Non dixit Paulus*, inquit, *manifestatur, sed annunciatur fides vestra*, eò quod sicut Ecclesia Romana Petro & Paulo veritatem prædicante crediderat, ita instar illius, velut matricis, cęteræ Ecclesiæ nationesque credere deberent, quod illa credidisset. Quam ob causam apud ipsos quoque tam hęreticos, quam orthodoxos veteres, idem erat *Romanum* esse, quod *Catholicum*. Quippe & Iocundus Arrianus ad Theodoricum regem: *Si Armogasten*, inquit, *gladio peremeris*, ROMANI, (id est Catholici) *martyrem prædicabunt*. Ita recenset Victor Vtic. in persecut. VVandalicâ, vbi & alium martyrem commemorat, qui ab eisdem Arrianis, de fide rogatus, respondit, *Romanus sum*. Ad eundem modum ipse Theodosius Imperator epist. ad Acacium Beroënsem, *Decet*, ait, *vos probatos esse Romanæ religionis*. Quin deductiùs & velut certo argumento vsus Ricemer Gothus & Arrianus scribit ad Ligures, *Si est Catholicus, est & Romanus*.

S. Chrys. in 1. cap. ad Rom.

Hoc ergo ipso rudis Camensium plebecula nōdum plenè argumentari assueta, colligere ratione solet; *Si est Catholicus, est & Bauaricus*, piâ Dialecticæ ignoratione existimans, quoniam *Bauaricorum* est, esse *Catholicos*; etiam vicissim *Catholicorum* esse, vt *Bauarici* nominentur. Nominentur planè & sint *Bauarici*, nunquam illis Romana & Catholica

Eccle-

Ecclesia hoc nomen inuidebit; per quod ipsa se crescere & quotidie maiora capere incrementa animaduertit.

Interim non exigua est hæc BAVARICI nominis gloria, quòd etiam in pueros notum sit, religionem *Catholicam, Romanam, & Bauaricam* eandem esse: Quis igitur Pauli verbis Boios non alloquatur; & dicat, *Gratias ago Deo meo, per* IESVM CHRISTVM, *pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso* Palatinatu; & quis vetet etiam dicere *mundo*?

CAP. IV.

Monachiensis Vrbis Pietas.

HAbes *Romã*, ait Tertullianus, *vnde nobis quoq; authoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totã doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Et D. Hieronymus, *Vultis*, inquit, *scire, ô Paula & Eustochium, quomodo Apostolus vnamquamque prouinciam suis proprietatibus denotarit? vsque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides: vbi aliquando tanto studio & frequentiâ ad Ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurritur? vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat Amen, & vacua idolorum templa quatiuntur? non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quòd deuotio in eis maior sit & simplicitas ad credendum.* His verbis Romana Ecclesia tanquam matre laudatâ, etiam Bauarica Ecclesia, velut filia hæreditario quidem, sed præ multis alijs præcipuè quo-

Tertull. lib. de præscript. adu. hæret. cap. 36.

Hiero. in præfat. lib. 2. in epist. ad Galat.

quodam iure potest laudari. Cum præsertim ocellus ille Bauariæ Monachiensis ciuitas, ob tot Apostolorum aliorumque Diuorum reliquias, ob tam multas magnificasque ædes sacras, ob incredibilem sensum pietatis, & in diuinis rebus ardorē, ob assidua virtutum omnium exempla, à Principibus, ciuibus, populóque vniuerso promanantia, non solùm heroum nutrix, patria legum, virtutum domicilium, sed etiam inueteratâ iam consuetudine quædam Germanorum *Roma* appelletur. Nec immeritò, ibi enim est Roma, vbi Romana pietas.

CAP. V. *Pietatē magnam esse in bello caussam felicitatis.*

Aristot. Rhet. ad Alexand. Cic. orat. de Aruspi. respōs.

INtellexit olim Aristoteles: *deos proniores esse in eos, qui maximè illos colunt.* Post Aristotelem ausus est gloriari Tullius: Romanos, non *calliditate aut robore, sed pietate ac religione omnes gentes nationésque superauisse*: id de Christianis Romanis si pronuncietur, tum demum verum erit. Quare cum & *Bauari* Deum Diuosq; maximè colant, quid mirū est, si hostes armis quoque vincant, quos pietate ac religione dudum superauerunt? Feliciter olim à Bellisario res gesta est, teste Procopio, sed postquā Iustinianus nauim prætoriam in Africam contra Vandalos vela facturam ad littus, iuxta ędes imperatorias deduci iussit, & Epiphanius Constantinopolitanæ ciuitatis præsul clasi de more bene-

Procop. lib. 1. de bello Vandalic.

preca-

precatus, militesque paulo antè salutari aquâ tinctos & Christianum nomen profitentes, sigillatim in nauim introduxit. Felix manus, Pontificia manus, per quam ipsa toties felicitas & diuinus fauor ad mortales promanat! Felix Princeps, quem ista manus deducit, fouet, adiuuat; hoc enim demum est, quod vetus verbum monet, *cum Deo manum mouere*. Fecisse id BOIVM DVCEM, si aliunde nescissemus, effectus satis superq; docuisset.

CAP. VI. *A Pontifice Paulo V. Auxilium pecuniarum.*

SIc mecum ipse disputans pedibus oculisque externam templi speciem obibam; vbi ex varijs murorum ornamentis, præterquam, quòd sciebam *Ann. M. DC. XX. PAVLVM PAPAM V. Idib. Ianuarijs publicasse litteras indictionis sex decimarum* (vt habet diploma) *super fructibus ac pensionibus Ecclesiasticis Italiæ, in subsidium belli Bohemici*, didici præterea & quâ sit erga supremam in terris sedem reuerentiâ & pietate summus militiæ PRINCEPS, & quo vicissim erga hanc virtutem animo summus PONTIFEX. Vt enim nunquam remotos ab exactissimo cultu sacri illius capitis oculos habuisse noster PRINCEPS existimaretur, litteræ nonnullæ ab illo ad PONTIFICEM datæ, & vicissim aliæ receptæ atq; in pariete affixæ legebantur. Primæ, quas die 12. Nouembris captâ Pragâ ex eadem vrbe ad PAVLVM V. Papam prodigiosæ illius Victoriç indices dedit, hç erant.

BEATISSIME IN CHRISTO PATER AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME: POST HVMILLIMA BEATORVM PEDVM OSCVLA.

CAP. VII. *Epistola Boni Victoris ad Paulum V. Papam de Pragensi Victoriâ.*

R*Espexit tandem* DEVS *Opt. Max. Ecclesiam suam, eiusq; hostes debellauit, & fregit, illustri sanè victoriâ, quæ iure meritò* VICTORIA DEI *vocatur. Ego quidem &* veni & vidi, *pugnaq; præsens fui, sed* vicit optimus Deus, *cui omnem victoriæ titulum gratissimâ mente ex solido adscribo. Verè manus Domini nobiscum fuit, quæ hostem tam potentem, & loco tam munito sese opponentem deuicit. Nec sine singulari* DEI *prouidentiâ factum videtur, quod cum hoste congressi simus, ipso Sanctorum omnium octauo die, qui idem fuit tum Dominicâ vicesimâ secundâ post Pentecosten, quo Euangelium ritu Romano prælegitur,* Reddite ergò Cæsari, quæ sunt Cæsaris. *Reddidit certè Palatinus Elector, quamuis inuitus. qui vbi cladem sui exercitus accepit, vnà cum coniuge, Pragâ cessit, & vel hoc ipso Catholicum agmen vicisse, professus est. In quâ* DEI *Victoriâ quædam prorsus admiranda contigere. Hostis erat numerosus, nec veterani militis robore carebat: hunc etiam locus ipse fecit audacem. Nam in monte, vrbi Pragensi contiguo, instructissimam contra nos aciem direxit, & quamuis ego cum vniuerso exercitu, totâ penè nocte iter fecerim, hoc solùm fine, vt hostem assequi, & cum eo confligere liceret, conflictus tamen initio admodum iniquus videbatur & impar, cùm hostes in opportunissimo sibi loco, nec minùs munito, facilem in nos pugnam sortiti essent. At demissâ præmissâ deliberatione, ante omnia* DEO *fidendum, & ope diuinâ nitendum esse rati, ex iniquo etiam & inferiori loco, hostem cominus aggressi sumus. Videbatur quidem noster exercitus sub initium nonnihil nutare, sed mox resumptis animis & alacritate, iuit in hostes, & eos è monte profligauit, tormenta ænea maiora occupauit, omnibus aduersæ partis aut cæsis, aut in fugam actis. Ita dispersi fusiq; ad internecionem vsque deleti sunt: nec priùs destitére nostri, quàm fugâ dissipatos ad ipsam vrbem insecuti, variâ in eos cæde grassarentur. Numerus quoque cæsorum excreuit, vt plura millia interfectorum numerarentur; cùm ex parte nostrâ vix centum desiderati; plures tamen læsi sunt. Præter tot ex hostium numero cæsos, aliquot capti; inter alios* Principis Anhaltini filius *natu maximus, qui etiam grauiter læsus est,* duo Comites, *& plures Nobiles & Capitanei.*

In eadem pugnâ, præter centum vexilla, decem quoque maiora curulia tormenta hostibus erepta sunt. Hungari, multis iam eorum prostratis, vt fugâ se seruarent, in Moldam flumen se se præcipitarunt, tranaturi: sed mille circiter in aquis interiisse dicuntur. Et quidem pugna ad horam tenuit, die, vt dictum, octauo omnium Sanctorum, qui se se de suis hostibus insigniter sunt vlti. Die sequenti, qui fuit nonus, qui & Dedicatio basilicæ Saluatoris, ciuitas Praga *deditionis ad me misit litteras, se in Cæsaris potestate posthac futuram.*

Altero ab hoc die, tam vetus, *quàm* noua Praga, *(est enim tripartita ciuitas) obedientiam Imperatori, sine exceptione omni, promiserunt. Hodie quoque regni Bohemici status, Comites, Barones & Nobiles, crimen publicè deprecati, mihi, nomine Cæsaris, nouum homagium promiserunt, & confœderationibus omnibus, tam cum Regno Hungariæ, quàm aliis initis renunciauerunt, ipsaq; confœderationum instrumenta ad meas manus tradiderunt. Itaque in hoc anno,* DEO *soli laus,* Austria Superior *omnis Cæsari subiecta,* inferior *tranquillata, & ab hoste liberata, & complures Bohemiæ tam vrbes quàm arces captæ, ante Pragam hostilis exercitus profligatus,* Praga *occupata, & status regni Bohemiæ in Imperatoris fidem & obsequium reducti.*

Hæc

Hæc S. V. compendio narrare, simulq; Ecclesiæ Romanæ gratulari par erat. Interim S. V. submissè & plurimùm me commendo, atque ad pedum osculum reuerenter submitto. Pragæ die 12. Nouemb. An. 1620. S. V. deuotus & obsequentissimus filius & seruus Maximilianus.

PRima hæc epistola, in primo templi pariete hærebat; atque aliæ deinde tres in cæterorum parietum muros erant suspensæ. De secundo igitur pariete in palimpsestum eas literas transcripsi, quibus ad primas illas PAVLVS V. Pontifex 3. Decemb. sic respondit.

Cap. VIII. *Epistola Pauli V. Pontificis Max. ad Maximilianum Boiñ Vidarf.*

DILECTO FILIO NOBILI VIRO MAXIMILIANO DVCI BAVARIAE PAVLVS PAPA V.

D*Ilecte fili, nobilis vir, felicissimum, & supra quàm dici potest, nobis & vniuersæ Christianæ Reipublicæ optatissimum Pragensis victoriæ nuntium attulerunt litteræ tuæ. Quam quidem victoriam, vt de immensâ* DEI *potentiâ confidentes, non dubiâ spe præsumebamus, ita nunc de eâ tam copiosè, tam mirabiliter partâ, immortales ei,* qui facit mirabilia magna solus, *gratias agere non desistemus. Tibi verò in visceribus* IESV *Christi vnicè dilecte fili, totius Ecclesiæ nomine, cui immeritò præsidemus, ex intimis præcordiis gratulamur, quòd nimirum res adeò præclaras tam fortiter, tam breui tempore gesseris, vt quemadmodum scribis,* veneris, videris, &, Deo duce, viceris *perfidos Christi hostes, & Romano Imperio rebelles.* Laudet, *fili,* vsque ad mortem anima mea Dominum, quoniam adiutor & protector factus est nobis. *Equidem nobilitatis tuæ litteris lectis, toto spiritu in Domino exultantes, Ecclesiam S. Mariæ Maioris petiuimus, ibiq; humiliter prostrati, cum lachrymis de summo accepto beneficio debita persoluimus, cùm auctori omnium bonorum* DEO, *tum sanctissimæ Matri misericordiarum, & Reginæ Sanctorum omnium, in quorum solemnitatis octauo die victoriam diuinitus tibi delatam fuisse scribis. Vt minimè dubitandũ sit, quin tibi pro gloriâ* DEI *strenuè dimicanti cælestis exercitus auxilium illâ die præsens adfuerit. Ad huius porro beneficij magnitudinem, quàm grato possumus animo, prosequendam, solemnes indiximus in hac vrbe supplicationes ab Ecclesiâ S. Mariæ, quam appellant supra Mineruam, ad Ecclesiam S. Mariæ de Animâ: ad quam nos venientes sacrosanctum Missæ sacrificium omnipotenti* DEO *in gratiarum actionem obtulimus. Nullum certè erit tempus, in quo collati eximij doni memoria ex animo nostro deleatur, quin semper indies magis magisq; vigebit, sicut & Illustris tuæ virtutis, suorumq; gestorum immensa gloria perpetuò nobis ante oculos versabitur, omnisq; consequens ætas meritis illam laudibus celebrare non desistet. Nec est, quod aliquo pacto vereamur, ne ista tua virtus vnquam defatigetur, quin firmiter sperare debemus, eam ex ipsis, pro Christi atq; ipsius Ecclesiæ honore, feliciter susceptis laboribus, maiores quotidie vires accepturam, deq; Christianâ Republicâ maiori etiam, si fieri posset, conatu optimè promereri nunquam cessaturam.*

Quo ſanè fiet, vt antiqua Bauarica familia decora tuis egregiis factis indies exornentur & cumulentur, & ipſe temporalis atq; etiam æternæ felicitatis ampliſsimum præmium ab eo, qui eſt liberaliſsimus remunerator, conſequeris. Nos certè tantum Nobilitatis tuæ merito tribuimus, vt quæ vnquam à nobis, atque ab hac Sanctâ Sede in te, tuamq; familiam proficiſci poterunt, ea semper vobis parata fore pro certo habeas, velimus.

Interim Nobilitati tuæ à Domino ſecunda omnia optamus & precamur, & iterum paternâ noſtrâ benedictione, toto cordis affectu, benedicimus. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, die 3. Decembris, 1620, anno 16. Pontificatus noſtri.

CAP. IX. *Rerum bella plerumq; eſſe proſpera, qui pro Deo, Pontifice aut Eccleſia pugnãt.*

IN ſecundo vt ſupra monui, pariete, velut in publicis tabulis, epiſtola iſta conſpiciebatur, immenſæ imaginis baſi incluſa. Imago autem feſtam illam lætitiam, cantuſque ſolennes, & ſupplicia ſacrificiaque Superis à PAVLO V. Romæ decreta expreſsit; ſimulque non paucos ex eorum numero dynaſtas, qui omnia poſt religionem ponenda ſemper duxerunt: etiam in quibus ſummæ maieſtatis voluerunt conſpici decus. *Quapropter*, vt Valerius Maximus de ſuis quoque tradidit, *non dubitauerunt ſacris imperia ſeruire: ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene atque conſtanter fuiſſent famulata*. Et fuerunt ſapientiſsimi quoque ſanctiſsimique ſcriptores, qui intrepidè pronunciarent, inter verę Eccleſiæ *notas*; atq; inſignia eſſe & felicitatem ijs diuinitus conceſſam, *qui Eccleſiam defenderunt. Nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæſerunt, quin facilè de hoſtibus triumpharent*. Prętervictorias ergo *Abrahæ, Moſis, Ioſuæ, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechiæ, Ioſiæ, Machabæorumque* velut de longinquo & per nebulam

Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Bellarm. lib. 4. de not. Eccleſ. cap. 18.

lam indicatas; viciniùs effigiatę erant nouę legis victorię: vt illa Constantini, qui primus publicè ex Imperatorib. Ecclesiā defendit, eoq; ferè modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonem. De quo D. Augustinus sic loquitur. *Constantinum Imperatorem* Deus, *non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulachroque concessit. Diu imperauit, vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit & defendit: in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus fuit;* ideò felix, quia pius.

Euseb. lib. 9. hist. cap. 9.

S. Aug. 5. de Ciuit. c. 25.

Quare in iure ciuili non solùm *Diuæ memoriæ* vocatur, sed etiam dicitur venerandâ Christianorum fide Romanorum muniuisse imperiū. Altera quoque velut cœlo expressa in marmore victoria fuit Honorij, planè Catholici Principis, & vt ex eius epistolis ad Bonifacium Papam didicimus, Pontifici Romano supra modum addicti. Quem itidem D. Augustin. memorat ita fauentem habuisse in prelio Deum, vt vno in certamine multò amplius, quàm centum millia Gothorum prosterneret, regemque ipsum Radagaisum cum filijs caperet, atq; ad internecionem deleret. Ex Romanis verò (tanta est Dei erga diuina defendentes defensio)

L. 3. C. de legit. tut. l. 5. C. de natural. lib.

S. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 23.

ſio) ne vnus quidem, inter tot vulnera & funera hoſtium eſt vulneratus, ne dum extinctus.

Æmil. lib 6. hiſt. Francor.

Tertia ea, ni fallor, erat, quâ ſcribit Æmilius tempore Innocentij III. in Galliâ ab octo millibus Catholicorum cęſa eſſe vno prelio centum millia Albigenſium hęreticorum. Nec ea omittebatur, quam Carolus V. diuino miraculo de Lutheranis retulit Ann. M. D. XLVII. cuiuſq; non vnam duntaxat ſcenam Ingolſtadienſis hæc noſtra ciuitas è propinquo ſpectauit, veſtigiaq; vel hodie hoſpitibus ſuis demonſtrat.

Io. Cochle. in actis Lutheri Anno 1531.

Potuiſſet totus paries vel noſtri temporis, ipſo religionis auſpicio reportatis victoriis impleri. Etenim Ioanne Cochlæo teſte, Anno M. D. XXXI. quintâ vice prælio rem decernendam, & pro auitâ religione ferro pugnandum cum hæreticis Heluetiis, Heluetij Catholici, Martia illa & veritatis vindicandæ auida gens cenſuerunt. Semper vicerunt Catholici, licet numero & armis multo inferiores. Nempe virtute ſatis armati fuerunt, qui pro virtute pugnauerunt. Plurima quoque è Galliis atq; Belgarum terris exempla peti potuiſſent, quibus in locis plurimæ clariſsimæque de hæreticis victorię Catholicis fuerunt conceſſæ: *immo vix vnquam fuerunt hæretici ſuperiores, quando iuſto prælio dimicatum eſt.* Quod ad miraculum vſque his ipſis quoque vltimis annis experti ſunt. Cum enim

Bellarm. loc. ſupra cit.

ipsa belli alea alternas secum ferat vices, & plerumque Mars iam in hanc, iam in illam partem fortunam, quasi de statione in stationem transferat, continuis tamen cladibus, præter spem suam, & supra vim nostram, attriti sunt. Quibus historiis palàm factum est, rectè locutum esse Romanum illum cũ dixit: *Non mirum si pro eo imperio augendo, custodiendóq; pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam scrupulosâ curâ, paruula quoque momenta religionis examinare videtur.* Denique hac ipsâ de caussâ in coronâ quadam, quæ paulo priùs commemoratas à me figuras supernè texerat, hæc sententia eluxit. *Val. Max. lib. 1. cap. 1.*

CVM SVPERIS, QVIA PRO SVPERIS. Deum enim non habet aduersum, qui pro Deo pugnat. Hæc spes & illam ad arma natam neruosam gentem incendit, vt ante præliorum initia cœlestium opem hanc ipsâ sibi arte cõciliaret, quòd Catholicos se, & pro cœlestibus bella facere palàm profiterentur. Nam *vetus mos Polonorum erat, antequam cum hoste confligerent, patriâ linguâ & voce Canticum vulgò Bagarodzica dictum occinere, quo & fidem Catholicam profitebantur: & opem Beatæ Mariæ Virginis, & aliorum Cœlitum suppliciter implorabant. Nunc grassantibus hæresibus mos hic pius & salutaris exoleuit, meritò postliminio reuocandus*; vt inclytæ illæ victoriæ reuocentur. *Mathias Miechou in Bellatore Christiano.*

CAP. X.

Spolia quadã ad Summum Pontificem à Rege Electore transmissa.

FAuet igitur Deus eorum gloriæ, qui & ipsi fauent Ecclesię; atque ijs se addicit, quos summo esse

esse Pontifici addictos cernit. Qualem inprimis fuisse BAVARVM ELECTOREM Lucretius ille meus illo quoque argumento docuit, quòd inspicere iussit, dexterè appositos quatuor angulis libros non quidem planè apertos, sed ita tamen hiantes, vt lectorem sustinerent. Vidi ibi insignia noui ELECTORIS gemino coronato leone, rhombísque emicantia. In vmbilico scutum nouum veteri illi scuto superadditum, *Pomum* gerebat *cruce insignitum*. Pro limbo torquis erat, & de torque aurei velleris imago pependit. Porrò duo Angeli inter sessionem & volatum dubij; *Pileo electorali* geminam palmam clypeo circumdatam excipiebant, & additum palmarum iuncturæ *alatum caput* protegebant. Supra hanc imaginem talis epigraphe oculos legentium erudiuit.

Sum de Bibliotheca, quâm Heidelberga capta Spolium fecit, &

P. M.

GREGORIO XV.

trophæum misit.

Maximilianus Vtriusque Bauariæ Dux, &c.

S. R. I. Archidapifer & Princeps Elector.

In-

Infra velum quod de insignibus defluxerat, etiam anni numerus additus fuit iste, *Anno Christi clↄ lↄ lxXXIII.* Ac si oculatâ manu instructissimæ Bibliothecæ volumina vidissem, & in præsentiâ tractassem, sic perlectis his pauculis verbis multa agnoui. Nempe, vt vetus verbum ait, *salis onus vnde venerat, illuc abiit.* Nam sicut ex aquâ marinâ Sal concrescit, ita in eandem denuò liquitur. Bona enim illius Bibliothecæ pars Caluinianâ manu in sacris Ecclesiæ Cœnobiis conuasata, ad Ecclesiam postliminiò rediit; & ne sit fortè inter hæreticos illos librorum greges contaminata, à SERENISSIMO BOIORVM DVCE liberalissimè Romam *ad Inquisitionem* est missa. Nihil potuit vel Pontifici gratius, vel Victori gloriosius, vel victis acerbius accidere. Sic enim Romæ quoque & Pontifex *spolium*, & Victor *trophæum*, & victi cruciatum habent, cum videant ad ipsum Ecclesię gremium libros scientiasque suas transiisse, magno secuturis exemplo.

Ceterùm tu quidem, ELECTOR, nobilissimâ Romanam sedem ornauisti Bibliothecâ; sed non sine ęterno magnificentię virtutisque tuę monumento. Nullus enim eius posthac liber in cuiusquam manus, sine tui nominis memoriâ veniet. Quotquot in tot millibus librorum paginę, quotquot in singulis paginis verba, totidem & fortitudinis & religiosissimę liberalitatis tuę signa pręconiaque

reperientur. Paratque erit & illa suprema sedes in tua officia, pro quâ tu nō solùm tutandâ, verùm etiam ditandâ bellauisti. Quis porrò & Pontifici aduersus te animus sit, Epistola tertio parieti credita ita luculentè est testata, vt ostenderet illū, ambabus manibus hausisse occasionem tibi ex animo gratulandi gratificandiquè. Erat autem epistola, si vlla vnquā, amore & honore plenissima in hunc modum adornata.

CAP. XI. *Epistola sūmi Pōtificis, quâ Electoratum Duci Bavorū est gratulat⁹.*

Dilecte fili, nobilis vir, salutem & Apostolicam benedictionem. Dominus regnauit, & irascantur populi, qui spem suam in mendacio & scelere posuerunt. Triumphat tandem Catholica Religio in nouâ dignitate Nobilitatis tuæ, quæ, vt fidelium populorum votum fuit, ita fidei propugnaculum est, & lætitia vniuersæ Ecclesiæ. Egregium quidem decus videtur, latrones Imperij Romani de alienis regnis, ac de auito Principatu deturbare, at tantam dignitatem defensione Catholici nominis, & hæreticorum perduellium cæde promereri; Verùm in eo enitet felicitatis tuæ magnitudo, quòd eam Pontifex atque Imperator Christi ipsius triumphum, & cælestis regni gaudium arbitrantur. Excutiat tandem cinerem mœroris è capite suo filia Sion, & induatur vestibus iucunditatis. Te enim Cæsareæ electionis ius adepto, omnis spes Romani Imperij occupandi hæreticorum temeritati adimitur. Certè nos tanto solatio tiemal...[illegible]*runt postrema tua littera, dignâ, quæ perpetuis Annalium monumentis consignentur, vt cum eas legeremus, mannâ cœli perfrui, & torrente voluptatis inundari cor nostrum videretur. Proinde tanta lætitia expertes esse noluimus venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales, qui sæpè illas dum publicè in Consistorio legerentur, dignitatis Electoris nuncias, & Bauaricæ pietatis testes, animis exultantibus audiuerunt. Nos autem scientes omnem victoriam Bellatoris, omnipotentis beneficium esse, publicam supplicationem pro tanto militantis Ecclesiæ triumpho decreuimus ad Basilicam Principis Apostolorum. Quo autem tempore choris laudantium* DEVM *illud diuinitatis sanctuarium personabat, etiam hominum conticescere non poterant Bauarici Ducis victorias ac virtutes in tantâ Catholicæ Ecclesiæ gratulatione prædicantium. Sanè nos, quæ vota misericordiarum Patri pro istarum prouinciarum incolumitate nuncupare consueuimus, ea suscepimus in præsentiâ pro nobilitatis tuæ dignitate, ac vrbis, quæ eò gloriæ progressa est, vt ne inimici ipsi queri quicquam audeant, nisi de magnitudine tuâ. Discent hæretici nihil prodesse thesauros impietatis, & arma perfidiæ: porrò autem insigni hoc supplicio non modò despondebunt animum, sed etiam exterarum nationum & sequentium ætatum turbulenta ingenia, ac temerariam cogitationem deterrebunt. Quod si ignominiâ accensus tenebrarum Princeps contra dignitatem tuæ Nobilitatis ex latibulis rebellantis Septentrionis conjuratas impiorum acies euocet, timendum tamen nobis non est, Ægyptus homo, & non* DEVS, *& equi eorum caro, & non spiritus. Auxiliator autem & Bellator noster est Dominus potens in prælio, cui nemo potest resistere, cui vniuersa famulatur militia cælestis exercitus. Cæterum qui tanto studio ac solicitudine nego-*

tium

tium hoc hactenus curauimus, nunc re perfectâ tantum Imperatoriæ pietatis beneficium, & Nobilitatis tuæ decus, omni, quâ possumus, ope tuebimur. Id autem vberius cognoscet Nobilitas tua ex venerabili fratre Carolo Episcopo Auersano Nuncio nostro, cui gratulationem Pontificiam declaranti, & sedis Apostolicæ patrocinium pollicenti cumulatè fidem habere poteris. Apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ impartimur, dilecte fili noster, quem nouum S.R.I. Principem Electorem, veterémque Catholicæ Religionis propugnatorem Pontificiæ charitatis brachijs amantissimè amplectimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Mart. M.DC.XXIII. Pontificatus nostri anno tertio.

CAP XII.

Nou. Boij Ducis titulus, esse Catholicæ religionis Propugnatorem.

HÆc verba sunt illius epistolæ, cui ad tanti PRINCIPIS gloriam nihil addi posset. Tribuit enim in eâ *summam laudem*, *summo* DVCI, *summus* PONTIFEX. Et decuit omninò *tantum à tanto in tantum laudari*. Nec oscitanter prætereundum est, quòd eum *nouum S. R. I. Principem Electorem, veterémque Catholicæ Religionis Propugnatorē* appellet. Magnus iste est & antiquus magnorum titulus. Nam vt Baronius etiam atque etiam obseruandum monuit, in fidelissimis Actis SS. Martyrum Sebastiani & sociorum, à Notarijs S. Romanæ Ecclesiæ eo ipso tempore conscriptis prima reperitur mentio de Ecclesię DEFENSORE, quod munus à Caio Papa eidem Sebastiano collatum est: idemque magistratus in posterum in Ecclesiâ perseuerauit. Cuius cū multis in locis, tum præsertim in epistolis Gregorij Papæ frequens est mentio, ex quibus etiam intelligi potest quodnam eius esset officium. Sed & ex *nouo S. R. I. Principe Electore, veteriq; Catholicæ Religionis propugnatore* intelligi potest. Quare ad paulò priùs recitatæ epistolæ latus sinistrum D. Se-

Cæsar. Baron. An. Christ. 286. Acta apud Sur. 20. Ianuar.

baſtianus primæ Prætorianorum cohortis ductor; ad dexterum D. Michaël Archangelus omnis cœleſtis militiæ tribunus appoſitus cernebatur. Contra eum, ipſo lapide, quo fuerant expreſsi, durius prælium ciebant dæmones. In clypeo D. Michaël tale ferebat carmen.

Vna ouat in cœlo, noſtris Eccleſia terris,
Altera pro cœlo militat atque Deo.
Inde ſuos angues Michaël fortiſſimus heros
In Phlegethonteas præcipitauit aquas.
Hinc tu DVX BOIVM *iuratos Numinis hoſtes*
Hæreticos longum pellis in exilium.
Iure igitur, VICTOR PVLCHERRIME, *iure triumphas,*
Diuiſum officiũ eſt cum Michaële tuũ.

Officium hoc agnoſcere, atque eò neruos omnes intendere BAVARVM ELECTOREM quartus templi paries eius ipſius verbis demonſtrat. Illa enim in eo pariete epiſtola loquebatur, quâ ad allatas ſuperiùs gratulationis litteras reſpondit. Atq; eccam.

CAP. XIII. *Reſponſio Boy Electoris ad litteras gratulationis à Gregorio XV. miſſas die XI. Mart. Anno 1623.*

BEATISSIME *Pater, ſi vllis vnquam indicijs, quæ multa & magna extant, Sanctitatis Veſtræ paternum in me amorem comperi, poſtremis certè ad me litteris comperi: perfuſæ enim illæ vndique ſunt inſignibus notis animi erga me, & amoris, imo etiam non mediocris in alieno honore lætitiæ, quam ſperneret Sanctitas veſtra in ſuo. In cæteris mihi placuit ab Sanctitate Veſtrâ omnium moderatori* DEO *impenſum cultum, ille enim vnus fuit, cuius nutu territi hoſtes, cuius dextrâ cecidere; & neſcio, an idcirco me inſtrumentum delegerit, vt & ipſi agnoſcerent a* DEO *ſe victos, quòd vincerentur per eum, quem vincendum non dubitauerant. Quod autem Sanctitas Veſtra pluribus mihi Curiatam hanc imperij dignitatem gratulatur, ab eodem fonte affectus manat, arctiorique ei vinculo adſtringor, quòd ſuum ex parte beneficium gratulatur, ipſa certè eſt, quæ patriâ ſuâ curâ auctoritateq; præcipuum ad hanc ipſam rem pondus attulit. Sed nec ſatis Sanctitati Veſtræ viſum, conceſſos mihi honores ampliſſimis verbis proſequi; polli-*

pollicetur etiam inposterum opem ad eosdem, si qua vis ingruat, defendendos. Grato animo me accipere profiteor tantam benignitatem, quâ sanè frui mallem in pace, quàm in bello, quod viget adhuc, & si fides hæretica non constet, magno auctu inualescet, ita vt Sanctitatis Vestræ auxilium sit inprimis opportunum. Ego sanè, tametsi adhuc eò neruos meos intenderim, vt periclitanti per Germaniam Religioni succurrerem, prouocor, vt me ipse superem, & pro Republicâ Christianâ maior miles fiam, maiorem Sanctitate Vestrâ faciente; calcar enim est ad laborem, labor tam benignè agnitus, &c.

CAP. XIV. *Auxilia sacra Ecclesiæ quantum valeant in periculis bellorum.*

ISTIUS quoq; epistolæ latera stipabant imagines: hinc quidem illæ, quæ reliquæ Ecclesiæ triumphum gratulationemque depingebant; inde verò quibus preces ab Ecclesiâ pro Bellatore institutę significabantur. Nam & precibus fortiter contra impietatem, pro pietatis DEFENSORE pugnatum est. Estque & hoc quoddam militię genus. *Vnde Ecclesiæ*, ait Steuuechius, *vigiliæ, stationes, vexilla, processiones, nisi à militiâ?* (*Steuue in Veget. lib. 1. cap. 3.*) Magnam ergo huic quoque militandi formę vim fuisse, sculptum declaratumque vidi eâ miraculosâ victoriâ, quam S. Germano Episcopo cęterisque Sacerdotum choris, & piorum vocibus Venerabilis Beda ascribit, his verbis. (*Beda Eccles. hist. lib. 1. c. 20.*) *Interea Saxones Pictique bellum aduersum Britones iunctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat: & cum trepidi partes suas penè impares iudicarent, Sanctorum antistitum auxilium petierunt: qui promissum maturantes aduentum, tantum pauentibus fiduciæ contulerunt, vt accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque Apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum, in tan-*

tum, vt quotidianis prædicationibus instituti, certatim populi ad gratiã baptismatis conuolaret. Nam maxima exercitus multitudo vndam lauacri expetiit, & Ecclesia ad diem resurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur, atq; in expeditione cãpestri instar ciuitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides feruet in populo, & conterrito armatorum præsidio, diuinitatis expectatur auxilium. Institutio, vel forma castitatis hostibus nunciatur, qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes assumptâ alacritate festinant, quorum tamẽ aduentus exploratione cognoscitur: cumque emensâ solennitate Paschali, recens de lauacro pars maior exercitus arma capere, ac bellum parare tentaret, Germanus se ducem prælij profitetur. Eligit expeditos, circumiecta percurrit, & è regione, quâ hostium sperabatur aduentus, vallem circumdatam mediis montibus intuetur. Quo in loco nouum componit exercitum ipse dux agminis. Et iam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis cõstituti. Tunc subitò Germanus signifer vniuersos admonet & prædicat, vt voci suæ vno clamore respondeant, securisque hostibus qui se insperatos adesse confiderent, Alleluia tertiò repetitum sacerdotes exclamabant. Sequitur vna vox omnium, & elatum clamorem repercusso aëre montium conclusa multiplicant, hostile agmen terrore prosternitur, & super se non solùm rupes circumdatas, sed etiam cœli machinam contremiscunt, trepidationique iniectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur.

batur. Paßim fugiunt, arma proiiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini, plures etiã timore præcipites, flumen quod tranſierant, deuorauit. Vltionem ſuam innocens exercitus intuetur; & victoriæ conceſſæ ocioſus ſpectator efficitur. Spolia colliguntur expoſita, cæleſtis palmæ gaudia miles religioſus amplectitur. Triumphant Pontifices hoſtibus fuſis ſine ſanguine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus, &c.

CAP. XV. *Preces Eccleſiæ tempore belli.*

POſſunt itaque aliquid & Epiſcoporum *ſtationes* ac *proceßiones* & *ſacerdotum* populiquó preces, validiſsimaqúe eſt, vt D. Chryſoſtomus prolixè diſputat, conſpirans plurium oratio. Sic & in Apoſtolorum Actis legimus, cum D. Petrus ſeruaretur in carcere, *oratio fiebat ſine intermißione* (Græcè ἐκτενὴς, cõtinuata & longa ad impetrandũ efficacior) *ab Eccleſia ad Deum pro eo*. Sicut ergo adeò Petrum Apoſtolici ſenatus Principem omnes amabant, adeoq; æſtimabant, vt communem eius gratiã inſtituerent comprecationem, ſic Eccleſia eadem poſteriore æuo traxit exemplum, in magnis neceſsitatibus, per decem, aut etiam quadraginta horas orandi, recurrente ſuâ ſingulis templis vice cũ apparatu, & expoſitione SS. Euchariſtiæ, quãquam ſpatium ipſum horarũ quadraginta, ex Dominicã ſepulturã, quæ tot durauit horas, ſumtum videatur. Sed de hac re plura Angelus Sangrinus qui

S. Chryſ. hõ. 3. de incomprehenſibili Dei natura, & homil. 2. in 2. ad Corinth.

Act. 12. 5.

qui de oratione quadraginta horarum opusculum
Exod. 17. 11. integrum edidit. Satis constat Mose manus leuante, & precibus cœlum expugnante vicisse Iosuam & Israëlitas, vinci autem cœpisse, si paululum remisisset Moses; quasi æquali passu & oratio sacerdotum, & victoria militum procederet.

Surius Anno 1571. Sic insignis illa de Turcis in mari reportata à Ioanne Austriaco Victoria precibus Pij V. Pont. Max. parta haud immeritò existimatur. Cum enim cognouisset classem Christianam anchoras sustulisse, ille ad sacram confugit anchoram in intimum quoddam palatij sui conclaue se recipiens, precesq; ad Deum cum lachrymis effundens dies noctesque inconniuis oculis perseuerauit; donec tandem de læto rei euentu diuinitùs edoctus, ex loco, in quem se abdiderat, iucundo hilariq; vultu prodiit, omnesque bonâ spe conspectu suo impleuit. Nimirum terrâ mariq; simul petitus Turca vim sustinere nequiit, nec enim ad vtrumque se parauerat. Quàm autem in mari strenuè Ioannes pugnando, tam in terrâ Pontifex fortiter precando hostem pressit, humanis pariter & diuinis armis fractum.

Herburt. lib. 14. cap. 13. Nec absimile est quod Herburtus memorat, cum enim Theodoretus, siue Fedco Dux Russorum exercitu longè maiore nec opinantes Polonos aggressus esset, adfuit tamen in deploratâ pæ-

nere

nè re piorum caussæ diuina manus. Cæsi, fugati & duodecim signis exuti Rusi. Quódque inprimis mirandum, cum prælij locus à Leopoli non minus quadraginta milliaribus ijsq; non clementer numeratis abesset, tamen eo ipso quo bellatum est die, hoc est, vltimo Nouembris, cum Rex Polonorum in templo, vbi tunc totos dies transigebat, diuinam opem sedulus imploraret, rumor de victoriâ sparsus Cracouiam totam impleuit. Nec auctor eius rumoris inueniri potuit, ita vt vanâ exultasse lætitiâ homines putarentur. Sed cum posterâ die res omnis cognita esset, gratijs Deo actis Rex lætitijs inundatus Cracouiam venit: & ouans pedibus vrbem ingressus, apud complura templa festas supplicationes, priùs quàm arcem ascenderet, obiuit. Quo exemplo docemur, non Sacerdotum tantùm, sed & magnatum aliorum esse, præcipuéque illorum, quorum magis interest, vires bellis suis à Deo Dominóque exercituum flagitare.

Quod & Bolessaum Pudicum fecisse legimus, cuius itidem feruidâ pietate Poloni Russos profligauerunt. Quamuis enim ipse quidem bello non interfuerit, præfuit tamen, immo adfuit, dum domi suæ perpetuis precibus supplicationibúsque cũ castissimâ coniuge suâ Kinga omnem belli fortunam stabiliuit. *Cromer. lib. 9. hist.*

Ee Quin

Quin & ipsos ab his quoque armis milites instructos esse par est, vt sacra Machabæorum historia exemplo suo hortatur. *Nicanor, inquit, & qui* 2. Machab. 12. *cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas verò, & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congressi sunt; manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes.*

Eiuscemodi igitur in quarto templi pariete imagines fuêre, quarum historias vel strictim attingere placuit. Sensum ipsi videtis, qui hæc auditis. Nam vtique & nostrâ hac bellorum procellâ Episcopi, religiosi, clerus, sacerdotes, populus, quin & ipsi Principes viri, agendum atque precibus obuiam eundum esse censuérunt, ne templa nostra penes illos essent, qui ijs nō vtuntur, nisi ad compilationem atque subuersionem. Quàm ardentia igitur vota, quàm crebræ comprecationes, supplicationes, solennésq; per decem, & verò etiam quadraginta horarum spacium vbique locorum geniculationes templa ornauerunt? Ausim dicere, si nihil hoc bello aliud gestum esset ad laudem, satis tamen magnum censeri fructum potuisse, quòd eo homines passim effecti sint rerum diuinarum amantiores. Nunc & gestum est multùm, & palàm declaratum Romanam Ecclesiam etiamnum habere & Mosen, qui manu ad cœlum leuatâ, & Iosuen, qui dextrâ capulo admotâ hostes agitare possit:

sit: si non idem etiam DVX noster & Moses exercitui suo, & Iosue est; æquè enim exercitatas manus ac genua habet cum Numini supplicandum; ac dexteram pedesq;, quando in certamine standum & cum hoste dimicandum.

QVanta verò solicitudo Ecclesiæ pro BAVARIAE DVCE belligerante fuit, tanta fuit etiam eodem vincente lætitia & triumphus. Horum triumphorum nonnullos alterum parietis latus complectebatur. Qui in Germaniâ meritò institui debuerunt, quique vel hîc Ingolstadij instituti sunt, eos ipsi scitis. Sed ad alios quoque populos ac nationes gaudiorum magnitudo dimanauit. Sola Roma ab antiquo iam triumphos agitare docta sufficiat. Ibi vterque summus Pontifex, tam PAVLVS V. quàm post eum GREGORIVS XV. quid fecerint, ex ipsis eorum verbis intellexistis. Verùm & ceterorum Romæ gratulatio atque festa illustriâ fuêre.

CAP. XVI. *Varij triumphi & gratulationes Ecclesiæ.*

Quare excitatum inibi sacellum miraculosæ imagini *Mariæ de Victoria* (quam R. P. F. Dominicus Romam secum pro spolio reportârat) multisque donis est auctum. Atque verò etiam Anno 1622. 8. Maij magnis gaudijs pompisque festum est peractum; quo imago illa est in suâ arâ collocata. Effudit se tota Roma, vt tantis triumphis interesset. Nec imago tantùm triumphans, sed & fede-

cim hostium vexilla (quorum quadraginta quinque Romam in trophæum *Virginis de Victoria* missa sunt) triumphata piè curiosis oculis prolixū negotiū fecerunt. Ea igitur pompa suis colorib. artificijsque descripta vltimam parietis partem occupauit. Nisi quòd modico interuallo, & illa publicè gestiens Romana lætitia fuit adumbrata, qua postquam nouum ELECTOREM Ratisponę CAESAR initiauit, concentu musico, tubarum clangore, suspensâ pro fenestris lampadum serie, noctem vincente, extructis varijs ignibus & excitatis bellicorum tormentorum tonitruis, totâ vrbe lusit & triumphauit. Quid vltra? MAXIMILIANI magnitudo non in Bauariæ, adeóque nec Germaniæ finibus hæret. Transit quoque alpes, & maria. Parum est hoc. Transit ipsa sidera, obtinetque amicitiæ iure ipsos cœlestes.

GLORIAE BELLICAE
LIBER IX.

DE GLORIA A DIVIS COELITIBVS.

CAPVT I. *Templum Honoris quâ sit interius specie.*


Am cum hæc talia in externo templi pariete spectādo vel dicerem, vel cogitarem: Satis datum est, inquit Lucretius, cortici;

Sin-

Singelete (ita enim me vocabat) ad nucleum ipsum penetremus. Dixit, & portas diduxit. Fateor, quod res est. Spiritum mihi propemodum interclusit tam subitus, tam inexpectatus, tam incredibilis fulgor. Laudata est à non nemine philosopho aliqua Carthaginensium *pauimenti marmoratio, proscenij contabulatio, scenæ columnatio, culminum eminentia, lacunarium refulgentia, sedilium circumferentia.* *L. Apul. Florid. lib. 4.* Nugæ, blattæ, quisquiliæ, puerorum arenæ. Hîc vera maiestas; vt qui ab externâ facie templum Honoris agnouit, interiore recessu possit existimare, etiam se in templum Gloriæ intrauisse. *Hebenus Mareotica vastos Hic operit postes.* *Lucan. lib. 10.* Seditia sunt, quod

——sola India nigrum
Fert hebenum. *Virgil. 2 Georgic. Vide Plin. lib. 12. cap. 14.*

A cuius nigredine magnus candor accedit argento, quo enitescunt strobili, conchæ, foliaque ab angustiis in latitudinem, effigie calathi paulatim se se laxantia; scapi item, striæ, spiræ, stylobates, & quidquid in Doricis potest columnis luxuriare. Nec, vt arbitror, argento, nisi hebeni beneficio, locus fuisset, cum ipsum aurum non nisi de vltimis angulis in lucem prodeat, omni eius quoq; splendore superbissimis gemmis hebetato. S. Eligium aliquem hîc aurifabrum fuisse credas. Quippe & *S. Audoenus lib. 1. Vita S. Eligij.* lacunaria, & culmina, & contabulatio columna-

tioque cetera omnis vario gemmarum colore ne dicam an luce ardet? Denique ex gemmis sunt

Ennius apud Cic.

tesserulæ omnes

Endo pauimento, atq; emblemate vermiculato;

vt solum nusquam viderim tam sine precio preciosum. Siquidem & onyches, & amethysti, & smaragdi, pedibus calcantur ingredientium, quibus Autolycus aliquis manus admouere digitosque mallet. Tum ergo demum mihi sermo in mentem rediit Lucretij dicentis, se à vitris me ad gemmas ducturũ. Constitit dicto fides; non enim ad gemmas tantùm, sed ad ipsam gemmarum me patriam duxit.

CAP. II.

Diuorum Cælitum cultus, quantum ad hostes vincendos momenti afferat?

QVid me aspicitis PATRES ACADEMICI, & incredenda proferre putatis? tales omnino thesauros DVX PRINCEPSQVE vester in templa atq; cultum Diuorum iam à multis retro annis regiâ munificentiâ impendit. Sibi enim dictum censuit, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur.*

Matth. 6. 21.

Hoc primũ victoriæ omen fuit. Sic enim etiam sibi BAVARICA DOMVS SANCTORVM COELITVM fauorem emit. Equidem Clodoueus quoque difficillimum cum hoste potentissimo Alarico prælium auspicaturus, primum omnium *benedictionem* petijt à S. Remigio Episcopo: qui ei & *benedictionem impertijt, & victo-*

Baron. Anno Christi 507.

victoriam vnà in verbo Christi spopondit. Vniuerso deinde exercitui Rex seuerâ edictione mandauit, ne quid damni Ecclesijs sacrisúe ministris rebúsque ad eos spectantibus inferret. Quoniam verò hostilium copiarum, per Turonicum ducenda erat territorium, adiecit & illam legem, D. Martini veneratione latam: Ne quisquam rem vllam, *præter aquam & herbas* attrectaret. Petulans est militum licentia. Nam quidam, cum in pauperculi cuiusdam fænum in cumulos cógestum incidisset; *Nonne Rex*, inquit, *herbam tantùm præsumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc ergo herba est.* Nihil igitur præter Regis voluntatem facio, si fœnum istud meum facio. Sic secum æstimat, & vi colonum de suo pellit. Modicum erat, quod rapuerat, nec equo in vnius dieculæ pabulum suffecturum. Quanta est vis iustitiæ, & venerationis cœlitibus debitæ! Miles aufert à paupere fænum, Rex à milite vitam. Et facti caussam reddens, *Vbi erit spes victoriæ*, inquit, *si B. Martinus offenditur?* Vnius ergo morte, cæteri milites omnes viuere pariter & vincere didicerũt. Rex autem benè sibi de sanctissimo Episcopo conscius, ad templũ illius proceres quosdam cum amplis muneribus legauit. Quæ munera cum illis traderet deferenda: *Si tu*, inquit, *Domine, adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, sempérque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ sancti Mar-*

Greg. Turon. 4. hist. Franc. c. 23. & Hincmarus.

Martini dignare propitius reuelare: vt cognoſcam, quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo. Maturant legati. Vbi ad locum peruenêre, opportunè contigit, vt ſub ipſum templi ingreſſum, ea Pſalmi verba à Primicerio decantari audirent: *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum: ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me: & inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.* Hoc omine feliciter accepto legati & dona obtulerunt, & noua inſuper vota promiſerunt, reque totâ Regi ordine denarratâ tantum lætitiæ, quantum ſpei militibus Ducibuſq; peperêre. Nec caſſa ſpes fuit, ſed inſuper duob. aliis prodigijs cõfirmata. Nam ſupra modũ intumeſcente fluuio Vigennâ & vadum negante, ex improuiſo miræ magnitudinis cerua apparuit, quæ aquas ingreſſa, viam patefecit. Pharus quoque ignea de æde ſacrâ S. Hilarij egreſſa vſque ad Clodouei tentoria, talem Clodoueum gladio contra hęreticos futurum portendebat, qualis Hilarius fuerat verbo.

Psalm. 17.

Quemadmodum itaque fauentiſsimos in bello cælites expertus eſt Clodoueus, quia & ipſorum cultui atque templis fauit; alios experturus, ſi ipſe alius aduerſus eos fuiſſet: ita MAXIMILIANVS, quoniam omnes Diuos præcipuâ ſemper religione veneratus eſt, omnes quoque haud obſcurè ſenſit eſſe belli ſui auxiliatores. Et vel hinc quoque, credo, ſanctis in cœlo degentibus diem illum (qui & feſti

sti eorundem, & Nouembris erat octauus) sacrum fuisse, qui hostes violatoresque Sanctorum cecidit, & eneruatos penitus dissipauit.

Atque vt illi Diuorum honos ingens victoriæ adiumentum fuit, sic meritò existimari potest, aduersarios, vel hinc perire cœpisse, quia apud illos cultus Cælitum periit. Sic enim & de Ilio cecinerunt poëtæ

Peritura Troia perdidit primùm Deos;

quanquam enim diuinos illis honores non habeamus, possunt tamen Augustino teste, suo quoque modo & Sancti hoc nomine intelligi, ad quos tanquam mundi iudices summus ille verusque Deus ait. *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* Hos ni primos offendere voluissent, mortales fortasse magis potuissent. Clodouei igitur verbis vti debuissent. *Vbi erit spes victoriæ, si* B. VVencellaus, *si* S. Vitus, &c. tam impiè *offenditur?* Verùm

Nil mortalibus arduum est.
Cœlum ipsum petimus stultitiâ: neq;
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Nimirum ex illâ tribu sunt, qui *posuerunt in cœlũ os suum.* Cum eos vel Ethnicorum pietas in ruborem dare debuisset. Nec enim ignorant legem Solonis, quæ vetat in defunctos maledicta conijcere.

CAP. III. *Vniuersim mortuorũ, nedum Diuorũ violatores, quàm sibi malam rem agant.*

Pet. Arbiter in Satyr.

S. Aug. De ciuit. lib. 9. c. 23.

Psalm. 81. 6. & Psal. 49. Psal. 135.

Horat. lib. 1. carm. od. 3.

Psalm. 72. 9.

Plutarch. in vita Solonis

Nam pium est, inquit Romanus sapiens, *eos sacros ducere, qui è vità discesserint, & iustum his, qui esse desinunt, abstinere.* Sicut abstinuit Pausanias Lacedæmoniorum Rex, cui cum victo & in prælio occiso Mardonio, Lampon è primoribus Æginetarum suaderet, vt hostis cadauer in crucem ageret, sicut ipse Leonidæ fecisset: *Tuam*, respondit Pausanias, *beneuolentiam atque prouidentiam amplector: tamen ab æquitate iudicandi deerras. Nam & me, & patriam, quos in altum extulisti, ob hæc gesta ad nihilum redigis, quum suades mihi sæuire in mortuum, aisque me auditurum meliùs, si istud fecero, quod Barbaros potiùs decet facere, quã Græcos, quodque in illis improbamus. Illiberale* enim *quiddam est*, vt Plato dixit, *hostem putare mortui corpus*; rectéque Plancus in Asinium Pollionem pronunciauit, *cum mortuis non nisi laruas luctari*; quo dicto sic Asinium eiusq; liberos post mortem Planci inuectiuas editúros repercussit, vt apud eruditos nihil impudentius iudicaretur.

Herodot. in Calliope.

Plato lib. 5. de Resp.

Plin. præfat. in 1. lib. Nat. hist.

Itaq; meritò in reprehensione est Sulla, cui non satis fuit viuis hostibus illudere, nisi mortuorum etiam ossa è sepulchris canino more eruisset, & in fluuium mergi iussisset, vt de Marij cadauere scribunt historici. Hinc mos cadauera cremandi apud eorum posteros inoleuit. Nam Sulla moriens se cremari testamento cauit, ne idem ab hoste ludibrium eius cadauer pateretur, quo ille Marium com-

commaculauisset. Laudaturque eximiè Ludouicus XI. Galliarum Rex, quòd Agnetis illius, quæ Bellæ cognomen acceperat, quamuis in vitâ Ludouico multum aduersata, & insuper ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum fuerit, tamen post mortem, sepulcrum suprà merita in loco templi honesto collocatum, dimoueri non concesserit. Nempe memoriâ tenebat inscriptionem, quam sigilli sui talem habuisse memoratur Plato; FACILIVS EST MOVERE QVIETVM, QVAM QVIETARE MORTVVM. Non enim est pugnandum cum manibus ne impiorum quidem, nedum hominum sanctitatis famâ illustrium.

Robert. Gaguinus in hist. Franco. lib 11. cap. 4. & 12.

Multa impunè transeunt, quæ in viuentes iniuriosè geruntur; quia faciliùs sarciri possunt; at mortuorum cõtumelias, in primis verò Diuorum, acerbè plerumque & maturè sibi sumit Deus vindicandas. Memorabile est, quod Suidas de statuâ Niconis Thasij pugilis retulit. Cum enim eius iam defuncti statuam æmulorum vnus, odio indulgens nocturno tempore fustibus cæderet, tanquam Niconem ipsum viuum contumeliâ afficiens; statua, manium eius vltrix, in cædentem ipsum collapsa, oppressit extinxitque verberantem; nouo exemplo illud sapientum præceptum inculcans: DEFVNCTI INIVRIA NE AFFICIVNTOR. Quod etiam S. Germanus apud Surium armatus apparens in corporis sui effossoribus interfectis indicauit. Sic

Sumta est hæc historia ex Pausaniâ lib. 6. Iliacôn; licet Eusebius lib. 5. de præparat. Euangelicâ Diomedis athletæ statuam fuisse dicat, Pausanias autem de statuâ Theagenis id narret, quam & necu reám lege Draconis actã & in mare abiectam ait. Sur. tom 7. 25. Iulij in Vitâ S. Germani.

Plutarch. in vita Solonis

Nam pium est, inquit Romanus sapiens, *eos sacros ducere, qui è vitâ discesserint, & iustum his, qui esse desinunt, abstinere.* Sicut abstinuit Pausanias Lacedæmoniorum Rex, cui cum victo & in prælio occiso Mardonio, Lampon è primoribus Æginetarum suaderet, vt hostis cadauer in crucem ageret, sicut ipse Leonidæ fecisset: *Tuam*, respondit Pausanias, *beneuolentiam atque prouidentiam amplector: tamen ab æquitate iudicandi deerras. Nam & me, & patriam, quos in altum extulisti, ob hæc gesta ad nihilum redigis, quum suades mihi sæuire in mortuum, aisque me auditurum meliùs, si istud fecero, quod Barbaros potiùs decet facere, quã Græcos, quodque in illis improbamus. Illiberale* enim *quiddam est*, vt Plato dixit, *hostem putare mortui corpus*; rectéque Plancus in Asinium Pollionem pronunciauit, *cum mortuis non nisi laruas luctari*; quo dicto sic Asinium eiusq; liberos post mortem Planci inuectiuas editùros repercussit, vt apud eruditos nihil impudentius iudicaretur.

Herodot. in Calliope.

Plato lib. 5. de Resp.

Plin. præfat. in 1. lib. Nat. hist.

Itaq; meritò in reprehensione est Sulla, cui non satis fuit viuis hostibus illudere, nisi mortuorum etiam ossa è sepulchris canino more eruisset, & in fluuium mergi iussisset, vt de Marij cadauere scribunt historici. Hinc mos cadauera cremandi apud eorum posteros inoleuit. Nam Sulla moriens se cremari testamento cauit, ne idem ab hoste ludibrium eius cadauer pateretur, quo ille Marium

com-

commaculauiſſet. Laudaturque eximiè Ludouicus XI. Galliarum Rex, quòd Agnetis illius, quæ Bellæ cognomen acceperat, quamuis in vitâ Ludouico multum aduerſata, & inſuper ancilla turpis, honorum omnium dehoneſtamentum fuerit, tamen poſt mortem, ſepulcrum ſupra merita in loco templi honeſto collocatum, dimoueri non conceſſerit. Nempe memoriâ tenebat inſcriptionem, quam ſigilli ſui talem habuiſſe memoratur Plato; FACILIVS EST MOVERE QVIETVM, QVAM QVIETARE MORTVVM. Non enim eſt pugnandum cum manibus ne impiorum quidem, nedum hominum ſanctitatis famâ illuſtrium.

Robert. Gaguinus in hiſt. franco. lib 10. cap. 4. & 12.

Multa impunè tranſeunt, quæ in viuentes iniurioſè geruntur; quia faciliùs ſarciri poſſunt; at mortuorum cõtumelias, in primis verò Diuorum, acerbè plerumque & maturè ſibi ſumit Deus vindicandas. Memorabile eſt, quod Suidas de ſtatuâ Niconis Thaſij pugilis retulit. Cum enim eius iam defuncti ſtatuam æmulorum vnus, odio indulgens nocturno tempore fuſtibus cæderet, tanquam Niconem ipſum viuum contumeliâ afficiens; ſtatua, manium eius vltrix, in cædentem ipſum collapſa, oppreſsit extinxitque verberantem; nouo exemplo illud ſapientum præceptum inculcans: DEFVNCTI INIVRIÂ NE AFFICIVNTOR. Quod etiam S. Germanus apud Surium armatus apparens in corporis ſui effoſſoribus interfectis indicauit. Sic

Sumta eſt hæc hiſtoria ex Pauſaniâ lib. 6. Eliacôn; licet Euſebius lib. 5. de præparat. Euangelicâ Diomedis athletæ ſtatuam fuiſſe dicat, Pauſanias autem de ſtatuâ Theagenis id narret, quam & necu reâm lege Draconis actâ & in mare abiectam ait. Sur. tom 7. 25. Iulij in Vitâ S. Germani.

Inuolat in nudas volucris nocturna machæras,
Et cæcum rutilo dißipat ense caput.
Ipse nequit mucro marem violare volantem;
Mus adit, vt mucro se violare queat.
Stulta auis illius demonstrat imagine mores,
Qui cœlum in plagas prouocat ipse suas.
Quid quereris læsus? si tu Diuum ipse laceßis,
Non tibi tum plagas ille, sed ipse facis.

CAP. IV. *Quib⁹ reb. aduersarij Deũ Diuosq; insectati sint.*

NEc opus est supra repetere, quid Geusij Anno 1566. Diuorum imaginibus Antuerpiæ, Gandaui, Tornaci, Valentianis, in Geldriâ item, Hollandiâ, Zelandiâ, Frisiâ & alibi passim fecerint; quis à lachrymis temperet, si ea, quæ hi ipsi anni viderunt, commemorare velit? quantæ templorum compilationes, quantæ auri argentique & vestium sacrarum spoliationes passim factæ? Nec diuitiæ tantum quæsitæ; sed & ludibria Diuorum. In quæ quanto quisque effusior, tanto se magis militem esse iudicauit. Ergo & commaculati illi sacro Sacerdotum ornatu dedecorati potiùs, quàm induti per campos, & compita, oppidáque obequitabant; & iam se iactabant insolentiùs, non qui plures hostium occidisset, sed qui pluribus Diuorum statuis oculos erasisset. Quorum adeò illos non pœnitet, vti & facta in gloriâ numerent, & si liceat, auidiùs fecerint.

Quid

Quid quod & commemorare pudet, quod istos non puduit patrare in ipsum Seruatorem Christũ, vel sub panis imagine latentem, vel in crucis statuâ oculis mortalium exhibitum? Scilicet apud sacrilegos adeò profundè *à rectis in vitia, à vitijs in praua, à prauis in præcipitia peruenitur*, vt summum salutis felicitatísque nostræ Sacramentum, fiat nefariæ libidinis instrumentum; nec tantùm pendentis in ferali ligno Dei imago, de tholis templorum deturbetur, sed vel cum *infimis balneatorum* despectui habeatur, indigna quæ vel pontes (qui tamen nec mendicis negantur) occupet. Quid ais filia regis Michol? An aspectâ in cruce Christi veri regis tui nuditate dicere non erubescis? *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Nempe nec tibi hoc dictum sic abibit. Rarò enim, quisquis execrationes serit, aliud quàm execrationes metit; & *qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.*

Pelbart. M.S. · 2 Reg. 6 · Eccli. 27.

Et cadet, & cecidit; cecidit, quia missus in altum
Iam semel est: iterum mitte, iterum ille cadet.

Præfanda hæc mihi in hoc argumento duxi, Patres academici, vt intelligeretis quantis arcanarum rerum titulis erectum gemmeum illud in templo Honoris altare steterit. Neque enim tantùm omnium ferè Diuorum maximo & numero

& precio reliquias longiſsimâ ſerie circa arâm in vmbone templi diſpoſitas vidi, ſed etiam totas Diuorum ſtatuas ex vnionibus & margaritis conflatas reperi. Atque in alis quidem geminis aræ pegmatiſque ſupra aram educti eorum cœlitum cernebantur imagines, quos Caluiniſtica rabies peculiari iniuriâ conſpurcauit, vt ſuo nonnullas ordine attingam: ipſum verò totius machinæ corpus, quod inſtar purpurei ſolis ſuauiſsimâ luce radiabat, omnium Diuorum effigies comprehendit, quos BAVARICA pietas non ſolùm patronos coluit, ſed etiam eſſe ſenſit. Vt planè veteris prouerbij, quod eſt apud Columellam, meminiſſe conueniat: *Eum qui aret oliuetum, rogare fructum*. Sicut enim hoſtes noſtri aduerſos ſibi Diuos experti ſunt, quia aduerſos habere voluerunt, ita DVX noſter propitios habuit, quia propitios ſibi faciendos exiſtimauit.

Colummell. lib. 6. de re ruſtic.

CAP. V.

In beatiſsimă Virginem hoſtium impietas, pietasq; Victoris, Vnde pro hoc, in illos ſ... eſſe mergiò credimus.

SEd ordine procedamus. In dexterâ alâ præter diuinas illas ſacræ Euchariſtiæ hoſtias totis adamantibus expreſſas, ſed furioſorum manibus humi effuſas atque proculcatas, iacentibúſque infando modo ſubſtratas; præterque cruces lignationi addictas & focis ignibúſque nutriendis deſtinatas, Virgo quoque Parens Numinis viſebatur. Similis celebri illi tabulæ *Mariæ de Victoria*, quæ palmi cum

cum dimidio altitudine, vnius latitudine, Christi nascentis historiam refert. In eâ hinc puellus recens natus super defluente Matris suæ pallio humi nudus iacet, modico stramine de extremâ pallij laciniâ prominente, quasi sic molliùs dormituro de industriâ subiecisset parens. Inde ad sinistram, ipsa erat Mater in genua atque vota pronæ non impar. Manus clementer sursum, ceruicem deorsum habebat, vt intelligeres cum filio illi sermonem esse. Virgini à tergo astat custos Virginis Iosephus, sed quemadmodum & ipsa Virgo, temerariâ hæreticorum manu fædè eradicatis luminib. exoculatus. Nimirum non visuros rationem se vindicandi superos arbitrabantur, si eorum imaginibus oculos eruissent. Verùm inde primùm cadere cœperunt, vnde Superos per tanta scelerum vestigia & plus quàm Colophoniâ ferocitate irę suę admonuerũt. Et vel ipsi gemini pastores, alter in ipso aditu, alter ponè illum trans deiectiorem murũ introspiciens, rusticâ simplicitate indignari violatoribus videntur. Verùm, qui præcipuè læsi fuerunt, ij etiam præcipuè indignati sunt. cùm maximè ex alterâ parte, ac si ex composito omnia in contrarium fierent, res longè secus haberet.

Pindarus sapientiâ & curâ in patriam clarus, Crœso Ephesios obsidione cingente, vrbemq; in magnum discrimen adducente, consilium Ephesiis *Aelian. lib. 3. hist. Var. c. 26.*

ſiis dedit, *vt ex portis & mœnib. funes ad columnas templi Dianæ alligarent; ac vrbem quaſi anathema Dianæ eſſe ſinerent: per hæc veluti ſanctitatem, ac, ne ſpoliaretur, ſecuritatem Epheſo* conciliauit. Quantò rectiùs Virgini Matri ſe ſe in bella iturus miles & tota caſtra aſtringunt? Illa Narſeti poſt multas preces officiaque diuina aſpectabilem ſe offerens: & diem præſcripſit, quo Totilam eiuſque potentiſsimum exercitum, & innumeris victoriis clarum aggrederetur, & victoriam omni poſteritate canendam obtinuit. Quin & vel ſola eius in clypeo prælata imago hoſtes exanimauit, victóſq; ſubegit.

Euagr. lib. 4. c. 23. & Procop. lib. 3. de bello Gottico.

Hæc ergo ipſiſsima *velut inter ignes, Luna minores* ita in altaris ſuggeſtu interiore ex omnibus Beatorum ſtatuis eminuit. Nempe & illius potiſsimùm venerandæ curam Boivs ELECTOR ſuſcepit. Non loquar de Oetinganâ Virgine, non de Duntenhuſanâ, non de eâdem alibi paſsim tot precibus doniſque ac verò etiam ſtatis ieiunijs ſanctiſsimè aditâ; in ipſo iam præcinctu, immo progreſſu belli erat, cum Straubingâ Pogenbergium (*qui locus eſt D. Virgini ſacer, crebriſque miraculis & frequenti ſupplicantium acceſſu inclitus*) declinauit, vt inibi & rei diuinæ intereſſet, & tantæ bellatricis opem impetraret. Quis ibi tunc non agnouiſſet Narſetem? Sed & paulò pòſt eos quoque eſt imitatus, qui eiuſdem magnæ Reginæ imaginem exercitui prætulerunt.

An. 1620. 17. Iulij vt in Ephemerid. narratur.

ſerunt. Compluribus enim in vexillis illa picta volitabat. Itaque longè ſanctiùs iſte quàm alius DVCTOR eâ in nummis vexilliſque ſuis inſcriptione vti potuiſſet, PRO ILLA. Verùm non opus illi fuit Dictatore, in manibus moneta, & in oculis omniũ fuêre vexilla illius ſanctiſsimis gnomis inſignita. Primarium ac Prætorianum fuit, quod in vnâ parte extulit & ipſam ſanctiſsimam Virginem CHRISTVM brachijs gerentem, cum hac inſcriptione, TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA: In alterâ verò, DA MIHI VIRTVTEM CONTRA HOSTES TVOS, ſentẽtiam emblemati itidem ſuo accommodatam. Nam geminatum illud ſaluberrimum nomen IESVS MARIA de auro ſuo eâ in parte refulſit.

Neque verò hîc conſtitit terminus immenſæ pietatis. Prælata eſt exercitui Bauarico etiam velut in clypeo *Auguſtiſsima Deiparẽs.* Nam illâ ipſam tabulam, in quâ illa oculos primùm, deinde etiam hoſtes perdidit, venerandæ ſanctitatis vir R. P. F. Dominicus Carmelita, repertam aduerſus hoſtium phalangas ſecum tulit, Deum impensè precatus, vt tam inſignem Deiparentis iniuriam, inſigni itidem honore aliquo inſtauraret. Potentes ſunt piorum preces, & periculoſę iniuriæ, quæ in charam illam Dei matrem vibrantur. Haud longùm intercesſit temporis interuallum, cum admiranda illa de hoſtibus victoria eſt reportata, dona-

que amplissima in tabulam illam tantis postea Romæ triumphis circumductā à CAESARE, ET BAVARIAE DVCE, nec non & ab alijs Italiæ Principibus sunt cōgesta. Quippe CAESAR *decorauit eam Viennæ Imperiali coronâ totâ aureâ, duplicique gyro cinctâ, & magnis margaritis, in quarum medio aliæ maiores insunt, distinctâ.* DVX verò BAVARIAE eandem Monachij donauit thecâ ex hebeno argentoque plus quàm Dædalè elaboratâ, decem palmos altâ, imaginémq; mæandris argenteis atq; alijs emblematum elegantijs complectente: additis etiam velis purpureis multo auro illusis. Quin & viginti insuper vexilla hostibus erepta Romam transmisit, ad eandem imaginem maiore pompâ deducendam asseruandamque.

Quòd si quis maiora Mariani cultus argumenta requirit, possum ea illi ex hoc ipso quoque altaris apparatu demonstrare. Siquidem ipsum quoque ante ceteros Cælites sed proximè ad MARIAE Virginis genua prouolutum bellico habitu vidi MAXIMILIANVM. Scheda ab ore eius Virginem versus prouolabat, in quibus hæc verba aureis rutilātia litteris, vnionibúsque interpuncta legebantur: SALVE REGINA. Porrò ab ore Virginis, tanquam si responderet, ita vicissim alia promanare visa est scheda, cuius hæc velut carbunculo expressa fuit sententia. S. MARIA ERIT TESSERA TVA. Legi hanc sen-

ſententiam, & ſubito amoris iaculo ſaucius, omniſque curioſitatis oblitus in lachrymas pariter & in terram pronus abij, atque ex intimis animi ſenſibus, *O dulcis Virgo* Maria*, etiam in meo quondam agone, mea eſto teſſera.*

Ingrata eſt importuna amicitia. Libuiſſet ebullientem in pias cogitationes animum pluribus effundere, ſed vellicauit iacentem Lucretius, nec permiſit mihi diutiùs bene eſſe. Et neſcis, ait, ante grandem illam capitalemque pugnam qualiſnam teſſera militibus ſit data? Hic ipſe DVX tuus BAVARVS feliciſsimo omine, eam Cæſarianis ſuiſque militibus teſſeram dedit, quam certò ſciuit hoſtes non habituros. S. MARIA enim teſſera fuit. Atquè vt eiuſdem & opem haberet præſentem, cuius nomine vterentur in hoſtes, ad ipſum prælij initium; cum iam tormenta luderent, & copiæ primæ gladio rem gererent, DVX vterque tam BAVARVS quàm BVQVOIVS præeuntem voce clarâ ſacerdotem ſecutus hymnum SALVE REGINA pronunciauit. Hæc illorum Pallas, hęc Duellona fuit; ad cuius è cœlo deſcenſum, tremere viri, trepidare equi, & tota denique hoſtium acies verti. Reuocauit videlicet antiquiſsimorum morũ PRINCEPS veterem illam Germanorum conſuetudinem, de quibus Tacitus ſcribit: *Ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt* *Tacit. de mor. Germ.*

 ani-

animos, futuræq́; pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantúe, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille quàm virtutis concentus videtur. Nempe & MAXIMILIANVS in prælia iturus cecinit. Nec tam vocis ille, quàm virtutis concentus fuit, qui eam inuitauit, quæ *terribilis vt castrorum acies ordinata*, tam ab omnibus præsidijs humanis instructum, inq; tam commodo loco positum exercitum tremefecit; DVCIq́; *suo contra hostes suos virtutem dedit.*

CAP. VI. *Angelorum in bello patrocinium.*

NE autem incomitata veniret, cœlestem secum militiam adduxit. Quare circum illam in medijs altaribus stantem fundebantur vndique Genij cœlestes, Hic gladio, ille arcu, alius hastâ aut spiculo armatus. Non pauci etiam clypeos oppandebant BOIO DVCI; in quibus clypeis vox illa hæsit: *Angelis suis mandauit de te.* Et verè dictum alibi: *Immittet*, siue, vt Hebræa habent, castrametabitur *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Sic ipsi Dauidi contigit, si Philoni est fides. Nam ictu lapidis prostratum & iam moribūdum Goliath viso Angelo, dixisse ait, *Non solus occidisti me, sed qui tecum erat, cuius species non est sicut species hominis.* Longè certiùs in sacrâ historiâ dicitur, *Cum vehemens pugna esset*, Iudæ Machabæi cum Timotheo, *apparuerunt aduersarijs de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Macha-*

Psalm. 30.
Psalm. 33.

Philo in Biblicis antiquitatibus. hunc tamen Angelum suspectè dici Cerubelem, rectè alij animaduerterunt.
2. Machab. 10.29.

rhab eum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Et infra. *Cum promto animo procederent* (contra Lysiam) *Ierosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candidâ armis aureis hastam vibrans.* Panegyricus quoque sextus in laudem Constantini Magni dictus memorat, eo pręliante visos in Galliâ, qui se diuinitùs missos asseuerabant, vmbone corusci, & cœlestium armorum luce terribili ardentes, quorum hęc audiebatur vox: *Constantinum petimus, Constantino imus auxilio.*

2. Machab. 11. 8.

Panegyr. 6. Constant.

Enimuerò etiam alij sapientes docuerunt Angelos dari tutelares directorésque Principibus excellentes. Quid multa commemoro? Ex quo D. Michaël contra rebellem Luciferum se se obiecit, Ecclesię Dei protector est habitus, Archangelúsque nuncupatur, non quòd sit de ordine Archangelorum, sed quia omnium Angelorum caput atque Dux est. Quare & olim contra Principem regni Persarum pro populo Dei depugnauit; & cur post illa proceres Francię D. Michaëlis imaginem gestârint, Claudius Paradinus explicat in hunc ferè modum. *Memorabilis*, ait, *belli euentus Gallicanis heroibus decus conciliauit: & ei, quem S. Michaëlis ordinem nuncupant, auctore Ludouico XI. Galliarum rege, dignitatem peperit Anno* 1469. *Ad aureum collare de-*

Pet. Gregor. Tholoz. de Republ. lib. 8. c. 3. num. 11.

Apocal. 12.

Claud. Paradin. in symbolis Heroicis.

Io. Mola. lib. 3. de hist. SS. imag. cap. 39. Hist. Virg. Aurel.

re dependet aurea imago S. Michaëlis pectus insigniens. Sumtum id, adeoq; deinceps sancitum in singulos reges ab illustri, vt aiunt miraculo, seu viso D. Michaëlis, in prælio ad pontem Aurelianæ ciuitatis, vrbem à dirâ oppugnatione Anglorum liberantis.

Quemadmodũ ergo aduersa pars tales habuit, qui & *in sanitatem ipsius mali dæmonis* pocula in orbẽ circumire iuberent, eóque tanquam armigero vterentur, & verò in vno quidem vexillo *Furiã cor mandentem*, in alio autem *Dæmonem in modum vrsi monstruosi flauescentem* palàm præ se ferrent; sic nostra pars meliore auxilio nixa ad bonos angelos confugit. Primùm quia SERENISS. PRINCEPS GVILIELMVS regiis impensis augustissimam D. MICHAELI & cœlesti militiæ omni ædem sacram à fundamentis excitauit, dotauitque. Deinde quia ex illo die Angelis in suum, Filiorum, totiusque posteritatis, & Boicæ vniuersæ subsidium auctoratis stipendiũ numerauit. Tum quia insignibus imaginibúsque Bauariæ passim D. MICHAEL, vt tutelaris est appositus. Cum ergo & Filio parentis nomine omnia deberent, tot tamen insuper ab ipsomet culti sunt officiis honoribúsq;, vt gauderẽt, se illius vicissim colẽdi honorandiq; nactos esse occasionem. Certè & hîc Ingolstadij, & Monachij, & in aliis non tantùm Bauariæ, sed etiam aliarum prouinciarum ciuitatibus bello currente, Angeli quot hebdoma-

dis

dis publicè solenni Ecclesiæ officio eorum honori dicato culti sunt. Quâ re veneratio eorum longè latéque inter mortales, Bauaricorum DVCVM (quorum iussu id factum) est propagata. Accedit quòd Angeli, enimuerò ipse D. MICHAEL *princeps exercitus Domini*, sicut quondam Iosuen, ita & nũc ceteros *Ecclesiæ Defensores* pręcipuâ in curâ habere ab eruditioribus affirmetur. Hinc igitur factum, vt cœlestes Genij, non minùs, quàm S. Henrico, itidem Boiorum Principi & Imperatori, pręsens, bellis nuperis auxilium tulisse & MAXIMILIANO credamus. Cur non crederemus? quando & ipsi hostes credunt, qui, *visos sibi diuiniores milites* etiam *in veste candidâ* pugnantes haud dissimulanter sunt fassi. Et si ipsi vel maximè tacuissent, satis tamen prodigiósus eorum tremor, fuga & clades id fuissent testificatę. Denique sicut

Iosue 5. 13. Ibid. Seraeum.

Qui solio cecidit, per fasque nefasque petito,
Lucifer, aut certè Luciferi vmbra fuit;

sic *Angelum Domini* fuisse necesse est, Michaëlique non absimilem, qui honorem *Domini soliumq̀* contra rebelles spiritus tam strenuè defensauit. Id ergo omne in alterâ aræ alâ descriptum mihi ostendit Lucretius.

CAP. VII.

Hostes contra Apostolos, & Apostolorum contra hostes facta.

VBI & vidi quàm detestandâ impietate Hirsfeldæ in *æde imperatoriâ cœnobij* (sic enim inscri-

ſcribitur templum à Carolo Magno fundatũ) prę-ter XVI aras Caluiniſticè profanatas; ad ingreſſum etiam primi chori duos illos 14. pedes longitudine, 12. latitudine extenſos elegantiſsiméq; elaboratos quondam lapides dilapidârint. In quorũ dextero XII. Apoſtoli cum hac ſcripturâ, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, &c.* In ambitu hi verſus.

Quærunt ſcituri, quæ præmia ſint habituri,
Cuncta relinquentes mundi, Chriſtúmque ſe-quentes, &c.

In ſiniſtro lapide XII. Prophetæ maiores, cum Deiparâ puerum tenente: & illâ in medio Epigraphe *Ecce virgo concipiet, &c.* in ambitu

Patres biſſeni diuino numine pleni,
Ortum naſcentis clauſo de ventre Parentis,
Cernunt, effantur, præſignant, teſtificantur,
Pectore, ſermone, factis, ſcriptis, ratione.

Harum nimirum imaginum omnium capita, non iam Euandrius, ſed Caluiniſticus abſtulit enſis: ſi tamen enſe & non furore potiùs (& iam quidem alterâ vice) patratum eſt. Contra hos igitur Apoſtolorum detruncatores, cur Apoſtoli non ſe vindicent? qui id luculentè fecerunt cum VVenceſlao Bohemorum Duci ad ſingulare certamen progreſſo latera cingerent, aduerſarióque manus ligarent. Et quidem nominatim de duobus Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo Eccleſiæ hoſtem

Th. Boz. tom. 2 de ſig. Eccl. l. 17. c. 7.

Magocius an. Chriſti, 1090.

con-

conculcantibus Letoslaumque adiuuantibus clarum exemplum memorat Hagecius. Qui & illud quoque refert, Fridericum Ducem cum in Bohemiâ pagum Ecclesiæ vendidisset, primò quidem S. Petrum ei cum minis apparuisse; sed cum illas non tantùm insuper verùm etiam irrisui Fridericus haberet, alterâ nocte cum scuticâ adfuisse Apostolum, & miserum ita multauisse, vt in sequentem diem ipsę cicatrices testarentur, somnium pœnam illam non fuisse. Pari pacto Theodosio in bello salutaris fuit non solùm Ioann. Baptista, de quo Sozomenus, sed etiam Ioan. Euangelista & Philippus Apostoli candidis vestibus & albis equis vecti apparentes, vt Theodoretus tradit. Ne ergo & ELECTORI nostro Apostolos in suis bellis defuisse arbitremur, Apostolos mihi Lucretius in hoc Honoris tēplo per duodecim columnas cum magnis tormentis curulibus dispositos monstrauit. His Apostolis vsus DVX noster, hostes fulminauit. Nam inter viginti quatuor curulia tormenta in Bohemico bello vsurpata, eminuerunt & Apostoli, tormenta nomen inde sortita, quòd singula singulis Apostolis essent consecrata, ac Patroni sui effigiē ære fusam in tergo referrent. Meritò enim pro Apostolicâ Ecclesiâ Apostoli detonuerunt. Et tunc quoq; *in omnem terram exiuit sonus eorum.*

Idem A. 1188.

Sozom. l. 7. hist. c. 24. Vbi ait templum S. Io. Baptistæ fuisse in hebdomo, in quo ante pugnam Theodosius illum opem implorarat. Sub pugnâ autē dæmonem ex illo templo cum conuiciis S. Io. Baptistæ egressum dixisse: Túne me vincis, & exercitum meum insidiaris? Theodoret. l. 5. hist. cap. 24.

Hh De

CAP. VIII. *Martyrum in bellatorem auxilia.*

DE Martyribus proximè ab Angelis in altari auroræ ritu, aut aurei Solis ritu punicantibus præstat tacere, quàm non dignè loqui. Illi omnes arma sua contra hostes suos & tuos MAXIMILIANE conuerterunt. Et qui armis carebant, vel de D. Pauli manu cum S. Francisco gladium sumsêre. Primus emicuit D. VVencesłaus, is ipse, qui iam antè egregium sui defendendi specimen edidit. Cum enim Morauiæ Dux Otto, temporis occasione vsus (incidit illud in ipsam Cæsaris electionem) contra Sobieslaum Bohemię Ducem spę ingentis prædæ ad prælium ineundum classicum caneret, resplenduit repente in aëre S. VVenceslaus albo insidens equo, & lanceam in manu vehens. Quem milites pro illo in acie stantes conspicati magnis vocibus in auxilium vocauerunt. Audijt vocantes, & hostes ita obstupefecit, vt viderentur in prçliando ne manus quidem habere, quibus se defenderent, ac si solùm ad vulnera referenda, non inferenda venissent. Occubuit eâ in pugnâ ipse auctor belli Otto, & cũ illo maxima pars exercitus. Cæteri fugâ dilapsi, pedibus rem strenuè gesserunt. Et quod ad Diui gloriam præcipuum est; in tanto occisorum numero, ex parte Sobieslai non nisi tres ceciderunt. Tantus ergo miles VVencesłaus, non etiam hoc sæculo lanceam vibret, ac si Sancti in cœlo consenescerent? Certè nisi

VVenceslaus Hagecius in hist. Bohem. Ann. Christi 1126. Sic Baldricus Dolensis Episcopus scribit SS. Georgium, Demetrium, & Mercurium in bello Christianorum contra Turcas & Persas ad Antiochiam gesto, in albêtibus equis agmen pari cultu & specie contra hostes duxisse. Casimir⁹ quoque Lituaniæ contra Moscos pugnaturus Velut praeuius dux apparuit.

nisi mẽ ratio fallit, grauiore nunc est plagâ læsus. Quantam Otto iniuriam ne cogitauit quidem, tātam VVenceslao reipsâ Caluinistæ intulerunt. Nec opus est testes conuocare. Sacrarium illius loquatur; locus vel ipsis Hussitis maiestate suâ venerandus. Quanta ibi vasticies, ex quanto ornatu! non iam ibi altaria Diuorum, sed *stabula alta ferarum:* dici poterat

O domus Anti quàm dispari domino dominaris?

Sed triste est cogitare omnia, mali apud posteros exempli narrare, ne intelligant, quanta nostrum æuum scelera infamarint. Nec illud tamen minùs; *Mens meminisse horret*. Barbarum prorsus & immane; lingua refugit dicere. Dicendum est tamen. Illud ergò alterum cœli sidus, mundíque lumen Vitum & ipsum fecêre furoris sui pabulum. Nec satis fuit pro Christo semel atrocia passũ. Bis ignes tolerauit. Nam sacratissima ossa eius tot sæculis summo in honore habita quiescere non sunt passi, sed conquisita in flammas iecerunt: in ipsos cineres rabiosi. Nouum martyriũ, Sanctissime Vite, noua corona! Nam ob quam aliam caussam, illi, qui extrema meritis parcunt, in ossa tua sęuierunt; nisi vt & tu denuò martyr in illos de cœlo sæuires? Totas igitur picis, resinæ & feruentis olei ollas desuper effudisti. Et tu quidem facilè cineres tuos colliges cũ erit opus: *non sic impij, non sic: sed tanquã puluis, quẽ proiicit ventus à facie terræ.* Hh 2 Os-

Ad sacrilegij crimen pertinet sepulcrorũ, & quæ horum violatio, l. pergit audacia. ff. de sepul. viola. C. l. 1. C. eod.

Psalm. 1. 4

Ossa beatorum spargit Scultetus in ignes,
Atq; ipsos cineres, in cinerem ire iubet.
Vnus adhuc superest sanctorum illæsus & alter,
Ad quem confugeret, si fuga danda foret.
Iamq; iter arripuit, properè iam currere cœpit,
Quoque alios misit, cogitur ipse sequi.
Quæritis hi sancti qui sint? ignoro, sed aiunt,
Vnum RASPINVM dici, aliumque PONVM.

Tu verò fortissime DVX meritò pro te habuisti Vitum, ac VVenceslaum, postquam & illi te habuerunt pro se. At verò

Ipsi si superi cupiant defendier abs te,
Quis defensorem te neget esse bonum?

GLORIAE BELLICAE
LIBER X.
DE GLORIA AB IPSO NVMINE.

CAPVT I. *Cæteri Diui Bauariæ præcipuè fauentes. Esther. 6. 9.*

SIc honorabitur, quemcunq; rex voluerit honorare: Immo quem & Deus & Sancti Dei, quia etiam ipse & Deum & Sanctos Dei honorat. Conspexi ergo in Honoris templo multò plures Diuorum, qui se pro ELECTORE nostro armauerunt. Rutilabant enim illic & sanguis & enses eorum Cælitum quos Bauaria siderib. transmisit,

ſit, vel qui in Bauariâ alios tranſmiſerunt, alioúe titulo à Bauaris crebriùs ſanctiuſque nominantur. Vt ergò D. Ambroſius, & Staniſlaus Epiſcopi ſuis in bello adfuêre; ita magnus ille BENNO, tot opum precumqúe theſauris in nouum ſplẽdorem datus; ita S. Ignatius Loiola & ipſe olim dux ac miles, potiſsimâ VICTORIS curâ in numerum Diuorum à GREGORIO XV. mox referendus, ac multo magis poſtea relatus, ita Florianus in Anaſſo pro religione vitam exutus, ita Seuerinus, Geroldus, Raſſo, Carolus Magnus, & totum *Bauariæ ſanctæ* agmen MAXIMILIANO in ſubſidium venerunt, pari quodam modo belli molem iugo trahentes. Quam ob cauſſam gemmeæ eorum effigies tantoperè in templo Honoris ſplenduerunt, eundem ornantes, à quo fuerunt ornatæ.

In hiſtoria miſcella, lib. 13. D. Ambroſium & locum & tempus victoriæ oſtendiſſe duci Maſcezel narratur. De S. Staniſlao toto prælij tempore Pontificali habitu in aëre apparente, ac ſuos confirmante, hoſtes autem terrente Herburt. lib. 13. cap. 5.

CAP. II.

Poëta è templo cur egreſſus, & quò?

INcipiebam iam denuo palimpſeſtum promere, & peculiaria quædam elogia annotaturus eram, niſi ſubitus me tumultus inuitiſsimum è templo hoc eliminaſſet. Magnus quippe hominum numerus ad eius fores conuolauit, & hoſpitem, ſi quis intrauiſſet, educi actutum iuſsit. Robuſtam igitur mihi Lucretius manũ iniecit, quamuis multa roganti, ne tot beneficia exhibita, triſti fine temeraret. At ille, Pareto nunc, inquit, tuam cauſſam agenti, quis autem ego, aut quid modò fiat, po-

ſtea intelliges. Ita reluctantem permulſit, atq; ſub ipſo aditu me conſtituens; Hem, inquit, hic eſt veſter Singeletus, reddite illum Pegaſo ſuo; vt felici hoc alite tandem aliquãdo ad Muſas eluctetur. Tu porrò, Singelete, proficiſcere. Ac ne erres, itineris tui gnomon & regula Pegaſus erit; qui & ipſe enthuſiaſmo tactus, ac moræ impatiens, vincula rupit, atq; à fonte illo, cui innodatus erat, huc cucurrit, te quæſiturus; & ni à populo prohibitus eſſet, ipſum quoque templi iſtius nobiliſsimum de margaritis pauimentum ingreſſu ſuo & durâ illâ vngulâ, quæ vel in caute vulnus reliquit, violauiſſet. Non potui Lucretio gratiorem me oſtendere, quàm vt quàm promtiſsimè parerem. Tanti enim vnumquemque, quanti eius mandata facimus.

Itaque inſilio in Pegaſum, ille in viam. Nolite poſthac expectare, PATRES ACADEMICI, enucleatam reliqui itineris mei narrationem. In horto & inſulâ, in aquis & fontibus, in palatijs & aulis, in arcu & templo Parnaſsi, plus mihi temporis conceſsit Pegaſus, cætera quæ in duobus Parnaſsi collibus ſupererant ſpectanda, feſtinantiùs percurrit. Credo, ne arcanorum Dei nimius ſcrutator eſſem, & ſcirem, quæ ſeriùs ſcienda ſuperi ſtatuerunt.

CAP. III.
Quib. reb. hoſtes Numen magis irritauerint?

AD ſiniſtrum ergo me collem portauit Pegaſus; collem vocant Poëtæ, hiſtorici montem

tem dixiſſent, ita arduus eſt. Quinque in eius aſcenſu occurrêre turres. Prima, quæ vocabatur *turris vindictæ diuinæ*, eos hoſtium captos tenuit, qui nihil glorioſum, niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta exiſtimant. Hi ergo catenis onerati de ferrato cuſtodiæ fornice videndos ſe venientib. obiecerunt. Multi ſimiles erãt illi Laconico puſioni, qui *cum appetiſſet tempus, quo lege iubebantur ingenui pueri furari quidquid poſſent, turpe autem habebatur deprehendi: ſociis vulpeculam furatis, ipſique vt adſeruaret tradentibus, vbi quæſitum venerunt; qui perdiderant, ſubter tunicâ abdiderat beſtiam: quæ cum efferata latus eius vſq; ad viſcera corroderet, tamen ſe continuit, ne furtiuam rem proderet: illis deinde digreſſis cum æquales viderent, quid eſſet perpeſſus, reprehenderentq; factum, præſtare dicentes vulpeculam detegere, quàm vſque ad mortem occultare: Nequaquam; inquit, nam moriendum potiùs fuit in doloribus, quàm furti compertum ob molliciem vitâ turpiter potiri.* Imitantur hanc generoſi furis laudem & noſtri ſæculi Lacones. Plutarch. in Apoph. Lacon.

Antè ſe ſuamque conſcientiam corrodi conſumique & iſti patiuntur, quàm vt vulpem ſuam prodant, quia *deprendi miſerum eſt.* Sed Numine ita fraudem plectente, ijs ipſis cõſilijs lacerantur, quibus alios inuadere voluerunt. Quapropter carceri ea vtrinq; Saluſtij ſententia appẽſa erat, HAC TEMPESTATE SERVIVNDVM, AVT IMPERITANDVM: HABENDVS METVS EST, AVT FACIVNDVS. Atque infimâ quidem par- Saluſt. lib. 1. hiſt.

te iſti aſſeruabantur, ſuperior turris gigantes Ioui infeſtos, & ſocialia Orci arma cœlo admolientes exprimebat.

Ex M.S.Vaticano. refert Bzou. Anno Christi 1296. num. 13.

Nempe breuiſsima eſt ad interitum via, contra Deum pugnare. Sic cum Scoti expilaſſent ferroque & flammis vaſtaſſent Lambeleij ſacrarum virginum, Hagulſtadenſe & Lauercotij Monachorum cœnobia, nulliqueſexui, ordini, ætati pepercissent; infantes lanceis confoſſos in aërem iactaſſent, Virginéſque Deo initiatas in locis diuino cultui dicatis nefariâ libidine conſtupraſſent, Sacerdotemque, per ludibrium ſacris operari cogentes, ſacram immolantis hoſtiam bis è manibus euanuiſſe cernerent, Deum ſe amiſiſſe, eiuſque ſibi iram prouocaſſe haud obſcurè coniecerunt. Itaque locum illum non tamen iram Dei fugerunt. Siquidem ab exercitu Anglorum conciſi decem hominum millia amiſerunt, Anglo nonniſi vno deſiderato. Ah quid miſeri, abſconditum ſub panis imagine Numen ludibrio habetis & mille conuicijs proſcinditis? in cœlum ſagittas mittitis, pondere maiore ad vos reuerſuras. Quid templa Dei, Virgines, inquam, Dei ſacrilegâ audaciâ violatis? Non eſt Caſſandra in Mineruę fano per Aiacē Oileum impunè vitiata. Illicitas vel transfixo pectore flammas expirauit ſacrilegus. Nec ſolus luit, *vnius ob noxam & furias*, totæ ſunt Græcorum claſſes diſiectæ.

Virgil. 1. Aeneid.

ctæ. Denique quid seruos Dei in exilia proturbatis? quibus dictum, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* *Zach. 2. 8.*

Cap. IV.

Maximiliani erga S. Eucharistiam veneratio ac religio.

ALiter se NVMINI commẽdasse BAVARIAE DVCEM altera turris, (cui nomen *turris cultus diuini*) ad quam me Pegasus pertulerat, ostendit. Ibi enim, quæ AVSTRIACAM DOMVM ad Imperij culmen euexit, RVDOLPHI Habsburgensis apud Heluetios Comitis pietas repræsentatáne dicã, an imitatione quadã virtutis adumbrata? Vt RVDOLPHVS post honoratum equo Parochum, immo ipsum Numẽ, & ab illo, & à sacrâ in Farnensi cœnobio Virgine summos illos sibi honores promitti audiuit; sic & nos cogitare fas est MAXIMILIANVM ad ELECTORATVM peruenisse. Eucharistiam enim, quam summis maculare ignominijs Caluinistæ non erubescunt, summis semper obsequijs est deuenerat'. Nec satis illi est ex equo aut curru desilire, atque ad tuguriola eam comitari; ad illam etiam constantissimè excubat, & eam humi in genua fusus, repudiatâ omni puluinariũ mollitie, ita adorat, vt verè omnes animi corporisque sensus cum illo in preces abijsse cernas. Masinissam Numidiæ regem *ferunt, aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non antè moto pede, quàm consimili labore iuuenes fatigasset: ac si quid agere assidentem oporteret, toto die sæpenumero nullam in*

Anno Christi 1261. vsè ad narrat Franc. Guillimannus lib. 6. histor. Habsburgica.

Val. Max. lib. 8. cap. 12.

partem conuerso corpore in solio durasse. Quoties vidimus nostrum Masinissam *aliquot horis in eodem vestigio* poplites in templis flectentem, *non antè moto pede, quàm consimili labore iuuenes* viròsque talibus exercitijs deditissimos *fatigasset? nullam in partem conuerso* non solùm *corpore*, sed ne oculo quidem? Ac ne domesticos tantùm parietes hæc pietas illustrasse videatur, ipsos etiam campos impleuit, in quibus illum sacro huic epulo accumbentem exercitus conspexit, & vel ipsi quidam milites religionis osores, tantæ tamẽ fuêre virtutis admiratores Quorum etiam illa excepta vox fuit: *tam sanctis moribus Principem vinci non posse.*

CAP. V. *Maximiliani in laudibus Deo persoluendis diligentia. Tertull. de coron. milit. ibid.*

QVis igitur non cum Tertulliano exclamet, *O militem Deo gloriosum! qui spe calceatus, de Euangelij paraturâ succinctus, acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus*; pro victoriâ & post victoriam Deum precans. Quem bellandi modum Leo quoque Imperator edocuit, sicut enim teste Cæsare, in præliis Ethnici milites victoriam conclamabant, ita Leo Imp. *Modum, ait, & formam confligendi res ipsa & commoda densatio & inimicorũ præsentia efficient. Cùm verò iam conflictationem mouet exercitus, consueta Christianis vox vsurpanda est,* Νικητήριοι τοῦ σταυροῦ, *crucis victoria.* Idem alibi: *Conflictationis tempore post vocem* τῆς τοῦ σταυροῦ νίκης, *victoriæ crucis, magnos atq; altos clamo-*

Cæsar. 5. bell. Gall. Leo lib. de apparatu bellico c. 12. de præpar. ad bell. §. 69. & 106.

clamores edere oportet. Alibi: *Quando autem densata acies ad vnius sagittæ iactum ab hostibus abfuerit, & con-flictatio futura est, dicito,* ἕτοιμοι, *Parati. Alius statim excipiat & clamet,* βοήθει, *Iuua. Et confestim vnâ claraq; voce omnes personent,* ὁ Θεὸς, *DEVS.* MAXIMILIANVM autem ne ante pugnas tantùm Numinis memorē esse & sacris operantes audire putemus, Pragensis Victoria declarauit; quâ ille cum summo decore obtentâ in vrbem intrauit, non triumphali pompâ Capitolium aliquod petens, sed equo descendens PP. Capucinorum Pragense templum (quod vnicum Catholicis eâ in vrbe restabat) ingressus, prolixioribus quàm milites vellent precibus debitas victoriæ largitori gratias persoluit. Nec tunc tantùm persoluit, sed perennem eius rei, recurrente mense prælij, memoriam esse voluit, Ladislai Regis exemplum secutus, qui cōfecto feliciter bello Prussico, curauit, vt per Episcopos dies tam insigni victoriâ memorabilis inter festos referretur. Exemplum DVCIS victoriâ verè digni. Vt enim rectè factorū omnis gloria à Deo est; ita & soli Deo tribuenda. Sic cum Horatio dici potest;

Leo ibid. c. 7. de exercit. equest. & ped. §. 74.

Die 9. Nouēb. post horam 12. Talis gratiarum actio est Psalm. 17.

Herbert. lib. 13. cap. 5.

Diis te minorem, quòd geris, imperas.
Huc omne principium, huc refer exitum.

Horat. lib. 3. od. 6.

Secus fecisse vel Agasicli nocuit, qui ab Halicarnasseis extorris factus est; quòd tripodē, quem ipse ludis obtinuerat, nō dedicasset Deo, sed domum retulisset.

Herodot. lib. 1.

CAP. VI. *Boij Electoris in religiosos obseruantia.*

AD tertiam inde turrim quæ *consilij diuini turris* nuncupabatur, altiùs progressus, variorũ ordinum religiosos vidi vota, sacrificiaq́; pro BELLATORE BAVARO offerentes. Nimirum hostes, vt vindictam in se diuinam incenderent, oculi diuini pupillam tetigerunt: BOIVS autem DVX, non ignarus illius oraculi, *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* magna beneficia in Dei seruos contulit, magna beneficia à Deo impetraturus. Nouus hac in re Theodosius. Nam & hic aduersus Maximum profecturus legatos in Ægyptum misit ad Sanctos ibi agentes Anachoretas, ipsorum se suasque pugnas in preces tradens. Ac inter cæteros, vt sanctus Augustinus memorat, *in angustijs curarum suarum, non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas; sed ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem Dei seruum prophetandi spiritu præditum, famâ crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuncium victoriæ certissimum accepit.* Quin & alium ascetam Senuphium nomine virtutibus clarum à Theophilo Alexandriæ Episcopo ad se in castra mitti flagitauit, ac vel solo *baculo* eius & *superhumerali* velut Mineruæ galeâ, & Herculis clauâ armatus adeò aduersas phalanges exterruit, vt velut amissâ mente, ordines perturbarent, seq́ue inter fugiendum ipsos conficerent, & post tantum sanguinis effusum, incruentam Theodosio victoriam relinquerent. Nempè sapienter Poëta —*Post-*

Matth. 25. 40.

Baron. tom. 4. Annal. Anno Christi 388. Metaphrast. die 31. Ian.

S. August. lib. 5. de ciuit. Dei c. 26. Idem fecisse Constantinum refert Eusebius lib. 2. de vita Constantini. & lib. 4.

— *Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est,*
Mortalis mucro, glacies seu futilis ictu
Dissiluit.

Virg. 12. Aen.

Quam luculenta Boij ELECTORIS imago? QUOTIES ille ad ascetas misit, scripsit, iuit, vt illi ad Deũ irent? Hinc tertiæ turri inscriptum erat: IN DOMINO FACIEMVS VIRTVTEM. Sed & Româ à Pontifice Max. PAVLO V.R.P.F. Dominicum Carmelitam impetrauit, Senuphium nominare posses, aut Capistranum Coruini, qui in summitate baculi signum Tau male armatis, bene tamen animatis militibus præferens, eam victoriam obtinuit, qua centum & quinquaginta Turcarum millia sunt adeò gloriosè superata, vt Machumetes Turcarum Imperator, nunquam postea cladis ad Albam acceptæ meminerit, quin mentum barbamque demulcens, quassansque caput diris eum diem deuouerit, qua pugnam ad Albam conseruit. Senuphios ergo potiùs, Capistranos, Dominicos ad fulciendam exercitus incolumitatem, quàm Apollonios Thyaneos, Faustos, Scotos habere par est. Illi legitima salutariaque distribuunt amuleta; hi sub ipsa securitatis promissione mortem geminam propinant.

Psalm. 43.

Anton. Bonfin. de reb. Vngar. decad. 3. lib. 8. Sil. hist. Bohem. c. 65. & in descrip. Europa. c. 8. & plures citati à Matth. Radero in Bauariâ sanctâ.

CAP. VII.

Pia & impia amuleta militum.

VTriusque rei historiam quarta *turris auxilij diuini* dicta, ad quam dehinc prouectus sum, exhibuit: in cuius dextrâ parte stabat miles ille Catholi-

Ant. Gabutium lib. 2. de Vita Pij V. Pont.

tholicus Hiſpanus ab Aurantio Duce in Belgio captus arboriq́ue alligatus, ab hæreticis militibus æneorum tormentorum ictibus dilacerandus. Dignum memoratu exemplum. Tantam vim glandium plumbearum in eum effuderant, quanta non ad militem, ſed penè ad exercitum proſternẽdum ſufficeret, & tamẽ ac ſi nõ plumbo, ſed plumâ eum petiuiſſent, ita non modò non ſauciauerunt, ſed nec perſtrinxerunt quidem. Obſtupefacti vel ob ſuos in iaculando errores, vel ob hominis in eludendo artes, veſtibus eum exuerunt, rati occulta ſub illis arma loricaſq; latitare. Tandem cum nihil in eo præſidij præter ſacrum cereum Agnum è collo pendentem reperiſſent; hunc quoq; illi clypeum detraxerunt, quo amiſſo, miles primo ictu tranſuerberatus cecidit. Tali amuleto per religioſos viros, & ſuum militem inſtruxit MAXIMILIANVS, ferales autem illos atque ex Orco petitos faſcinos, omni curâ ex eorum manibus excuſsit. Quod ſiniſtra turris pars in Iudâ Machabæo, eiuſq́ue militibus docuit. Qui cum finitâ pugnâ veniſſent occiſorum ſuorum cadauera ſepulturi: *Inuenerunt ſub tunicis interfectorum, de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſſam eos corruiſſe.*

2. Machab. 12. 40.

Planè enim ob hanc ipſam cauſſam plurimi in prœliis corruunt, quia chartulis quibuſdam confiſi, ſe

non

non posse corruere arbitrantur. Scilicet hoc debet esse inter Stygiam cœlestemque opem discrimen, vt illam omnes fallacem, hanc fidelem experiantur. Quare titulus huic turri erat: TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI. Sacrum eiuscemodi amuletum etiam ante ipsum PRINCIPIS palacium esse collocatum, indicauit CHRISTVS eiúsque MATER supra portam turris, per quam mihi cum Pegaso transeundum erat, conspicui. Vt eadem mihi pœnè turris, quæ palacij frons videretur. Certè eadem vtrique hæc inscriptio congruebat. *Prou. 18.10.*

DVX MAGNE, HAS AEDES INTRARE QVIS AVDEAT HOSTIS,
SI DEVS IPSE TVAS EXCVBAT ANTE FORES?

CAP. VIII. *Prouidentia diuina erga Principem.* *Psalm. 60.34.*

HOc ipsum quinta atq; suprema *turris prouidentiæ diuinæ* appellata demonstrauit. Ea hac titulatione prælustris fuit. IN PETRA EXALTASTI ME. DEDVXISTI ME, QVIA FACTVS ES SPES MEA: TVRRIS FORTITVDINIS A FACIE INIMICI. Agnoui quis hoc diceret. Nempe PRINCEPS, qui multa dura atque aspera perpessus, tamen ope diuinâ emersit, verè dicere potest; *In petrâ exaltasti me*: durabili fundamento. Et vt bis spectata virtus esset, vtrâque eum Numen semitâ *deduxit* Quippe

Aduersa fortes tempora,
Secunda felices probant.

Varia & hanc turrim emblemata ornabant. Primum

mum illud Eduardi VI. regis Anglorum, *globus cœlestis catenâ vinctus, quæ pendebat ex manu cœlesti, cum symbolo,* NIHIL SINE DEO. Secundum *Seleucus, qui sicut & filij ac nepotes eius anchorâ signatum femur habuit ab ipsa origine*; Symbolum erat, SPES MEA AB VBERIBVS MATRIS MEAE. Tertium Æneæ pietas. Nam *cum captum est Ilium, Achiui, prout decebat Græcos homines, captiuorum sortem miserati, hoc per præconem denunciârunt, vt singuli ex liberis ciuibus, quod vellent, vnum aliquod secum auferrent, Æneas igitur cæteris neglectis, deos penates exportabat. Græci pietate viri oblectati, permiserunt insuper, vnum ex suis possessionibus accipere. Ille patrem annis & senio confectum sublatum in humeros portabat. Obstupescentes etiam hoc facto non mediocriter, ex omnibus eius facultatibus abscesserunt: confitentes, ergo eos, qui pietatem in Deos exercent, quique parentes reuerenter colunt, etiam naturâ inimicos, non posse non æquos & placatos se præbere.* Quanto magis Deus? cui illi maximè cordi sunt, quibus ipse.

Octau. de Strada.

Appian. Alexandrin. in Syriaca.

Psalm. 21.10.

Aelian. Var. hist. lib. 3. c. 22.

Hæc mihi non vani, nec erat, cur fallere vellent,
Narrauêre senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos, ponensque recentia, dixi:
CVRA DEVM. Dij sunt, & qui coluêre coluntur.

Nonne pugnatorem nostrum coluit, cui velut alteri Iosue vel in ipsum cœlum potestatem dedit? Atque hoc quartum erat emblema, Iosue pugnantis, & solis stantis, cum illâ sententiâ: TIBI MILITAT

AETHER.

AETHER. Et Iosue quidem properantem Solem ad aliquot horas immotum tenuit, ne ille antè diem, quàm ipse pugnam absolueret, BAVARICI autem exercitus DVCI non horas, non dies tantùm aliquot, sed totos menses Sol lucere iussus est. Et sunt qui dicant scribantque palàm, specie miraculi non caruisse, eo ipso anni tẽpore, quo hyems instabat, & nubium maxima inconstantia, imbriumq; abundantia cœlum turbare consueuit, VICTOREM tamẽ continuo trium fermè mensiũ fluxu sudissimâ aëris serenitate continenter vsum, Nempe pluuias iniuriasque tempestatum tam diu Numen è cœlo proscripsit, donec Regum Cæsarumq; iniuriæ per BAVARVM è terris proscriberetur. Itaq; quid dicam, MAXIMILIANE, nisi quòd TVAM SERENITATEM, ipsa cœli serenitas sit æmulata?

GLORIAE BELLICAE

LIBER XI.

DE GLORIA A PRVDENTIA.



Ons est eminentissimus apud Austrogothos, non longè ab arce regiâ, & lacu Voluptatis, vulgari gentis sermone Kindaculle dictus; tantæ altitudinis, vt longè à nauigan- CAPVT I. *Summa Parnassi sedes quã amœna?*

tibus vltra 40. milliaria Italica in eodem lacu, quasi atra nubes inter cœli hiatus appareat. Quare multi tempestatibus iactati, omnibus neruis conātur eius pedes attingere, vbi tranquillissimum portum se reperturos nouerunt. In eius montis summitate, portentosa quædam frondium, herbarum, fructuum, arborúmque sua sponte nascentium velut fatarum varietas amœnitasque cernitur, audiunturque auium chori, qui mellitissimos cantus fundunt, totumque montem exhilarant. In compendio dicam, eò qui peruenêre, cœlum se attigisse arbitrantur. Nimirum etiam parua magni faciunt, qui maiora non viderunt. Mons iste colliculus, & auicularum concentus, hirundinum sunt musea, si vel cum vnico Parnassi iugo comparetur.

Olaus Mag.

Herodot. in Vrania.

Spectatis enim ijs, quæ memoraui, in sinistro Parnassi vertice, quem *Tithorea* vocant, pernicissimo, sed immani saltu, Pegasus in alterum verticem, qui *Hyampeus* dicitur, mecum transuolauit. Illa pars, quanquam itidem suis, vt per nubes diuinare oculis licuit, turribus decorata, tamen à me accuratiùs non inferiore sui parte lustrata, neque enim descendere libuit Pegaso. Caput tamen ipsum Elysijs aut Thessalicis delicijs præferendum, ita etiam situ eminebat, vt nec ab astris ipsis procul abesse, & ad lacum Voluptatis situ videretur. Denique

niq; Psittaci illi omnes ex hortò Musarum, in hanc sedem auolarunt, philomelis quoq; in comitatum tractis. Gaudebam me sanè ad hunc portum esse delatum; & tanto delicatiùs gaudebam, quanto luscinię illæ circa Castalium fontem, & ornatissimos de variis fructibus ramos preciosiùs cantillabant. Quia igitur vel ipse Genius loci, vel natura ad res iucundas imitandas procliuis, me quoque titillauit, cœpi & ego carmen meditari. Sic igitur orsus sum.

Syluarum Philomela iocus, volucrumq́ voluptas,
Dulcis vt in linguam gratia nata tuam?
Tu suspendis, iterq́ facis mutare volucres,
Et trahis ad proprios illice voce lares.
Pellecta ad Siluas quoties oblita ciborum,
Gens pennata tuis est satiata iocis?
Hic genus ergo auium, quod ducis psaltria princeps,
Cogitur in mediâ velle salire famẽ.

Poëtarum scilicet sunt imago, qui & ipsi, cum non habent, quod edant, canunt. Sic nugabar, & ecce psittacus, ex elegantiorib. vnus se in patentiorem prospectum dat, atque ita me resalutat.

Responsura caput vocalibus effer ab antris,
Iam conclamati vox rediuiua soni.
Dum resonant siluæ, dum cantibus omnia complẽt,
Et Dominum laudant agmina tota Deum;

Affusas gaudes, Echo, referire querelas,
Eq; auium nasci sæpius ore soles.
Vox, Echo, vocis, nemorumq; vocabere ludus,
Si trutinet cantus auris acuta tuos.

CAP. II. *Prudentiæ leges quàm accuratè à Principe seruata?*

BIs hæc carmina cani putabã, ita bis, ipsis mõtium saxis sonũ geminantibus ad aures meas acciderunt. Sequor vocem, & dum vocalem illam Nympham toties auribus nunquam oculis concessam, visurum me spero, de mediâ siluâ processit insitatæ formę matrona, Deæ similis, aut aliquid supra Deã prę se ferens. Vestis illi splendida, & tota oculis stellantibus gemmata. Vnâ manu speculum à serpentium gyris ambitum, alterâ librum ferebat; & vbi iuxta me venit, nomẽ suum sponte professa, diuinam se esse Prouidentiam dicebat, quæ & Charites mihi ad Tænarum, & Victoriam ad castra, & Bellerophontem Pegasumque ad mõtem, & Lucretium ad Palacium misisset, à quibus per Boii DVCIS virtutes laudésque deductus, id ipsum, in quo quærendo essem, vel ignarus inuenirem. Nunc se ipsam mihi occurrere, & quædam partim Prouidentiæ Numinis, partim Prudentiæ Principis signa monstraturam. Nam hanc ipsam, inquit, Prudentiæ sedem, vel marmoreus iste (& monstrabat illum) te Ianus docebit; cuius tu tergum quidem, vnà tamen & oculos vultumqúe aspicis, quia

ex

ex Sertorij præcepto, *oportet ducem respicere magis, quàm prospicere.* Respexit ergo ille ad veterum bellorum caussas, euentus, pericula, sortem dubiam, & Euripideum illud pronuncians, *Plutarch. in Sertor.*

Melior est Dux circumspectus, quàm proiectè audaculus, *Euripid. in Phœniss.*

licet alij impatienter expectarēt eius in castra progressum, quibus videlicet *cunctatio seruilis; statim exequi, regium videtur*; ille tamen, *Sine*, inquiebat, *timidum, pro cauto; tardum, pro considerato; imbellem pro perito belli, vocent. Malo* me *sapiens hostis metuat, quàm stulti ciues laudent.* Et sanè si etiam militaris suffragij res fuisset, haud dubiè Minutiū aliquem, Fabio prætulissent ducem. At verò ista nubes, quæ sedit in montibus, sollicitata procellâ quātum imbrem dedit? Igitur cum Augusto, *nihil minùs in perfecto duce, quàm festinationem temeritatemque conuenire* est arbitratus. *Præliorum enim delicta,* vt Cato dixit, *emendationem non recipiunt*, nec licet in bello bis peccare, vt alius aiebat. Hic ergo animæ oculus, qui *honesta ab deterioribus, vtilia ab noxijs discernit*, quique meritò dicere potest *Tacit. 6. Annal.* *Liuius 22.* *Suet. August. cap. 22.* *Cato apud Veget. l. cap. 13.* *Tacit. 4. Annal.*

Vsus me genuit, mater peperit memoria: *Afranius de Sapientia.*

vt prospicere posſit, respicit: quia Prudentiam notitia ex humanarum rerum visu vel tractatu (qui vsus est) itemque earundem rerum ex auditu vel lectu notitia (quæ memoria est) gignunt. Hac ergo il-

liquem visus est in terras præcipitare. Tantum quidem aquæ secum non tulit, quantum antehac ex percusso illo silicis fragmento fluxerat: Suffecit tamen & iste humor, ad Salamandras ex nobis faciendas. *Vide supra Lib. 4. cap. 7.*

CAP. IV. *Prouidentia Dei circa Principem per Cometam significata.*

CVm autem mecum Pegasus in sublimia abire inciperet, oculos præmisi, quo corpore secuturus eram: nondũ enim animus omni metu vacabat; quia de compendiariâ Deorum viâ necdũ experimentum ceperã. Dum aliud quæro, aliud inuenio. Candidissimi enim fulgoris Cometa radiũ suum, velut digitum, ad viam mihi intendebat. Ibi recordatus, quod in veteri numismate Pertinacis cernebatur. Nam vt ibi simulachrum, manibus versus ingentem stellam in cœlum sublatis, inscribitur PROVID. DEOR. COS. II. Sic diuinam prouidentiam ipsam arbitrabar ad hunc *Cometam* digiti indicium extendisse, dixisseq; PROVID. DEOR. NOVVS ELECTOR. Lubentissimè ergò CAESARI DVCIQVE BOIO transcripsi *Stellatorum Equitum insigne;* cuius ordinis auctor Ioan. Gallorum Rex fuit, voluitq; , vt stellam Magorum in galero, aureis radijs circumfusam gestarent, cum lemmate. *Monstrant regibus astra viam.* Nam Cometæ luculentissimi indicio CAESARIS BOHEMIAE legitimo Regi ad coronam, & BOIO DVCI ad *Electoralem galerum* via est monstrata.

O magnâ mundi capita, dixi, magna Numinis cura, sidus vestrum sequimini. Per ardua vos ducet, sed sine ruinâ, quanquam non sine labore. Ipsi Herculi sudandum fuit, & nouercale odium exantlandum. Sed fuit Iuppiter fortior Iunone: vltimaque semper penes virtutem est victoria. Hic mos, hæc lex in Prouidentiæ regno; antè pugnandum, quàm triumphandum. Igitur

Per gladios, & per duri discrimina belli
Progredere, ô PRINCEPS; *hæc tua ad astra via est.*
Nec metue: æternum si prouidet omnia NVMEN,
Nunquid & illius saluus OCELLVS *erit?*

Id vel à tuâ ipsius prouidētiâ disce, quâ factum, vt quam in oculis ferebas patriam, non sineres in hostium manus aut vngues peruenire.

CAP. V. *Luna palatiū & aula.*

ATque hîc rursus nouam mihi audientiam donate, PATRES ACADEMICI, narrandum enim est ordine, quid cum per septem Planetarum domicilia proficiscerer, à me sit spectatum. Nam & Sol qui ab Hebræis *Hama* primusque Planetarum eò quòd primæ horę primi in hebdomade diei præsit, dicitur, & Luna ceterique vagantes ignes festiuiùs ornatas mihi suas ædes palatiaq; monstrauerunt.

Vide Bedam de ordine Planetar.

Lunæ domum primò aspexi. Ibi Prudentiæ BOICAE erecta trophæa; & magni de Imprudentiâ

tiâ triumphi. Ipsa Luna toto lumine induta & iam ad concilium Deorum etiam ipsa post Musas ascensura, omnē mundū quæsiuerat, vt lucidioribus per interualla maculis velut gemmis elegantiam suam in tantâ frequentiâ cōmendaret. Hæc de meo quoque aduentu læta, omnes pene palatij sui angulos ceteraq; circumiacentia loca monstrari iussit. Alias ergo hominum animaliúmque vel *idearum* potiùs quarundam turmas supra, alias infra, alias in ipsis Lunæ hiatibus obambulantes vidi. Infra Lunam circumcursabant canes magni, parui; aure dependulâ, vel cacuminatâ; quidam Melitenses, quidam ex aliâ terrâ horricomantes; & non pauci ore fracto, nasóque interciso, quales esse nobilium solent; multi quoque edentuli, atque inermes molossi. Hi omnes non iam Dianam in venationem comitaturi, sed prorsus Lunam laceraturi, vel ex Lunâ Scyllam (cuius inferiora in caninos rictus desinebant) facturi videbantur. Sed bruta fulmina. Cuius rei gratiâ ipsam Lunam sic occinentem audiui. *Ouid. 4. & 14. Metam.*

Cynthia iure tibi, titulo vultuque SERENE
*E*LECTOR *radios dedicat ipsa suos.*
Tu noctis LVX *esse potes. Sed ringitur hostis?*
Nouit latrantes spernere LVNA *canes.*

Qui scilicet, *contemnendis, quàm cauendis hostibus meliores*, cùm Aglaonice Hegemonis filiâ minitan- *Tacit. 4. hist. Interpres Apollonij in lib. quartum.*

 tur

tur ſe Lunam in terras detracturos. Sed Aglaonicen Nemeſis audiuit. Itaque & Nemeſis pœnam inferens, & Aglaonice perferens, ſub eiuſdem Lunæ pedibus theatrum fecerunt. In quo theatro & Polyphemus volutabatur, manu cauâ Lunæ deſtillantis humorem excipiens, & oculi vacuam cruentamque foſſam eluens. Huc dum obtutum figerem, ſic Luna Polyphemum eſt interpretata.

Magnanimum mactare parans Polyphemus Vlyſ-
Immenſæ prædam deſtinat eſſe fami. (ſem,
Prouidus at fraudem metuēs ſcelus occupat Heros,
Extorquetq́ oculum, qui ſuper vnus erat.
Hoc pereunte; ferox prodit (ne monſtra deeſſent)
Caluinus: ſed & hoc monſtrum in Vlyſſe perit.
Cuius ſic illi turbat Prudentia lumen,
Vt queat amiſſam non reperire domum.

Ita Poëtæ veteres de ſidere Lunæ finxere, vt videre eſt, apud Lucian. in hiſtoriis veris.

Sunt in Lunæ palatio, immo regno (nullum enim nec apud ſinas quidem regnum tam amplum eſt) & ſiluæ, & montes, & flumina, mariaque, quæ nobis hinc è terra aſpicientibus oculos, atque os eius ementiuntur. Itaque è ſiluis & montibus reddita vox eſt altera, velut Lunæ reſponſans his verſibus.

Terribilem prudens Polyphemum ſternit Vlyſſes,
Et quidquid reliquum luminis, omne rapit.
Produxit geminos Caluinus mille Gigantes;
Omnibus his oculus grandis, at vnus erat.

Quos

Quos contra ni Boia suum misisset Vlyssem,
Ille oculus terras, ille vorasset aquas.
Sed Ducis hunc oculum rapuit sapientia: Præda,
Prædo vt nunc palpans omnia quærat, vbi est?

CAP. VI.

Hostium imprudens calliditas, indoctiq; prudentia in Victore. Eustathius in lib. 2. Iliad.

SEcutus sum hanc vocem, atque eos ibi reperi, qui quia infeliciter nati, *quartâ Lunâ nati* dicuntur. Isti ergo, quia alios non possunt, se ipsos rident, conuitiisque identidem proscindunt. Et alius quidē qui elleboro egebat, ad augendum morbum de *humorib. Lunæ* magnos crateras euacuabat; vt *Stultetus* Prædicans; alius in *humoribus Lunæ* totus natabat, vt * *Jo. Vlricus Pregizerus* itidē Prædicans, qui & discipulum suum *M. Christophor. Oertlinum* brachio sustentans, in iisdem Lunæ humoribus natitare docebat. Quoniam autem vterq; malus erat natator, sæpius ad fundum subsidētes, magnis haustibus & ipsi saturati sunt. Sed & armati milites iisdem fluctibus inuoluti illud *Liuij* vsurpauerunt; *Temeritas, præterquam, quòd stulta est, etiā infelix.* Alij cum Curtio dixerunt; *Temeritas vbi primum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo, torpet.* Alij in ripâ, alij sub arborum vmbris sedentes illam cantilenam repetiuerunt: *Stultitia sit sedendo, ac votis debellari credere posse*, quod multi è nobis crediderunt, quanquā plurimi etiam nullis laborib. pepercerunt; sed nostrum fuit conari;

** Hic ob multas causas Lunaticum est: sed morbum suum vel maximè ostendit in Disput. de Votis & Cælibatu quā sub eius præsidio M. Christoph. Oertlinus, contra Valentudinarij auctorem malè defendit.*

Liuius lib. 22.

Curt. lib. 4.

aduerſariorum conſequi. Nos cum Lyſandro cen-
Plutarch. in Apophtheg. ſebamus, *Vbi Leonina pellis non pertingit, vulpinam aſſuere oportere.* Itaque *obliquare ſinus*; & cum rectà
Cic. ad Lentul. epiſt. 9. portum tenere non poſſemus, *idipſum mutatà velificatione aſſequi* laborauimus: Sed *nonne ſtultam fecit*
1 Cor. 1. 20. *Deus ſapientiam huius mundi?* Tela cudimus, ſed in noſtrum caput. Rictum diduximus, ſed deuorati ſumus. Meritò ergo ab illis audiuimus cum Pro-
Is. 8. 9. pheta loquentibus, *Congregamini populi & vincimini; & audite vniuerſæ procul terræ: confortamini, & vincimini, accingite vos & vincimini: inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet, quia nobiſcum Deus.*

Accepi hæc præconia noſtri ELECTORIS, & vel de hoſtium calliditate Prudentiam eius agnoui.
Salluſt. ad Caeſar. Nam etſi *hoſtem aduerſum homini ſtrenuo opprimere haud difficile eſt: occulta* tamen *pericula, neque facere, neque vitare* niſi prudentiſsimo, *in promtu eſt.* Quanto igitur annoſior in hoſtium pectore vulpes, tanto ſapientia altior in VICTORE fuit. Neque enim ſufficit parua prudentia, ad magnam aſtutiam confringendam; cum maior eſſe debeat, qui dolos deſtruit, quàm qui fabricat. Quare & ſupra *Libalam*, vt Hebræi Lunam nominant, varia fuêre trophęa Prudentiæ ſtatuta. Vnde galeæ & ſcuta, & loricæ, & enſes, & vexilla vbique oculata, aliaqúe armorum genera humanis luminibus plena pependerunt.

runt. His insignia noui ELECTORIS addita: insignib. autem & ELECTORI hæc carmina.

Sub pede pressa tibi iacuit, cum bella parares;
Hostibus in cerebro Luna vagata fuit.

GLORIAE BELLICAE
LIBER XII.
DE GLORIA A CELERITATE.

CAPVT. I. *Mercurij circus, cum symbolis celeritatis.*

BOnus celérq; prodromus est Pegasus: cum oculos per singula Prudentię tropheą explorātiùs ferre vellem, iam ille in Mercurij me cœlum subuexit, Lunâ paulo tardiùs sequēte. Suffecisset mihi Pegasi celeritas ad BOICI DVCIS celeritatem in comparationem trahendam, sed lōgè plura hęc mihi Mercuriana sedes argumenta celeritatis detexit. Nam vt Mercurius quoque VICTORI triumphum appararet, Circum quendam ante palatium suum pulcherrimis celeritatis symbolis decorauit. Primum erant tormenta bellica pennata ante ingressum vtrinque collocata, hastęque per vices intra torměta curulia humi depactę, iisque & gladij volatiles, & clypei cristati, & galeę alatę appensę. Sicut ergo in Lunę, aut Prudentię tropheis potiùs, oculi vbique, ita in his armis tala-

liquem visus est, in terras præcipitare. Tantum quidem aquæ secum non tulit, quantum antehac ex percusso illo silicis fragmento fluxerat: Suffecit tamen & iste humor, ad Salamandras ex nobis faciendas. *Vide supra Lib. 4. cap. 7.*

CAP. IV. *Prouidentia Dei circa Principem per Cometam significata.*

CVm autem mecum Pegasus in sublimia abire inciperet, oculos præmisi, quo corpore secuturus eram: nondũ enim animus omni metu vacabat; quia de compendiariâ Deorum viâ necdũ experimentum ceperã. Dum aliud quæro, aliud inuenio. Candidissimi enim fulgoris Cometa radiũ suum, velut digitum, ad viam mihi intendebat. Ibi recordatus, quod in veteri numismate Pertinacis cernebatur. Nam vt ibi simulachrum, manibus versus ingentem stellam in cœlum sublatis, inscribitur PROVID. DEOR. COS. II. Sic diuinam prouidentiam ipsam arbitrabar ad hunc *Cometam* digiti indicium extendisse, dixisseq; PROVID. DEOR. NOVVS ELECTOR. Lubentissimè ergò CAESARI DVCIQVE BOIO transcripsi *Stellatorum Equitum insigne;* cuius ordinis auctor Ioan. Gallorum Rex fuit, voluitq;, vt stellam Magorum in galero, aureis radijs circumfusam gestarent, cum lemmate. *Monstrant regibus astra viam.* Nam Cometæ luculentissimi indicio CAESARIS BOHEMIAE legitimo Regi ad coronam, & Boio DVCI ad *Electoralem galerum* via est monstrata.

O ma-

O magnā mundi capita, dixi, magna Numinis cura, ſidus veſtrum ſequimini. Per ardua vos ducet, ſed ſine ruinâ, quanquam non ſine labore. Ipſi Herculi ſudandum fuit, & nouercale odium exantlandum. Sed fuit Iuppiter fortior Iunone: vltimaque ſemper penes virtutem eſt victoria. Hic mos, hæc lex in Prouidentiæ regno; antè pugnandum, quàm triumphandum. Igitur

Per gladios, & per duri diſcrimina belli
Progredere, ô PRINCEPS; hæc tua ad aſtra via eſt.
Nec metue: æternum ſi prouidet omnia NVMEN,
Nunquid & illius ſaluus OCELLVS erit?

Id vel à tuâ ipſius prouidētiâ diſce, quâ factum, vt quam in oculis ferebas patriam, non ſineres in hoſtium manus aut vngues peruenire.

CAP. V. Lunæ palatiū & aula.

AT que hîc rurſus nouam mihi audientiam donate, PATRES ACADEMICI, narrandum enim eſt ordine, quid cum per ſeptem Planetarum domicilia proficiſcerer, à me ſit ſpectatum. Nam & Sol qui ab Hebræis *Hama* primuſque Planetarum eò quòd primæ horę primi in hebdomade diei præſit, dicitur, & Luna ceteriqúe vagantes ignes feſtiuiùs ornatas mihi ſuas ædes palatiaq; monſtrauerunt.

Vide Bedam de ordine Planetar.

Lunæ domum primò aſpexi. Ibi Prudentiæ BOICAE erecta trophæa; & magni de Imprudentiâ

tiâ triumphi. Ipsa Luna toto lumine induta & iam ad concilium Deorum etiam ipsa post Musas assessura, omnẽ mundũ quæsiuerat, vt lucidioribus per interualla maculis velut gemmis elegantiam suam in tantâ frequentiâ cõmendaret. Hæc de meo quoque aduentu læta, omnes pene palatij sui angulos ceteraq; circumiacentia loca monstrari iussit. Alias ergo hominum animaliumque vel *idearum* potiùs quarundam turmas supra, alias infra, alias in ipsis Lunæ hiatibus obambulantes vidi. Infra Lunam circumcursabant canes magni, parui; aure dependulâ, vel cacuminatâ; quidam Melitenses, quidam ex aliâ terrâ horricomantes; & non pauci ore fracto, nasóque interciso, quales esse nobilium solent; multi quoque edentuli; atque inermes molossi. Hi omnes non iam Dianam in venationem comitaturi, sed prorsus Lunam laceraturi, vel ex Luna Scyllam (cuius inferiora in caninos rictus desinebant) facturi videbantur. Sed bruta fulmina. Cuius rei gratiâ ipsam Lunam sic occinentem audiui. *Ouid.4. & 14. Metam.*

Cynthia iure tibi, titulo vultuque SERENE
ELECTOR radios dedicat ipsa suos.
Tu noctu LUX esse potes. Sed ringitur hostis?
Nouit latrantes spernere LUNA canes.

Qui scilicet, *contemnendis, quàm cauendis hostibus meliores*, cùm Aglaonice Hegemonis filiâ minitan- *Tacit.4. hist.* *Interpres Apollonij in lib. quartum.*

tur se Lunam in terras detracturos. Sed Aglaonicen Nemesis audiuit. Itaque & Nemesis pœnam inferens, & Aglaonice perferens, sub eiusdem Lunæ pedibus theatrum fecerunt. In quo theatro & Polyphemus volutabatur, manu cauâ Lunæ destillantis humorem excipiens, & oculi vacuam cruentamque fossam eluens. Huc dum obtutum figerem, sic Luna Polyphemum est interpretata.

Magnanimum mactare parans Polyphemus Vlyssem,
Immensæ prædam destinat esse fami.
Prouidus at fraudem metuēs scelus occupat Heros,
Extorquetq; oculum, qui super vnus erat.
Hoc pereunte; ferox prodit (ne monstra deessent)
Caluinus: sed & hoc monstrum in Vlysse perit.
Cuius sic illi turbat Prudentia lumen,
Vt queat amissam non reperire domum.

Ita Poëtæ veteres de sideribus finxere, vt videre est, apud Lucian. in historia vera.

Sunt in Lunæ palatio, immo regno (nullum enim nec apud Sinas quidem regnum tam amplum est) & siluæ, & montes, & flumina, mariaque, quæ nobis hinc è terra aspicientibus oculos, atque os eius ementiuntur. Itaque è siluis & montibus reddita vox est altera, velut Lunæ responsans his versibus.

Terribilem prudens Polyphemum sternit Vlysses,
Et quidquid reliquum luminis, omne rapit.
Produxit geminos Caluinus mille Gigantes;
Omnibus his oculus grandis, at vnus erat.

Quos

Quos contra ni Boia suum misisset Vlyssem,
Ille oculus terras, ille vorasset aquas.
Sed Ducis hunc oculum rapuit sapientia: Præda,
Prædo vt nunc palpans omnia quærat, vbi est?

CAP. VI.

SEcutus sum hanc vocem, atque eos ibi reperi, qui quia infeliciter nati, *quartâ Lunâ nati* dicuntur. Isti ergo, quia alios non possunt, se ipsos rident, conuitiisque identidem proscindunt. Et alius quidẽ qui elleboro egebat, ad augendum morbum de *humorib. Lunæ* magnos crateras euacuabat; vt *Stultetus* Prædicans; alius in *humoribus Lunæ* totus natabat, vt * *Io. Vlricus Pregizerus* itidẽ Prædicans, qui & discipulum suum *M. Christophor. Oertlinum* brachio sustentans, in iisdem Lunæ humoribus natitare docebat. Quoniam autem vterq; malus erat natator, sæpius ad fundum subsidẽtes, magnis haustibus & ipsi saturati sunt. Sed & armati milites iisdem fluctibus inuoluti illud *Liuij* vsurpauerunt; *Temeritas, præterquam, quòd stulta est, etiã infelix.* Alij cum Curtio dixerunt; *Temeritas vbi primum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo, torpet.* Alij in ripâ, alij sub arborum vmbris sedentes illam cantilenam repetiuerunt: *Stultitia sit sedendo, ac votis debellari credere posse*, quod multi è nobis crediderunt; quanquã plurimi etiam nullis laborib. pepercerunt; sed nostrum fuit conari;

Hostium imprudens calliditas, indiciũ prudentiæ in Victore. Eustathius in lib. 2. Iliad.

** Hic ob multas causas Lunaticus est: sed morbum suum vel maximè ostendit in Disput. de Votis & Cœlibatu quã sub eius præsidio M. Christoph. Oertlinus, contra Valetudinarij authorem malè defendit.*

Liuius lib. 22.

Curt. lib. 4.

runt. His insignia noui Electoris addita: insignib. autem & Electori hæc carmina.

Sub pede pressa tibi iacuit, cum bella parares;
Hostibus in cerebro Luna vagata fuit.

GLORIAE BELLICAE
LIBER XII.
DE GLORIA A CELERITATE.

Caput I. *Mercurij circus, cum symbolis celeritatis.*

Onus celérq; prodromus est Pegasus: cum oculos per singula Prudentię trophęa exploratiùs ferre vellem, iam ille in Mercurij me cœlum subuexit, Lunâ paulo tardiùs sequēte. Suffecisset mihi Pegasi celeritas ad Boici Dvcis celeritatem in comparationem trahendam, sed lōgè plura hęc mihi Mercuriana sedes argumenta celeritatis detexit. Nam vt Mercurius quoque Victori triumphum appararet, Circum quendam ante palatium suum pulcherrimis celeritatis symbolis decorauit. Primum erant tormenta bellica pennata ante ingressum vtrinque collocata, hastęque per vices intra tormēta curulia humi depactę, iisque & gladij volatiles, & clypei cristati, & galeę alatę appensę. Sicut ergo in Lunę, aut Prudentię trophęis potiùs, oculi vbique, ita in his armis tala-

ria cernebantur. Itaq; talaria in clypeis & gladiis & galeis & hastis hęrebant; atque ipsa quoq; tormenta curulia alata erant. Lemma fuit, CELERITAS IN APPARANDO.

CAP II.

Maximilians in apparando prouida celeritas.

Liban. in Basilic.

AIunt *Darium & Xerxem annis decē dimensos fuisse apparatum aduersus Græcos*; horum autem pronepotem regem Persarum *quatuor annorum decades* insumpsisse. Quid si paucorum mensium angustijs DVX BOIVS eum exercitum armauit, quo longè clariores Victoriæ sunt obtentæ; an non meritò arma illius *talaria* habere credemus? Sed non difficile est citò metere, vbi ager plenus est, Prouidentiæ Prudentiæque fluunt omnia suo tempore ad votum; neque expeditior feliciorque est vlla celeritas, quàm præuisa, & præmeditatione in procinctu collocata. Hoc à primis, quibus ad clauum sedere cœpit, annis MAXIMILIANVS egit; vt se ad subitos motus citò parare posset, semper parauit. Huc peculij tam immensi collectio, huc optimorum Ducum militumque susceptio, huc armorum ille diuturnus apparatus, huc ciuium, quin & colonorum tam crebra exercitia bellica, huc consilia militaria, & studiorum maxima pars spectabant. Facile ergo erat talaria induere; quæ non quærenda, sed vsurpanda duntaxat fuerunt. Facile, inquam, erat, sed non nisi post tantæ prouidentiæ antecessum. Quæ tum demum magis enituit, cum

milite iam priùs aliò ad hostes pellecto, tamen cum Spartano illo, Norinbergæ respondere potuit. Agis quippe *interroganti, quot essent Lacedemonij, respondit, quanti ad profligandos malos sufficiunt*. Et tot immo plures fuisse Boicos milites, euentus docuit.

Plutarch. in Apophthegm. Lacon.

Bellè igitur in ipso Mercurij *Circo*, murus ille, qui stadium & palęstram vtrinq; discriminat, ad eum modum, quę vidi, ornatus fuit. In medio enim ipse stabat Mercurius falcato ense caput Argi demetens. Quadratus cui ipse insistebat lapis hoc epigramma exhibebat victis.

CAP III. *Mercurij & Argi statua, cuius vox fi-gurant*

Fistula Mercurij dum somnos aduocat Argo,
Et vigil & viuus desinit esse miser.
Nam nisi dormiret, non sic occumberet Argus,
Illi causa necis maxima somnus erat.
Vos quoq; quanquam oculis pleni, dormistis: at isthæc
Securus nimium præmia somnus habet.

Idem docuit alterâ parte capitę diminutus Argus, cuius in basi talis Musa.

Argus ego, qui cuncta oculis me posse putabam
Cernere, deceptum cerno fuisse miser.
Nam quia centum oculis vigilantior extitit alter,
Lumina cum domino disperière suo.
Vos etiam, hæretici, vidistis multa; sed Argo
Mercurij vidit plus oculata manus.

Ad

Cap. IV. Celeritas Bauari Electoris. Plutarch. in Apophtheg.

AD latus Mercurij Iulius Cæsar statuam habebat, cum notissimo illo VENI, VIDI, VICI; quod, cum Pharnacem primo congressu vicisset, amicis scripsit. Ad Argi latus Pompeius à marino cum Cilicibus congressu inclytus stetit; cum veteri illa laude; *Quid priùs in hac mirere victoria? velocitatem, quòd 40. die parta est? an felicitatem, quòd ne vna quidem nauis amissa est? an verò perpetuitatem, quòd amplius piratæ non fuerunt?* Titulus vtrique fuit CELERITAS IN VINCENDO. Neque enim illa in exercitu tantùm cogendo eluxit; sed velocissimi ingenij DVX *armatus intentusque* fuit, *vt neque occasioni* suæ deesset, *neque suam hosti* daret. *Id enim est viri & ducis, non deesse Fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium.* Vereque dixit militiæ magister, *subita conterrent hostes, vsitata vilent.* *Nam*, vt Thucydides ait, *qui superueniunt, terribiliores sunt hosti, iis qui in manibus sunt & pugnant.* Ergo qui hostes in Bohemia cum Cęsariano milite ferè in consuetudinem pugnandi venissent, ij subito Bauarici exercitus aduentu longè magis exterriti sunt. Quid multa? *Nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet. Et frequentissimum initium calamitatis, securitas.* Itaque & superior Austria antè subacta est, quàm se subigendam sciuit; seraque ei vel promittendo, auxilia venerunt. Prout autem prima cesserunt, fuêre vniuersa. Sic acies tota velut temporis momento ordina-

Flor. lib. 3. c. 6.

Liu. lib. 22.

Idem lib. 28. Veget. lib. 3. cap. 26. Thucyd. 5.

Vell. lib. 2.

dinata: ſic prælium ingens paruo horæ ſpacio abſolutum: ſic Praga capta, & intra paucos menſes multæ prouinciæ reſtitutæ.

CAP. V.

Alia celeritatis encomia.

QVare vt quãtum celeritati precium eſſet, magis appareret, *circum* Mercurij & Troianus equus ornauit. Inſcriptio illi fuit. ELEPHANTEM PVTES: DECEM ENIM ANNIS INDIGVIT AD VICTORIAM VNIVS VRBIS PARIENDAM. Hinc & cochleis vndique obrepentibus quamuis bellicoſæ Græciæ tarditas eſt demonſtrata. At Boica celeritas in ceruo quoq; per inchoati propugnaculi hiatum in vrbem quãdam (Camo ſimilis erat) inſiliente eſt expreſſa. Antequam enim Camum propugnaculo plenè coronaretur clauderetúrque, quaſi per portam ſibi relictam Bauaricus VICTOR intrauit. Quanquam non dormientibus obſeſſis, ſed ſerò nimis excludere incipiẽtibus: cuius celeritas adhuc reperit, quà etiam ad claudentes introiret. Velox ergo & huius aliarumq; vrbium Victoria ſibi ſymbolũ in Circo habuit conſtitutum. Nam quidam galeâ tectus, hirundines pictas è manu atque mœnibus dimittebat. Cecina Volaterranus is erat, equeſtris ordinis, quadrigarúmque Dominus, qui comprehenſas in vrbem ſecum auferens, victoriȩ nuncias amicis hirundines mittebat, in eundem nidum remeantes, *illito Victoriæ colore*. Remeauit ſcilicet ad

Plin. lib. 10. cap. 24.

Mm nos

nos quoque non garrula hirundo, sed garrula fama, *Victas dictitans, & eas quoque vrbes, quas nondum audieramus obsessas.* Denique ad vtramque *circi* Mercuriani metam duplici celeritati epigramma vidi consecratum. Ad summam MAXIMILIANI celeritas sic laudabatur.

NE SINE DIIS BELLVM GERERETVR; VICTI HABVERVNT
MERCVRIVM IN PEDIBVS, VICTOR IN INGENIO.

Non igitur solùm IOANN. GODEFRIDVS PRAESVL BAMBERGENSIS ET HERBIPOLENSIS, sed & MAXIMILIANVS noster MERCVRIVS CATHOLICORVM dici debuisset. Porrò ad imam *circi* metam hostis cuiusdam celeritas perstringebatur hoc disticho:

QVEM FVGIENDO AIVNT IPSIS CONTENDERE VENTIS,
HVNC ALII DICVNT EVRVM, ALII ESSE NOTHVM.

GLORIAE BELLICAE
LIBER XIII.
DE GLORIA A TEMPERANTIA.

CAPVT I. *Veneris stella cur ornata?*



VIx iuuat abire à Mercurio, sed venire ad Phosphorum libet, immo necesse est: quia haud longas in Mercurij *Circo* moras trahere licuit. Iam Luna in transitu erat, nec eam sinè se comite Mercurius dimisit. Ego igitur quoque properandum habui, nisi tam præstabiles itineris socios negligere voluissem. Phosphorus, quem alij Ve-

Veneris stellam nominant, erat tum, cùm nos trásiremus, corniculatus, qualis apud nos Luna nascens aut moriens conspicitur. Primum ergo fuit, vt quærerem, vnde cornua illi nata? Respondit, hanc pœnam esse pennas nido maiores extendentis: nam se Dialecticæ imperitum aliquando cum Chrysippo disputauisse, atque iam inde ex illâ disputatione cornua reportasse. Rides, inquam, & *nimis vncis naribus indulges.* Rem loquere. Tum ille, cornua, quæ vides, non iam primùm nata sunt. Sed primùm à vobis mortalibus cerni cœperunt, postquam longum illum & longè prospicientem Galilæi oculum vsurpare didicistis. Ceterùm eadem me, quæ Lunam caussa cornuat. Accessu enim recessuque solis lumen vel perdo, vel perficio. Sed tu nunc nosce te ipsum, & quod agendum est, age, istiusque mihi agminis cornua grauiter contemplare.

Cic. 2. de Nat. deor. Christophor. Scheiner Disquis. Mathem. thes. 18. Lincean. in Philos. suis & Politian. p. 4. Mysteri.

Cap. II.

Temperantia intemperantiaq; porticus & fornices.

Val. Max. lib. 4. cap. 1.

CVm dicto fores quasdam reserauit, per quas introspicienti mihi longissimæ porticus fornices in cornu speciem reflexi se se aperuerunt. Dextrum cornu Temperantia, *quæ mentes nostras impotenti temeritatis incursu transuersas ferri non patitur,* sinistrum ipsa Venus paruúsque Cupidinum populus habebat. Triumphabantur nempe hinc milites, ducesq; ventri, vino, Veneri, aleæ, crude-

litati, auaritijs, ambitionibúsque dediti. Inter quos Teucer, qui *Salamina patremq;*

Horat. lib. 1. carm. od. 7. *Cum fugeret, tamen vda Lyæo*
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ,

curasque vino pepulisse. Vinctus inibi etiam corymbis tenebatur ipse Alexander, hoc solo non magnus, quia magnis poculis assuetus. Sed & Holofernis (*Iudith. 13. 10.*) trucum de conopeo euolutum aliáq; inter abacos, mensas, & purpureos thoros, castigati intemperantis animi exempla vidi. Quia tamen læta nos citiùs trahunt, oculos mox ad dextrum cornu transtuli. Inde triumphabant milites ducesque omnibus quæ huc vsque spectaui admirabiliores, (*Val. Max. lib. 4. cap. 1.*) *Multò enim, multóque seipsum, quàm hostem superare operosius est: nec aduersa præproperâ festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem.* Sicut ergo sinistrum cornu Pelicanum inter sua spectacula exhibuit (*Horus Apollo. hierogliph. 51.*), qui conspecto circa pullorum suorum nidum fumo, dum alarum vẽtilatione ignem vult extinguere, earum agitatione ipsâ magis accendit, pennasque amburit, & in aucupum potestatem se præcipitat, luculentum simulachrum eorum, qui ad indebiti honoris fumum temerè accurrunt, & flammas, quas extincturos se profitentur, propagant, primíque perniciosas experiuntur: ita ad dexterum cornu in curribus eburneis (*Liuius 38. & 26. Val. Max. lib. 4. c. 1.*) Africani, Fabij, Marcellique steterunt, qui tantum

tum in recusandis honoribus se gesserũt, quantum gesserant in emerendis.

INter omnes tamen hos Cupidinum victores, Boica illa nomina HENRICVS, ET MAXIMILIANVS eminentissime triumphauerunt. Quorum laudatio toties variari potest, quoties nouis ipsi gradibus moderationis vsi sunt; HENRICI facinora non repetam; MAXIMILIANI virtutem tacere non possum. Nam ea in Bohemiæ coronâ non modò non affectatâ, sed etiam repudiatâ, immo & legitimo REGI redditâ nimium quantũ admirabilem se exhibuit. Legitimos igitur nouos honores meruit, quia illegitimos contempsit; sicut & hostium non nemo qui intra suam se pelliculam continere non contentus illegitimos titulos appetendo, legitimos perdidit; velut tinctis, Pelicani ritu, in flammâ alis. Vnde & Pelicano illud distichon adiectum fuit.

CAP. III. *Magna moderationis exemplum.*

Ante superbus eram: iam nullas erigo cristas.
Quid mirum? vix est pluma relicta mihi.

Ex aduerso autem qui à tam clementi VICTORE *domiti, vt pareant, non vt seruiant*, coronas, sceptra, diademata, (pro quibus alij tot bella cladesque sustinent) etiam vltrò oblata respuentem admirati, atque ad parendum incitati, res alienas lubentes reddiderunt, quas alium ne acceptare quidem vi-

Tacit. in Agric.

 dis-

diſſent. Itaque VICTORI cuius vel militi auidum eſſet, quicquam vltrà virtutem appetere, hoc elogium perſoluerunt,

MAGNA CORONA FVIT, CONTEMNERE POSSE CORONAM.

Tacit. 4. hiſt.

Sicut militi eius magnum ſpolium, ſpolijs non nimis inhiauiſſe. Nam ſæpenumerò *obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte, ſpolia conſectandi.* Ea igitur diſciplina Bauarici exercitus eſt, vt is tam diu prædam non aſpiciat, quàm diu ab hoſte aſpiciatur.

Hinc neruus & vires creuère: eneruat enim luxus atque voluptas, rerúmque abundantia laſciuiæ parens bellaturos; quæ plerumq; locum non habent, vbi cupidinibus fibula inijcitur: cum contra vel apud ipſos illos Romanos, *quando non amplius ſaxum, vt ante hac, armato cubile, ſed plumæ & flexiles lectuli, & grauiora gladijs pocula erant; etiam ipſorum imperium labefactatum, & externis hoſtibus prædæ fuerit.* Magna igitur & hic de Cupidinibus trophæa; ſed non ſola.

Ammian. Marcellin. lib. 22.

CAP. IV. Temperantia Boij Electoris in bello & victu.

IN eadem enim porticu Bacchus quoque iacuit protritus; de quo ne mentionem quidem inijcere eſt neceſſe. Cui plenum in alijs ſæpe caſtris aulíſque dominium, hic timidè ſeruitutem ſeruire gaudet. Neque enim illi vltra neceſsitatis termi-

nos

nos progredi est concessum. Quanta sobrietas? quantus deliciarum neglectus? ieiuniorum voluntariorum quàm frequens vsus? Cibi non onus sed nutrimentum sunt. Scit nimirum Dvx optimus ad tuendam hæc non ad destruendam sanitatem concessa. Denique constat eundem Electorem pari vultu & mucidum atrúmque sub Ioue frigido panem, & regias alibi epulas esitauisse. Nouit nimirum tantus Princeps militariter non solùm præliari, sed etiam conuiuari.

Ad vltimum in mediâ Hesperi porticu (nam & hoc stellæ nomen) portentosa illa pluuia ideam habuit, quæ iuxta maritima Aquitaniæ loca An. 1017. ante D. Ioannis Baptistæ festam lucem tribus continuis diebus sanguinem de cœlo attulit, qui si humanam carnem, aut lapidem attigisset, emaculari nullâ vi poterat; sin supra lignum cecidisset, facili negotio lauabatur. De quo portento consultus Fulbertus, respondit, *per lapidem impij, per carnem fornicarij significantur, per lignum medij, qui neque molles, vt caro, neque vt lapis, duri.* Totius huius rei interpretatio non erat procul petenda. Satis magno sanguinis imbre, per nostra hæc bella mortales sunt cruentati. Ceterùm alij toti lapidei, & duri, nullis Germaniæ calamitatibus molliuntur. Alij toti caro sunt & à sanguine non patiuntur se auelli. Hi aut crudelitatis aut libidinis suæ macu-

Fulbert. Epist. Carnotensis ep. 79. apud Baron.

las

Psalm. 1. las nullâ ætate eluent. Alij verò *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, guttis sanguineis tanquam gemmis radiabūt, & ante Numinis tribunal ipso Hespero pulchriores orientur: quia inuiti ad arma venerunt, armis victorijsque clementer vsi sunt, & parcendo rursus irritamenta pacis ostenderunt. Rarum exemplum in Victore famam partæ gloriæ non lacerauisse, sed augu-Tacit. 2. hist. stiorem fecisse. Quia *rebus secundis, etiam egregij duces insolescunt*, atque *regi frenis nequit*

Senec. Troad. *Et ira, & ardens hostis, & victoria,*
Gladiusq́ felix. Cuius infecti semel
Vecors libido est.

Tacit. 3. hist. Sed nempe in malo duntaxat ingenio *felicitas auaritiam, superbiam, cæteraque occulta mala patefacit.* Et illi tantùm magnam felicitatem concoquere non possunt, qui magnâ felicitate indigni sunt. Heroes vt Sol, quanto altiùs euehuntur, tanto virtutum suarum clariores radios effundunt; tantóque minùs alios lædunt, quanto plus possunt, leonum indole, quæ & ipsa subiectis parcit. Hæc me Pœcile Phosphori porticus docuit, nec in Stoicâ plus didicissem.

CAP. V. *Erga victos quàm temperanter res gesta.*

AVcto inde comitatu, Luna, Mercurius, Phosphorus mecum iêre. Proxima Solis statio fuit attingenda. In viâ densiores cœli partes, in varias se fi-

se figuras verterunt, Soli pro monumento futuras. Eæ figuræ Apollinis res gestas certaminaque indicauerunt. Inter has cum Mercurius Marsyam conspexisset inuẽtis à Mineruâ tibijs priùs superbum; nunc corio exutum; sic cecinit. Ouid. 6. Fastor.

Marsya fastosas inflat certamine buccas,
Altiùs & Clario nititur ire sono.
Rustica sed victos submittit tibia fasces,
Et malè quod cecinit tibia, pellis habet.
Victe iaces: grandis tamen est fortuna iacenti,
Non nisi Phœbeâ procubuisse manu.
Nostra etiam Phœbũ viderunt tempora, per quem
Tu noue tibicen, Calue superbe, iaces.
Hæc quoque fortuna est: nam quæ te dextera vicit,
Abstinet à corio, calue sat antè, tuo.

Prudenter æquè ac clementer abstinet, inquam ego, satis enim suopte ingenio versipellis est *Caluus.* Quanquam etsi pellem millies mutaret, & toties, quoties anguis exuuias abiiceret, tamen intus & in cute idem maneret. Non pepercisset tamen Apollo, inquit Phosphorus, ferociori ad rebellandum, quàm bellandum.

Pythia Marsyacos dum cernit tibia fastus;
Expedit artifices ingeniosa sonos.
Et Phrygios congressa premit, sic arte sonores;
Ut palmam & vitam, Phryx superate, dares.
Tu quoque, victe hostis certasti, at vincere nostrum
Victorem sanè gratia magna fuit. Nn Si

Si te vicisset tali certamine Phœbus,
Tota tibi prorsus pellis adempta foret.

Sed vt canendo Marsyā Phœbus, sic parcēdo Phœbum vicit MAXIMILIANVS; cuius potestas mauult vim suam aliorum miseratione experiri, quàm pernicie. Nisi alij perire malint, quàm sapere. Eadem enim multis est natura cum flammis, quæ opprimi non reprimi debent, cùm etiam de minimâ scintillâ reuiuiscant. Ita Phosphoro vaticinante, cantu colloquiisq; eundi laborem leuantes, viam processimus.

GLORIAE BELLICAE
LIBER XIV.
DE GLORIA AB AVCTORITATE.

CAPVT I. *De Solis regiâ, mora & mansu.*



AD Solis ergò regiam sublimissimis columnis præcellsam, & micante auro pyropisque pulcherrimè flammantem, eburneisque fastigiis, supra omnia ferè Deorū palatia candicantem, peruenimus. Hîc cum propiora fulgurantis Dei lumina, ferre non posset mortalis oculi imbecillitas, procul steti; neq; fixo obtutu, sicut aquilæ solēt, sed obiectâ manu, ac velut per transennam aspexi tantam splendoris maiestatem.

Pur-

— Purpureâ velatus veste, sedebat Ouid.2.Metam.
In solio Phœbus, claris lucente Smaragdis.
A dextrâ læuaq́; Dies, & Mensis, & Annus,
Seculaq́ue, & positæ spatijs æqualibus Horæ:
Vérque nouum stabat cinctum florente coronâ;
Stabat nuda Æstas, & spicea serta gerebat;
Stabat & AVTVMNVS PARTV VENERANDVS HONESTO;
Et glacialis Hyems, canos hirsuta capillos.

Multa quidem alia quoque id loci mirari licuit, sed inprimis eos, qui rapidissimum Solem, loco vni ita pertinaciter affixêre, vt terram circa eum immotum in gyro rotari dicerent; in quos, aspectis simul Phœbeis *maculis*, illud exclamaui.

Qui Solem sedisse pigrum tot credidit annos;
Hic Soli primas imposuit MACVLAS.

Excepit Mercurius,

Parcite ei, terram qui dixit aquamq́ moueri,
Orbem cum cerebro credidit ire suo.

At Phœbus, cuius perennē lucem paulò antehac geminæ insederant *nigræ maculæ*, quas eo ipso die, insolito more dispunxerat, ita & ipse lusit.

Squalidus incessi, cum nondum vinceret Heros;
Vincere cum cœpit, fronte serenus eo.
Cui dederim, quæris, MACVLAS? vtramque malignis,
Quos decuit cultu non meliore tegi.

Adiocata est fratri suo Phœbe, &, Non tecti, inquit, sed cooperti sunt *maculis*, qui non lemis, sed ollis lippire voluerunt. Illorum nimirum lachrymæ sunt, quæ huc vsque euaporant. Illi quam ferrugineam tibi pallam iniecerunt, receperunt; qui Thyesteâ diē mensâ infamare non erubescunt. Sed meritò recidunt lacrymæ, & fontem suum maculant, quæ solem voluêre. Alijs vmbras debes, alijs splendorem scilicet

Vt dispenset opes Titan iustißimus, hosti
Dat maculas, lucem, MAXMILIANE, tibi.

CAP. II. *Auctoritas Boij Ducis.*

QVanta enim auctoritas, tanta lux tua. Si enim auctoritas, est *impressa subditis, siue & exteris, opinio reuerens de Principe eiusq; statu*, eaq; vt Tullius ait, *multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet*; quantum hinc lucis tibi accumulari est necesse? cui, quod rarißimum, nec facilitas auctoritatem, nec seueritas amorē deminuit. Laudatus est ille Germanicus, qui *visu & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem & grauitatem summæ fortunæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugerat*; quantum tibi laudis debebitur, erga quem vel ipsis hostibus ingenita est veneratio? quam Admiratio & Metus tibi parauit. Admirantur enim mores tuos, metuunt potentiam: apud quem conditum quidem, non tamen *constrictum ferrū est*. Quanquam

Cic. pro leg. Manil.

Tacit. 2. Annal.

Senec. 1. de Clement.

quam enim vt vnius rebellionis castigatione multorum improbitatē coërceas, pœna à te ad paucos, metus tamen ad omnes peruenit. Metuunt enim illi tam diu, quàm diu faciunt metuenda. Et sanè sæpenumerò,

Crudelem medicum intemperans æger facit. *Publius.*

Neque tu ignoras *digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura.* *Varro in frag.*

CAP. III. *Quàm hostib. metuendus Bonus?*

ATque Luna quidem auctoritatem PRINCIPIS ita prædicabat, Phœbus autem verbis eius etiam palacij sui ornatum addebat; omnia enim ibi se ad exprimendam huius virtutis laudem posuisse dixit. Ad sinistram ergo regiæ monstrauit *Henrici Percij Comitis Northumbriæ limitis orientalis Angliæ Præfecti* dignam relatu cladem, cladisque caussam: Bellum de crepitaculis spectaculum. Is enim cùm in Scotiam cum 7000. hominū ex improuiso irruisset, à rusticis & pastoribus, crepitaculis, quibus ceruos & pecora absterrere solent, fugatus est. *Eius crepitaculi hæc forma est. In summo hastili satis longo, infixis costis ligneis, in semicirculū curuatis; super eas pellem circumtendunt, ad eam maximè formam, quâ sunt laternæ, quas vulgus Lutetiæ Fallotas appellat. Huic lapillos paucos, sed durissimos indunt, quibus agitatis cum ingenti sonitu feras à segetibus absterrent. Hoc genere crepitaculorum ingenti strepitu in imminentibus castris* *Buchanan. lib. 9. rerum Scoticar.*

 tolli-

collibus edito, equi Anglorum perterriti, vincla rumpunt, ac paßim per agros palãtes in prædã agricolis cedunt, &c. Hanc historiam scriptor verbis, Apollo statuis expressit. Quam cum monstrasset nobis, Ite nunc, dixit, hæretici, & Bauaros *agricolas* vocate, quasi *in campo ad arandum non ad bellandum idoneos*: nunc eorum vel nomen vos terret, quorum antea arma restitistis. & velut cerui crepitaculis auditis terga datis, quid mirum si ad tubas & tympana idem facitis? Decet nempe ceruos ad leonis rugitum trepidare.

CAP. IV. *Etiam à potẽtia auctoritas Boio.*

NEque potentia deest quæ metuatur. Indica hæc instrumenta, in vestibulo meo collocata, eius potentiæ signa sunt. Collocata autem erant ea instrumenta, quæ Indi in aëre suspensa scuticis diuerberant, ad horrendum quendam sonitum in hostes spargendum. Conficiunt enim ea ex cauato abietis trunco, orichalci tintinnabula in eo suspendentes, & taurino corio circumtegentes. Hæc in pugnas elata ferunt, ligneumque vasis os concutiunt, vt quæ in eo tintinnabula pendent, in arcto resonantia mixtum quendam terrificũ cum sonitu mugitum edant, atque inusitatæ belluæ vlulatum præseferant. Quo validi sæpe exercitus dissipati. Hoc instrumentũ ergo BOII ELECTORIS est potentia. *Orichalci tintinnabula*, clarissimè resonantia, sunt opes eius. Nam ex Demosthenis sententiâ

Camer. cent. 1. cap. 77.

tentia *opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus.* Et nisi quis argẽtatas hastas ferreis permisceat, ipsum quoque ferrum retunditur. *Excauatus abietis truncus, & taurinũ corium,* arma, consilia, fœdera, fortuna, sunt, quibus potentia constat. His ergo belli scuticâ semel concussis, quia tota hostium audacia contremuit, hoc vnum restat, vt quærant. *Cum quâ gente cadant.*

Demosth. Olynth. 2.

Lucan. 8.

CAP. V.

Auctoritas à pietate tã apud suos, quã exteros.

MOnstrauit Phœbus & Iosuæ statuã, quæ globum æneum læuæ manus volâ tenet, & dexterâ ad currum Solis atque Lunæ extentâ cursum eorum sistere videtur, qualem olim Constantinopoli repertam Nicetas tradit. Hac monstratâ, *Pietas,* inquit, *ad omnia vtilis.* quæ facit *Principes instar deorum esse,* & mouet opinionem, *vt nihil sine diuina ope aggredi videantur,* animisque hominum illabitur, admirationis prætextâ velata. Conciliant igitur & mores auctoritatem. Atque vt BOIVS quoque triumphator hinc magis coruscus esset, ipse illi æther militauit, accensâ cometæ flammâ; & Sole in serenitate, alieno tempore manere iusso. Hinc *opinio reuerens* de illo *& subditis, & exteris impressa.* Subditis, quidem, quia hi amore tacti, *dubiis præliorum exemtum,* voluerunt, vt *summæ rerũ & imperij seipsum* reseruaret. Nam *in milite, vnius sors est; in Imperatore vniuersorum periculum.* Et in simili di-

Nicet. in annal. prope finẽ.

Tacit. 2. Annal. Curt. 3.

Egesip. 5. c. 30.

scri-

2.Reg.21.17. ſcrimine, *iurauerunt viri David, dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellū, ne extinguas lucernam Iſraël.* Quanta enim totius Bauariæ ſolicitudo fuit, pro DVCE ſuo vel in caſtra ituro, vel in caſtris commorante? cum quo victoriam perdere, quàm ſine illo adipiſci maluiſſet. Et quanquam rectè ſapientes ſtatuerint, *minora bella, minoribus ducibus delegandа*: (Tacit.4.hiſt.) ex eorundem tamen decreto, *ſi ſtatus imperii, aut ſalus prouinciarum in diſcrimine vertatur, debebit in acie ſtare.* Nonne vtrumque DVX BOIVS executus eſt? Cuius cum pugnæ intereſſet, tantum eius præſentiâ inſpiratum eſt militi robur, vt Antigonum dicere liceat: (Plut. Apophr.) qui olim trepidanti gubernatori & multitudinem hoſtilium nauium cauſſanti: *Me verò ipſum inquit, præſentem cum quot comparas?* Cum quot ergo BOIVM compararent, ſatis declarauêre, vel aduerſæ religionis milites, quorum ea vox excepta eſt. *Non poſſe tam pium PRINCIPEM bello ſuperari.*

CAP. VI. *Quot & quanti Maximiliano victoriam ſolam Pragenſem gratulati?*

TAlia in Phœbi domo vidi audiuique, ſed nihil tam illuſtre fuit, quàm numerus eorum qui Pragenſem illam BAVARO victoriam quà per litteras, quà per legatos gratulati, longâ ſerie in atrio Phœbi ſteterunt. Vix omnium memini. Inter omnes tamen & hi fuêre. Magnus CAESAR, cum ſuo legato: Catholici ELECTORES & PRINCIPES ſtatuſque

tuſque cùm ſeptem inſignium Prælatorum legatione fungentium globo: DVX LOTHARINGIAE itidem cum legato: quin & PONTIFEX cum aliquot CARDINALIBVS: & REX HISPANIAE, REXq; POLONIAE vterque manu propriâ fusè amiceq; ſcriptam tenentes epiſtolam: tres itē ARCHIDVCES ALBERTVS, LEOPOLDVS, CAROLVS, hi omnes magnas gratiarum actiones litteris ſuis inſeruerunt: DVX quoq; SAXONIAE, LANDTGRAVIVS HASSIAE, DVX HETRVRIAE cum SERENISSIMA CONIVGE, MANTVAE inſuper, PARMAE, MODENAEque PRINCIPES, atque Germanorum dynaſtarum innumerus numerus. Hos ſcilicet omnes ſplendoris tui radiis es complexus MAXIMILIANE. Quare in ſole tuo ſtantes & radium quiſque geminantes id approbatione ſuâ efficiunt, vt quiſquis ſanctum & egregium DVCEM PRINCIPEMque ſignificare velit, ſub nomine MAXIMILIANI definiat. Et ſanè *delapſa cœlo Sidera hominibus ſi ſe offerant, venerationis ampliùs non recipient,* quàm virtus tua, ſi debitus ei honos à mortalibus tribuatur. *Val. Max. lib. 2. cap. 10. de ſuperiore Africano.*

GLORIAE BELLICAE
LIBER XV.

DE GLORIA A FORTITVDINE.



Ribuerunt igitur ei honorem Ideæ tantorum Heroū in atrio Phœbi ſtantes, à quib. CAPVT I. *Maximiliani cum Sole ſimilitudo.*

Oo cum

cum Sole claritas BOICA variis titulis est collata. Hos tres domesticè notos postremò legi. Primus ex Claudiano erat,

—MEDIVM non deserit vnquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.

Secũdus ex adagio, NEC DVO SOLES MVNDO VTILES, NEC DVO IN BELLO SVMMI DVCES. Cum ergo nouissent

Thucyd. 6.

plurimùm, vt Thucydides ait, *nocere & multitudinem imperantium, & regimen* in castris *nullum aut incertũ*, voluerunt summam imperij militaris penes vnum BAVARVM esse, in illo omnem spem, ac salutem Germaniæ tanquam in belli capite reponentes. Additus est huic tertius titulus à prouerbiali vetere versu paulùm immutatus. Nam pro illo, *Multi imperantes perdidêre Cariam*, sic legebatur:

Multi imperantes perdidêre Bohemiam.

Coniuncta erat huic versui & hęc Musa interpres;

Cur geminos reges in regno ponitis vno?
Non patitur dominos vna corona duos.

Stobæi serm. Quod opt. sit monarchia ex Seruii apomnemoneumatibus.

Quod & in Crœsi historiâ patuit. Nam *cum Lydis Crœsus imperaret, & fratrẽ in consortium imperij assumsisset: tum quidam ex Lydis accedens dixit: omnium in terrâ bonorum, ô Rex, auctor est Sol, neque quidquam extaret in terrâ, sole non illustrante. At si gemini soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia pessum irent. Ita & regem quidem vnum accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos verò simul tolerare*

non

non possunt. Vni ergo FERDINANDO REGI Bohemia, velut vni Soli, vni MAXIMILIANO militia, velut summo Duci, fuit administranda. Quem prospiciens quoque animus, & insidiarum detectio Solem Ducemque esse facit.

Dum prædam quærunt, animalia nocte vagantur;
Cum tenebris iterum cedere sueta suis.
Et valuêre doli, quando latuêre: sed huius
Ad Phœbi lucem fraus patefacta fuit.

CAP. II.

A Solis domo ad Martis armamentariũ accessus qualis.

HÆc me ad Solis domum discente, Mercurius nouum quoddam horologij ouati genus (cuius index non in circulo, sed in ouali figurâ circuibat, iam contractus, iam, pro ipsius spacij latitudine, ac si viueret, sponte suâ, se ipsum iterum vtrinq; extendens) inspexit, & horam esse festinandi monuit. Properatur ab omnibus. Ibi *solis elliptici*, & sub ortum occasumq; contrahi soliti caussam mihi intelligère visus sum. Nam cùm manè è domo suâ egreditur, aut vesperi in eandem regreditur, licet portas habeat amplissimas & augustissimas, ita tamen ipse eas proceritate suâ excedit, vt velut inclinato vertice & contractis humeris, ingredi egredique cogatur: quod dum facit, ouorum & ipse similis apparet.

Solis perpetuam ellipsin inuenit, et doctè cum tot aliis defensit Christoph. Scheiner. in Sole suo Elliptico.

Nondum ad Martis castra perueneramus, cùm ille obuiam nobis procesit; & salutatis Diis, Scio,

inquit, quæ vobis caussa veniendi; fortissimo Dvci eadem & me præstare conuenit. Et quidem iam ab antiquo gens ista à Marte, & Mars à gente floruit. Nam & Chrixus Boiorum Dux virtutem suam suorumque Annibali probauit; nec Scipio ignorauit, quas Brenni populus in arma dexteras ferret. Denique Boios esse viros multi viri experti sunt: & hunc ipsum Dvcem vel hęc tēpora esse virū ostendunt, quibus vt gubernator in magnâ naui flectit & regit omnia paruo motu. Sed tectum meum paullisper subite, & laudatam viri fortitudinē ipsi oculis legite, quæ vel inde quoque patescet, vbi didiceritis, quæ sit hostium fortitudo.

M. Velser. rer. Boicar. lib. 1.

Cap. III.

Arma et emblemata Vers.

Cic. 3. de orat.

PEr armamētariū igitur nos deduxit, quale nec Philo Architectus Atheniensibus fecit. Mirus ordo, & numerus armorum, vtrinque dispositus; ad dexteram, Boii Dvcis gloriam, cuius ponderosissima vis & efficacissimi lacerti, in fortitudine consistunt; ad sinistram, quantis hostes præcurrantur exemplis explicauit. Tubarum lituorumque & cornuūm hostilium velis addita fuit inscriptio I. INFLATA SONANT. II. HINC BELLI INITIVM. III. FORTIORES VIDENTVR, QVI PROVOCARE NON DVBITANT. Quę Vegetij est sententia, Senecæ autem, *velim non incidere in bellum, sed si incido, & vulnera, & famem, & omnia, quæ bellorum necessitas affert, vt generosè feram optabo*. Fortius

Veget. lib. 3. cap. 18.

Senec. epist. ad Lucil.

tius est ergo non prouocare, sed prouocatum ostẽdere, se eo ipso quoque tempore mentam neque seuisse, neque edisse, ardoremque animi vultu & oculis præferre. Melius itaque tubæ BOICAE inscriptæ. I. NON PRIVS, SED FORTIVS SONO. II. NON BELLVM, SED ANIMOS EXCITO. III. RECEPTVI CANO. Quippe receptui canere debent, tam quibus salus, quàm quibus gloria chara est: quia

Arist. sect. 101 Problemate adagij huius causam esse, quoniam menta corpori frigus adducat, frig. aduersari feriendum decertandi sect. 24. probl. vlt.

Pacem reduci velle, Victori expedit;
Victo necesse est. Et
Si æterna semper odia mortales gerant;
Nec cœptus vnquam cedat ex animis furor;
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella.

Senec. Herc. fur.

Rectè ergo fit, si pulsentur sæpiùs, qui pulsi pulsatique non tacent. Hinc tympanis hostium lemma I. PERCVTIENDVM. II. TERGA DAMVS FERIENDA. III. BOS MORTVVS ADHVC QVIDEM MVGIT, NON TAMEN FERIT. Sic & *canis timidus vehementiùs latrat, quàm mordet. Altißima* autem *quæque flumina minimo sono labi videmus.*

Curt. lib. 5.

CAP. IV.

Hostium vexilla quo lemmate, quoue emblemate fuerint decorata?

CEtera quoque armorum genera Mars inscripsit, sed libuit præcipuè quædam vexilla vt ab ipsis hostib. adornata fuerunt, annotare I. erat Comitis Palatini, in cuius albo campo aureis flammis interlucentib. brachium è nebulâ protensum tenebat bilancem, & in bilance hinc orbem terrarũ,

Hæc Vexilla ipso tempore vrbem omnem Romã fuerũt in triumpho ducta. Ex quibus eorum fortitudo apparet, quæ, vt Tertull. de cor. milit. loquitur, in pace leones, in prælio ceruæ. Cornua nempe habent ad terrendum, nõ ad feriendũ.

inde coronam imperialem, cum hac epigraphe IN HONORE REQVIEM. Tunc nimirum denique quieuissent, si illorum corona orbem terrarum æquauisset. II. in viridi areâ auro elaboratâ striæ rubræ, & grandes vndique flammæ, cum titulo, VIRTVTE. Nempe cum sanguinem striis, & ignem flammis, itemque certis Principum nominib. rubricâ scriptis insidias minantur, VIRTVS illorum est. III. in carnei coloris campo lauream auream que sed floribus implexam coronam, atq; in coronâ ipsâ numerum vel litteram I. complectebatur; quæ vel Vnionis vel obedientiæ, vel imperantis nota erat. Sed & vnio eorum dissipata, & ipsi parere coacti, qui iubere voluerunt. IV. semirubrum semiuiride in medio armatum militẽ, & Furiam, cor mandentem, flammasque hinc inde spargentem cum his verbis gerebat. IVSTVM DEI IVDICIVM. Nempe quod per armatum militem in Furiam fune captã, iam sæpiùs vidimus exarsisse. V. in flauâ planitie omnis generis armamenta, cum hac sententiâ exhibuit: NON SINE CAVSSA. Et à tergo brachium è nebulâ armatũ cum gladio in mucrone oculato extabat, cum hac fiduciâ: NON DORMIT, QVI CVSTODIT NOS. Scilicet non sine caussâ arma parauerunt, qui Deum arbitrati sunt esse rebellium CVSTODEM potiùs, quàm IVDICEM. VI. in telâ aureâ litteris è filo aureo, argenteo, & viridi huiusce modi inscribebatur:

tur: ETSI. Nempe *etsi ille Cæsar, etsi nos rebelles simus*, tamen nihil refert, nouissimum spiritum per ludibrium & contumelias effundamus, an per virtutem. VII. in campo rubro argenteis flammis distincto habuit hinc; POST NVBILA PHOEBVS; inde, VINCIT CONSTANTIA MENTIS. Ne igitur velut segnes & animi captos huc illuc clamoribus circumagi putemus, quia *nubila* sibi prædixerunt, etiam Phœbũ promittunt, sed qui eorum fraudem de vmbris, in lucem protrahat. VIII. in campo flauo duplicẽ litteram X. & virentem colliculum, cui à fronte inscriptum: SI PRVDENTIA NON DESIT: à tergo, FORTVNAE SATIS. Quia ergo *satis fortunæ* illis non fuit, rectè dixeris *prudentiam defuisse*. Nec enim in *duplici* aut linguâ aut *litterâ*, aut animâ prudentia sedem habere potest. IX. in nigro campo stellis & flammis argenteis insperso imaginem Dei gerebat super equo candido: equus pedem vnum in nubeculâ deponebat, eques vestitus tunicâ sanguine maculatâ tres coronas aureas in manu, gladium autem in ore tenebat. Epigraphe. DEVS FORTITVDO MEA. In auersâ parte Iustitia erat cum bilance & gladio & hac professione: Ich lieb Gott / vnd die Gerechtigkeit. Si Superis placet. Amarum enim est sic amari. X. in campo partim albo, partim sanguineo striæ ad modum scalarum fastigiatæ vehebãt hoc oraculũ: CVM GAVDIO INCIPIO, CVM FELICITATE FINIO: conuenien-

Prouer. 14. 13. nienter illi, *extrema gaudij luctus occupat.* XI. in flauo colore viridem globum ab anchorâ inuncatum prætulit, cum illo dicto SPE FIRMVS. Sed coruum hiãtem spes fefellit. XII. in viridi coronatum leonẽ exhibuit vnguibus cor tenentem quinque radiis effulgens, & illam gnomẽ: PRO CONSCIENTIA ET PATRIAE LIBERTATE. Tunc videlicet libertatem se nactos putant, cum illorum *cor leoni sub vngues* venit. XIII. in rubro ostendit hinc quidem Christum triumphantem cum lemmate: CONFIDITE EGO VICI: inde verò argenteum leonem ista dicentẽ: AVXILIVM ALTISSIMI FORTITVDO NOSTRA. Hæc scripserunt, quia vexillum istud in nostras manus erat venturum. XIV. CONTERO, inquiebat, & verè, si addidisset, MEOS. XV. in flauo campo globum rubrum, in globo scutum, in scuto leonem coronatum: ac supra scutum coronã imperialem ferebat, cum lemmate: HONESTVM PRO PATRIA MORI: à tergo in sphærâ itidem rubrâ castellum, cuius portæ insistebat angelus crucem gerens in capite, & manu calicẽ; inscriptis numeris. 1. 6. 1. 9. Quid illis toties cum imperiali coronâ? nescio: ab angelo, scio, calicem, quàm crucem mallent. XVI. grande vetustum & admodum cruentum vexillum in candidæ telæ angulo nigro dæmonem in modum vrsi mõstruosi flauescentem; in medio autem globum flauum viridi striâ distinctũ & sic inscriptum præbuit: DEO

Huius nume ri ãno et Pseudo synod⁹. & Barneueltius finem habuit. illa 6. iste 13. die Maij. An igitur ad illũ angelum pro patriâ mortẽ tem allusum?

PRO-

PROSPICIENTE FLOREBO. Vbi ambiguum eſt, flauus ne globus, an flauus dæmon loquatur: *Deo proſpiciente florebo.*

CAP. V. *Bocæ fortitudinis inſignia & argumẽta.*

SVpra iam exemplum dedi vexillorum à noſtrâ parte longè ſanctiùs inſcriptorum. Non igitur opus repetere. Reliqua duntaxat BAVARICAE GLORIAE arma à Marte dicata percurram. Poſt tubas ergo tympana cum ſuis malleolis & inſcriptionibus vidi. I. inſcriptio. AVDIAR, SI TANGAR. II. NON SENTIO, QVOD PATIOR. III. NE ME VERBERES, SI ME VIS SILERE.

Alia dehinc arma, ſuper alia cũ ſuis titulis pependerunt. Loricis vexillum præfixum, ſic fuit inſignitum: CEDO VENTIS, NON HOSTI. Supra loricas titulus legabatur; INDVTI LORICAM FIDEI. Supra galeas; ET GALEAM SALVTIS ASSVMITE: ſupra clypeos; HIS CLYPEIS TOTA TEGITVR GERMANIA: ſupra enſes; NVDATVS SVM POTENTIOR; ſupra haſtas; ERECTA MINVS NOCET, INCLINATA FERIT; ſupra Herculis arcus: * ENERVOS ANIMOS ODISSE VIRTVS SOLET; ſupra fiſtulas æneas; ADMOVE SCINTILLAM, ET HABEBIS FLAMMAM.

1. Theſſal. 5. 8. Epheſ. 6. 17.

** Val. Max. lib. 2.*

Stabant alio loco tormenta curulia ære fuſa: alio iacebant lapidei, plumbei, ferrei globi hoſtem fulminaturi: alio ſiti erant funes incendiarij: alio pontes & ſcalæ plicatiles, officinæ fabriles, ligones, ſecures, & quidquid ad Martis ſupellectilem

Pp ſpe-

spectat. Nam Mars multum sibi acquisitum putauit, quòd MAXIMILIANVM imitari valeret. His igitur omnibus quoque sua erat laus apposita. Ex aliis enim didici, etsi, vt Cæsar dixit, *nemo sit tam fortis, quin rei nouitate perturbetur*, Martium tamen BOIORVM spiritum, illis prouinciis, in quas bellicus turbo tanquam subita procella in littus euoluitur, semper pro muro haberi: atque idcirco *quò timoris minus, eò minus ferme periculi esse*. Et quanquam sanè, ob tot hostes, & alias super alias quotidie nouas difficultates subnascentes periculi sit plurimum vndique, tamen verè posis de MAXIMILIANO nostro dicere, quod de ÆMILIANO Scipione est dictum: ÆMILIANVS *hanc militiam alius propter difficultatem vitantibus, sibi depoposcit.* Nempe *non mirum est*, ait Seneca, *in tranquillitate non concuti. Id* mirantur omnes, *ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacent. Sapienti scilicet viro nihil mali potest euenire. Stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit. Nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet. Nam quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur.*. Sub totâ igitur belli mole, ita stat MAXIMILIANVS, sicut Hercules sub cœlo, cùm in humeros eius ab Atlante est translatum. Ipsi hostes extrema conati, sed fatigati fractique conando, arma sua ante genua eius proiicientes, illud vetus magni regis canere coguntur: *Vir fortissime, vicisti*:

Cæsar. lib. 6.

Liu. lib. 22.

Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Senec. ep. 71.

Flor. lib. 3. cap. 10.

&

& ſicut curule aliquod tormentum, cui admotus à tergo ignis vires dedit, quidquid obſtitit, omne perrupiſti. Merito ergo debitum tibi honorem Mauortis arma in titulos honeſtatis verſa reddiderunt.

Iam ſub ipſo armamentarij exitu adamantina Martis tunica pependit, ſagittis in orbem vndique ſtipata, ſed non penetrantibus. Lemma fuit. DESTINABERE, NON VVLNERABERE. Hanc tunicam cum lemmate ſuo Mars diis hoſpitibus monſtrauit, & *Eſt hic, eſt animus lucis contemptor*, inquit, *& iſtum Qui vitâ bene credat emi, quo tendit, honorem*; ſed vitâ non emet. Vetant ſuperi nefas. DESTINABERE tamen, MAXIMILIANE, & multis telis deſtinabere. Virgil. 9. Aen.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Virgil. 6. Aen.

Magna laus & admirabilis videri ſolet, tuliſſe ſapienter caſus aduerſos, non fractum eſſe fortunâ, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. Quam vel Tillius militeſque tui retinere didicerunt: qui contra Durlacenſem, & Brunſuicenſem hoſtes tam animosè procederent, poteras de illis, quod Agis de Spartanis, pronunciare; *eos non quærere numerum hoſtium, ſed vbi ſint.* Hactenus iſtud: quia publicâ luce conſecrata virtus, nullâ priuatâ laudatione indiget. Alia occultiora ſunt, quæ MAXIMILIANVM fortiorem adhuc vel facient, vel oſtendent, mediâ inter timorem & audaciam viâ conſtantiſſimè procedentem. Sed nos itineri reddamus. Cic. lib. 2. de orat. Plut. ApophT. Lac.

GLORIAE BELLICAE

LIBER XVI.

DE GLORIA A IVSTITIA.

CAPVT I. *Iouis augustissima Curia qualis?*



Vbis tympanisq; præeuntibus, Mars ferratum conscendit currum, & ab armamentario suo nos ad Curiam Iouis perduxit. Cuius magnificos splendores nulla linguæ solertia depinxerit. Curiam si dixeris, arcem alij vocandam censebunt: & tamen si arcem vocare volueris, curiam esse reperies. Aspectus etiam procul venientibus maiestatem spirat. Intrantes pænè exanimat. Ambulationes offert magnas, marmoreis columnis, & has æreis basibus, non tam sustentatas quàm ornatas. Conclauia ad quatuor angulos ampla atque augusta. Alia tributis, alia mulctis, alia minoribus caussis, alia diphtheris & secretioribus litteris; alia ærario & fisco, alia pleno senatui, alia plectendis, alia honorandis magnis hospitib. destinata. Præcipuè tamen visenda est aula ingens, excelsa, auroque & coloribus Geraci in varias Sapientiæ Iustitiæque figuras distincta. In quâ & altæ ad magnam lucis copiam, & ex alto ad spectatores admittendos fenestræ. Summa domus turri geminatâ surgit; & à quatuor infra turres angulis

tecto caret: vnde in subiectas partes fulmina vibrari, cum necessum est, possunt, rebellésq; aut tumultuantes coërceri.

Præcipuè tamen coërcentur ipsius Curiæ Sapientiâ & æquitate. In cuius ingressu magnis Romanis litteris est scriptum, REX IVPPITER OMNIBVS IDEM. Secutus sum ingredientes. Et ecce longâ serie, venerãda in curulibus sellis senectus cum insignibus magistratuum sacerdotiorumque, considet in orbem: credo trecentos fuisse, quo olim Boij numero Dryņemeti concilium commune constituerunt.

Velser. lib. 2. rer. Boicar. Strab. 12. de regione huius loci. Virg. 12. Æneid.

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet,

Strictumque Iustitiæ gladium præfert, qui tertius ab illo, inter Senatores. Venerabilis istorum aspectus ipsis meis comitib. fuit, & nouitate rei, & magnificentiâ cultus, & ipsâ maiestate iudicũ commotis. Mox tamen Phœbus, conspectis humi in medio maculis metallo fulgentibus, quæ nouo inuento hiberno tempore, fornacis vice funguntur; Eo tandẽ inquit ingeniis peruenietur, vt & ipsum è mũdo Solem excludãt Promethei isti, cum igne, luce, & colore pro libitu ludentes. Risit Iuppiter, & de solio consurgens; ILICET, dixit.

CAP. II.

Hostes iniquo tas belli vt damnet.

Vide Bedam, De ordine Planetarum.

DIffluente igitur ad hoc verbũ senatu, Solem, Lunam, Mercurium, Venerem, Martem, (quorum trium illum Hebraico idiomate *Cocaph*, illam *Nuga*, hunc *Madei*, sicut & Saturnum postea *Sabbai* appellauit, à quibus vicissim ille *Sedech* est salutatus) sic est affatus. Etsi regem me inter vos non ignoro, nequaquam arrogantiâ carere arbitror, solum velle regere, & consilia vobis mea occultare. Sapienter ille: *Multi*, ait, *dum se tam magnos, quàm audiunt, credunt, attraxêre superuacua & in discrimen rerum omnium peruentura bella.* Quod vel hac quoque tempestate fieri videtis. De quâ ipsâ consilia agitauimus. *Sunt enim & belli, sicut pacis, iura: iusteq́ ea non minus, quàm fortiter* debent geri. Nã *temerè in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est.* Vtriusque ergo bellantium partis caussas sub quæstionem misimus. Summa æquitas CAESARI BAVAROque, summa iniquitas aduersariis illorum. Nec enim par est *In armis ius ferre*; atque ex omni occasione quærere triumphum. Non omnia fortium virorum esse, vel ipsi fatebuntur, qui *libidinem dominandi, caussam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant.* Denique *nocendi cupiditas*, vt pius Hipponensium Antistes scripsit, *vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure cul-*

Senec. de Benef. 6. cap. 30.

Liu. lib. 5.

Cic. 1. de Offic.

Liu. lib. 5.

Sallust. Catil.

S. Aug. contra Faust. lib. 22. cap. 74.

culpantur. Iure igitur contra eos, qui belli exitum, non caussam quærunt, hanc Plato legem sanxit: *Si quis priuatim, sine publico scito, pacem bellumúe fecerit, capital esto*. Quid ergo de iis censendum, qui non solùm sine CAESARE, sed etiam contra Cæsarem arma habent?

Plato. lib. 12. de Leg.

CAP. III.

Multis titulis iustum faustũque esse Boij Ducis bellum.

QVàm longè aliter MAXIMILIANVS, cui CAESAR bella non solùm permisit, sed etiam commisit & mandauit. Vt iustum ergo esset eius bellum, iustum auctorem habuit. Sed & caussa illi iusta fuit. Nam *hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, vt omnem semper vim, quacumq; ope possent, à corpore, à capite, à vità suà propulsarent*. Quoniam autem *nullum bellum à ciuitate* aut Principe *optimo suscipitur, nisi aut pro Fide, aut pro salute*; primùm pro CAESARIS defensione manus cum hoste DVX BOIVS conseruit: deinde, velut crabronibus in se irritatis, vim à se suisque arcere coactus est, & libertatem, patriam, parentésq; armis tegere. Quia igitur, *fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit Infirmos, vel à latronibus socios, plena Iustitiâ est*: priusq; etiam PRINCIPIS clemens Iustitia misit *clarigatum, id est, res raptas clarè repetitum*, quid mirum si nõ solùm in Pragensi, Durlacensi, Halberstatensi, prælio innocentiam approbauit, sed etiã sæpiùs *hæc acies victũ factura nocen-*

Cic. pro Milon.

Idẽ 3. de Rep. quod etiã Arist. in Rhet. ad Alexand. docet.

S. Ambros. de offic.

Plin. lib. 22. Nat. hist. c. 2.

Lucan. 2.

centem est? quia plerumque *euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit.* Est enim hoc Caput Bonæ spei, quod ad triumphales illas terras ducit, & ad quod Poëtæ alludunt cum vnus ait,

Liu. lib. 21.

Lucan. lib. 7.

Caussa iubet superos melior sperare secundos:

alius autem: *Frangit & attollit vires in milite caussa:*

Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Propert. lib. 4. eleg. 6.

& exertè tertius: *Iniqua bellans bella, saluus haud redit.* nam etsi, cum superis aliud visum, nonnunquam victor redit, saluus tamen non redit. Tanta enim est æquitatis vis, *vt nec ii quidem, qui scelere ac maleficio pascuntur, possint sine vllâ particulâ Iustitiæ viuere.* Sunt quippe ius & æquitas vincula ciuitatum.

Euripid. Erecht.

Cic. 2. de offic.

CAP. IV.

Æquitatem Boicam tum ex hostium peruersa qua deguntur, tum ex ipsa quoque hostis persona cognosce.

SEd est & alius Iustitiæ titulus in hoc bello, quia pacis caussa geritur, & labor omnis spe otij sustentatur. Pax quæri non potest, nec à tam inquietis hostibus permittitur haberi, nisi cædes cæde & sanguis sanguine expietur. Religionis dissidio, &, quod peius est, pietatis colore semper colliduntur. Nec enim ipsi solùm male de Deo receptisq; sacris sentiunt, sed etiam alios ad sentiendum per turbas impellunt, vi impetraturi, quod veritate nō possunt. De his ergo dudum pronunciatum est: *Puniantur à te, ne tu pro illis puniaris. Melius enim est,* ait alter, *vt pereat vnus, quàm vt pereat vnitas.* Immo melius vt pereat & *Unio* & vnitas, vt maneat in Ger-

Cyprian. de vtil. Penit.

Germaniâ charitas. *Violatarum religionum alibi atque alibi diuersa pœna est, sed vbiq; aliqua*, ait Seneca. Et rectè. Nam *quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Itaque *vre, seca*, cum Cicerone loquor, *vt membrorum potiùs aliquod, quàm totum corpus intereat.* Totum enim profectò interiisset, nisi istorum consilia interiissent. Atque hanc, ô Cœlites, mihi rem etiam atque etiam perpendite. Ita Iustitiæ legibus auctoratus est MAXIMILIANVS, vt ne illi quidem, qui consanguinitate eum attingit, parcendum putaret. Itaque si quis vnquã exemplum petiit, præponentis publica priuatis, & Iustitiam sanguini, in MAXIMILIANO habet. Qui cum Fridericum non modò è Bohemiâ, sed etiam ex ipso Palatinatu suo fortiter repulerit, idem visus est facere quod Badius ciuis Campanus, qui in cõspectu duorum exercituum Quinto Crispino Romano, hospitium solenniter renũciauit, vt cum eo tanquam hoste congredi posset. Confractâ tamen hospitij tesserâ ille reditum parauit, quid mirum ergo si armis iustis excluditur, qui iniustis alium lacessiuit? Quare meritò MAXIMILIANVS eam vsurpare orationem potest, qua Ladislaus Rex ad bellum Prussicum proficiscens vsus est. *Cum primùm enim cum exercitu hostium fines attigit; expandit acies in longè patenti planicie: acceptumq; manu suâ vexillum maximum, suspirans & lachrymabundus ita fatur;*

Senec. de benef. lib. 3. c. 6.

L. 4. Cod. In-ston. de haret.

Cic. Phil. 8.

Liu. lib. 5. fecundi belli Punici. De hoc more & Cic. Verr 3. & Tacit. lib. 5.

Ex Cromerõ lib 6 & Heiburto lib. 15. cap 5.

Devs Optime Maxime, nō modò factorum aut dictorum; sed & cogitationum omnium cognitor: tu mihi testis es locupletissimus me inuitum cum Christianis qualib. qualibus, Christianis tamen, ad hoc bellum descendere maximis & intolerabilibus Crucigerorum iniuriis prouocatum, & officio meo adductum, vt populos abs te curæ & fidei meæ cōcreditos de rapacibus & cruentis eorum manibus, & infandis contumeliis vindicem. Tu nosti consilia pacis me nunquam defugisse: & vel iniquâ pace bellum iustum redimere cupiuisse: sed quando apud homines suæ cupiditati insatiabili, & irreligiosæ superbiæ modum nullum statuētes, mansuetudine & patientiâ nil proficio, tuæ iustitiæ fiduciâ iusta piaq; arma sumsi. tuisq; auspiciis vexillum hoc nunc explico. Tu quæso iustiori causæ faueto: & sanguinem Christianorum hominum, qui à Crucigeris trucidati sunt, quosq; hoc bellum vtrinq; absumet, ab illis, qui causam dederunt, expetito.

GLORIAE BELLICAE

LIBER XVII.

DE GLORIA A FELICITATE.

Capvt I.
E cælo Iouis abeunt, & noui vel noue vesti Iouis satellites.



Ici non poteſt quàm auidis aurib. ego quoque poſt terga Deorum aſsiſtens hos tales Iouis ſermones arripuerim. Et plura non ſolùm

ſolùm de Iuſtitiâ Electoris, ſed etiam de Iuſtitiæ meritis præmiiſque diſputaturus erat, nec quidquam eorum, quæ in diphtherâ continebãtur, celatur⁹: cùm importuniſsimo tumultu Pegaſus me⁹ ante limẽ Curiæ deligat⁹, & Lunę biiugi, quadriiugiq; Solis, ac Getici illi Martis maximeq; Iouis caballi, ęmulatione quadã virtutis extimulati hinniente morſu calcibuſq; excuſsiſsimis inter ſe ſeuire cœperunt. Nec niſi Deorum concurſu manuq; à mutuis vulneribus diuelli potuêre. Vix datum eſt Ioui ſpacium tantæ moræ, vt ſimulachrum ſuũ, quod ſupra inter donaria miſſum memoraui, curru aptaret. Tanta cupido fuit ludos celebrandi, & equos ipſo itineris labore domandi. *Vide ſuprà lib.1.cap.33.*

Obſeruaui in regreſſu *quatuor ſtipatores* aut *ſatellites Iouis*: minutum quoddam genus ſtellarum, nec cuique oculo aſpectabile. Interrogaui, cur tam exiguæ ſtaturæ eſſent: Reſponderunt ſe nondum adoleuiſſe, ſed à paucis annis vitam ducere, id eſt, tubi optici beneficio videri cœpiſſe. Illius ſe vitro gloriam ſuam omnem debere; & alia quoq; etiamnum minorum gentium ſidera eidem vitro vota ſuſpendere, vt & ipſa etiam apud mortales innoteſcant. Hi ergo quatuor ſatellites Iouem ceteroſque cæli flores ad triumphum Maximiliani properare cernentes, ſic cecinerunt.

Omnibus ad Pompam si sic concurritur Astris,
Quàm fuerit nostras turpe deesse faces?
Non ita, sed festos & nos animabimus ignes,
Crescet & à nostro Pompa Satellitio.
Qui virtute suâ, titulisq; SERENVS auitis,
Quod nos non dabimus, forsitan ipse dabit.

CAP. II.

Terra Bauarica felicitas.

DAbit sanè inquam, nam postquam eum cœlo virtus inseruit, cœlum ipsum beauit, in quod Saturnia illa regna cum illo in terris reuiuiscentia transcribuntur. Et quanquam fortunæ constanter propitiæ exempla admodũ pauca narrari possunt, potest tamen illa, in prouehendo MAXIMILIANI nomine malignitatis oblita videri, ac si non solùm plurima maximáque, sed etiam perpetua bona cõgerere velit.

Plura de Bauaria fertilitate en Auentino Munstero, & Io. Tubano Bohemo Abrahamus Ortelius in Bauariâ suâ Theatri orbis terrar.

Omnia hæc pluraque nobis per Saturni regnũ trãseuntib. sunt ostensa, sub quo ipso olim rege aurea fuisse secula scribuntur. In primâ ad regiam eius viâ Falx Saturni sublimis in columnâ pependit, quæ in Siciliam, horreum illud Romanorum cecidisse de cœlo fertur; vbi terra vomeris atque aratri expers sponte suâ fruges peperit. Carmen sub falcem, transeuntes Musæ istud fixerunt,

Ista per errorem Siculos, Saturne, petiuit;
Rectiùs in BOICOS falx cecidisset agros.

Illa enim tellus frumenti vsque adeò est ferax, vt nõ suos

ſuos tantùm inquilinos alat, ſed exteris etiam hominibus panem ab eâ flagitantib. alimenta ſuppeditet.

NEc tellus tantùm felix, ipſe quoque telluris DOMINVS, ferè tot fructus Germaniæ peperit, quot ipſa tellus ſpicas, aut grana ſpicarum. Eo enim eſt aſtro, vt *ei ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, diuinitùs adiuncta Fortuna videatur*. Itaque columna quoque altera per interuallum ſtabat, quæ manu ad Saturni regiam, velut viam monſtrante, eum ex Horatio verſum inculcabat,

CAP. III. *Ducis Bauarici felicitas.*

Cic. pro leg. Manil.

NIL DESPERANDVM BOIO DVCE, ET AVSPICE BOIO.

Horat. lib. 1. od. 7. de Teucro vel duce.

Tertia dehinc columna Victoriolam iſtã, in prorâ currus iſtius nunc, ſicut in columnâ priùs, vno pede ſtantem obtulit. Titulus illi ex Plauto fuit:

VT QVISQVE FORTVNA VTITVR, ITA PRAECELLET,
ATQVE EXINDE SAPERE EVM OMNES DICIMVS.

Plautus in Pſeud.

Neque Pompeiano elogio, *maiore fortunâ, quàm ſapientiâ* fuit MAXIMILIANVS ELECTOR, cum enim Tacito teſte *rebus ſecundis etiã egregij duces inſoleſcant*, ELECTOR tamen noſter neque poſt tot quidem victorias, triumphare voluit, cum tamen hoſtes illius, antequã vincerent, & cum ne victuri quidem eſſent, triumphum ceciniſſent. Satis nimirùm in militib. ſuis triumphat, qui perpetuis animati victoriis, non ſolùm armis, ſed etiã ipſo nomine BAVARICO pugnant

Salluſt. ad Cæſar.

& superant. A quâ laude non multum abfuit & quartæ, quę nobis occurrit, columnę inscriptio talis. MITHRIDATES TRIBVS INGENTIBVS BELLIS SVBACTVS, FELICITATE SVLLAE, VIRTVTE LVCVLLI, MAGNITVDINE POMPEII CONSVMENDVS FVIT; PLVRIBVS HOSTIBVS DOMANDIS VNVS MAXIMILIANVS SVFFECIT. Et quidem ita sufficit, vt cum Victoriæ aliis interruptæ, illius tot iam annis fuerint continuatæ. Itaque sicut sæpe vincere virtutis est: ita nunquam vinci, non nisi immensæ felicitatis. Et quidem nec inter tot discrimina vinci.

CAP. IV. *An felicibus nihil aduersi in bello accedat?*

VInci aio; nam vinci non arbitror eum, qui suũ quoque Marti aut Morti tributum persoluit. Quis enim speret, se totos exercitus deleturũ, & in suo exercitu, ne militem quidẽ delendum? ac si nõ & hostib. tela essent lædentia? *Hæc planè Deus vnus & verus regit & gubernat, vt placet. Etsi occultis causis, nunquid iniustis? Sic tempora ipsa bellorum, sicut in eius arbitrio est, iustoq. iudicio & misericordia vel atterere, vel consolari genus humanum, vt alia citius alia tardius finiantur.* Quid quod Vegetius ait: *Euentus omnium* (aut certe plurium) *præliorum, inter initia contra illos magis fuit, quibus victoria debebatur.* Satis id in Pragensi certamine apparuit, in cuius initio quidam inclinabāt; nisi Craziani, immo Boii occurrissent. Et similis ante illustrissimam Durlacensem

S. Aug. 5. de ciuit. cap. 21. & 22.

Veget. lib. 3. cap. 25.

ſem Victoriam, prælibatio ſanguinis præceſsit. *Nempe ſatis citò incipis victoriam, vbi prouiſum fuerit, ne vincare.* Et ſacræ id paginæ præmonuerunt. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur.* Sic diſcimus Victoriam in manu Dei eſſe, non in noſtrâ, niſi & Deum in noſtrâ manu habeamus: cum quo res nulla poteſt infeliciter geri. Neq; enim felicem voco, qui ab infortunio non vrgetur, ſed qui non vincitur.

Tacit. 2. hiſt.

Prouerb. 18. 12.

CAP. V.

An pericula nõ ſinant eſſe felicem?

QVare in quartâ columnâ veræ felicitatis imago Horatius Cocles ſtabat, *qui*, vt Valerius ſcribit, *Etruſcis in vrbem ponte Sublicio irrumpentibus extremam eius partem occupauit: totumq; hoſtium agmen, donec poſt tergum ſuum pons abrumperetur, infatigabili pugnâ ſuſtinuit. Atque, vt patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus ſe in Tyberim miſit: cuius fortitudinem dij immortales admirati, incolumitatem ſinceram ei præſtiterunt. Nam neque altitudine deiectus, quaſſatuſue, neque pondere armorum preſſus, nec vllo vorticis circuitu actus; nec telis quidem, quæ vndiq; congerebãtur, læſus, tutum natandi euentum habuit. Vnus itaq; tot ciuiũ, tot hoſtium in ſe oculos conuertit, ſtupentes illos admiratione, hos inter lætitiam & metum hæſitantes: vnuſque duos acerrimâ pugnâ conſertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando diſtraxit. Deniq; vnus Vrbi noſtræ tantum ſcuto ſuo, quantum Tyberis alueo, munimenti*

Val. Max. lib. 3. c. 1. Liu. 2. Dionyſ. 5.

menti attulit: Quapropter discedentes Etrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus, tanto feliciore, quanto è pluribus periculis ad portum incolumitatis euasit. Victor enim non est, qui nihil vicit. Ergo Victor est tanto maior, qui plura maioraque vicit. Quare prudenter Prudentius,

CAP. VI. *Quomodo Victoria comparanda? Prud. 2. contra Symmachum.*

—Scimus quàm sit Victoria dulcis
Fortibus, Ausoniæ vir facūdissime linguæ:
Sed quibus illa modis, quâ sit ratione vocanda
Nouimus; hac primùm pueros pater imbuit arte,
Hanc genitore suo didicit puer ipse magistro:
Non aris, non farre molæ Victoria felix
Exorata venit, labor impiger, aspera virtus,
Vis animi excellens, ardor, violentia dura
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamuis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis surgat formata talentis,
Non aderit, versisq; offensa videbitur hastis.
Quid miles, propriis diffisus viribus, optas
Irrita femineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua dextra cuiq; est,
Et DEVS omnipotens; non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioq; recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas;

quæ

quæ reti vrbes capiat, & dormientibus omnia cõficiat, in ſinum eorum è cælo deuolans: ſed virtute paranda eſt. Vnuſquiſque enim ſuæ ipſe ſibi fortunæ faber eſt.

CAP. VII.

Quis verè Christianeq; felix.

S. Aug. 5. de Ciuit. Dei, cap. 24.

QVare ad quintam columnam accedentes, ipſam ibi virtutem vidimus, & ſtatuarij cælo, & S. Auguſtini calamo ſic expreſſam. *Neque nos Christianos quoſdam Imperatores*, & principes, *ideò felices dicimus quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel hoſtes reip. domuerunt, vel inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum* DEI, *quò pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordiâ factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus, ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium nõ extollunt, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnũ, vbi non timent habere conſortes: ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæque reip. non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquita-*

tis; sed ad spem correctionis indulgent: si quod aperte coguntur plerumque decernere; misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto potest esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse felices: interim spe, postea reipsâ futuros, cùm id quod expectamus aduenerit. Vtrum Bauariæ Dvci Victoria felicitasque hoc pacto sit parta, non est necesse disputare. Nouit id, quisquis eum nouit.

CAP. VIII. *Felicitas pro Ecclesiâ pugnantium.*

IPsius tamen Victoriæ felicitas multùm etiam à Victoris religione, hostiumque impietate pependit. Quocirca in sextâ columnâ notabantur Christianorum secundi in bello successus. Plerumque enim, immo ferè semper, qui Numinis caussam Ecclesiamque defenderunt, Victores fuêre. (*Supra lib. 8. cap. 9.*) Itaque præter eos, quos supra recensui, etiam Theodosius senior annotabatur; quẽ memorant, (*S. Aug lib. 5. de ciuit. c. 26. & Theodoret. lib. 5. hist. c. 24.*) quòd verè pius & Catholicus fuisset, adeò prosperè omnia in bello gessisse, vt in ipso præliorum ardore, hostium tela in ipsos auctores retorquerentur. ipsique Io. & Philippus Apostoli in equis albis,

pro

pro imperatore pugnãtes apparerent. Annotabatur & Theodosius iunior, qui cum, exercitu suo pugnante, in vrbe interim precibus vacaret, id impetrauit, vt circiter centum millia Saracenorum ab angelis acta in Euphratem, tanquam in Moldauam aliquem, miserrimè perirent. Annotabatur & Iustinianus senior, qui quãdiu Catholicus fuit, felicissimè imperauit, ita vt Italiam, Africam, aliásque multas prouincias, Romano imperio restituerit. At vbi hæresi contaminatus est, edictumq; de suâ hæresi recipiendâ proponere voluit, repentinâ morte extinctus est, Ecclesiamq; magno metu liberauit. Annotabatur in ead. columnâ etiam Heraclius, qui Catholicus, cum res Romanę omnino desperatæ esse viderentur, vnà & crucem Christi & præclarissimam de Persis victoriam reportauit: postea in Monothelitarum hæresin lapsus, vbique infelicissimus fuit, tandemqúe & nouo & inaudito morbi genere è vitâ eiectus est. Annotabantur quoq; Imperatores Orientis & Occidentis, qui semper, vt magis vel minùs Romanæ Ecclesiæ addicti fuerunt, ita magis vel minùs & ipsi floruerũt. Et Orientis quidem imperatores, ab eo tempore, quo per dissidiũ circa imagines, se ab Ecclesiâ Romanâ separauerunt, semper in dies attriti sunt magis, donec tandem imperium penitùs amiserunt. Annotabatur denique vel ipso meridie clarior feli-

Socrat. lib. 7. hist. cap. 18.

Euagrius lib. 4. hist. cap. 10. & vlt.

Zonaras de Heracl.

Vide Paulum Aemiliũ lib. 4. Guliel. Tyrium lib. 6. prope finem, & Dodechinum Mariani Scoti continuatorem. Ita Bell. tom. 2. lib. 4. cap. 18. de notis Ecclesiæ. Plura Petr. Ribadeneira in Principe Christiano li. 1. c. XI & XVI.

licitas illa ob religionem concessa. Nam *Tempore Vrbani II. ad annum Domini M. XCVIII. Christiani in bello sacro à Papa indicto pro recuperatione Hierosolymæ, cùm essent Antiochiæ in summâ desperatione, eò quòd propè adesset infinitus exercitus Turcarum & Persarum, & ipsi pauci essent & diuturnâ famè propè enecti, ita vt etiam viri fortissimi baculis innixi incederent, nec equos haberent, nisi paucissimos, ita vt præcipuus Princeps Godefredus equo commodato vteretur, & multi Principes in asinis equitare cogerentur. Tandem Deus reuelauit, vbi esset sacra lancea, & eâ prælatâ, in bello victoriam dedit, ita vt occiderint centum millia Turcarum, & ex ipsis vix quatuor millia ceciderint: Cecidit etiam ros diuinitùs in illos, qui animis & corporibus vires addidit: Denique apparuerunt tres viri sancti pro illis de cœlo pugnantes.* Denique præter innumera alia, etiam illud annotabatur Prædicantis gloriosi dictum: qui cum suarum partium copias, apparatum, & opem iactanter sanè explicauisset, ita sermonem conclusit. *Itaq; Catholici (præcipueq; BAVARVS) neminem ampliùs habent, qui eis succurrat, nisi Deum.* Ita & Caiphas & Saul inter Prophetas fuit. Agnoscimus enim dictum, dictique veritatem, sed Deum sufficere nobis arbitramur; cum illo, qui dixit: *Hi in curribus & hi in equis, nos autẽ in nomine Dei nostri inuocabimus.* Quod quia BAVARVS fecit, meritò dicit. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Bonus enim est cly-

Vide Th. Bozij lib. 12. de signis Ecclesi. Dei, cap. 10. & 11. Vbi plura factum bellorũ felicium vel infelicium ob religionẽ exempla refert.

Psalm. 19. 8.

clypeus manus Domini protegentis. Et quamuis dubius semper belli euentus, plus tamen ei promittit, cui ob suam pietatem caussęque æquitatem, etiam priùs plus dedit.

Quocirca in vltimâ columnarum (neq; enim ad ipsam regiam felicitatis peruenimus, sed quæ eò via duntaxat duceret vidimus) illud Laconicum bono Bauarici exercitus omine reperimus, quod Agis *cum Argiui acceptâ clade ferociùs ei occurrerent, videretq́ sociorum plerosq́ turbari, dixit: Bono este animo viri; vbi enim nos, qui vicimus, formido incessit, quid putatis animi esse iis, qui à vobis fuerunt superati?* Ad hanc columnam ipse nobis Saturnus occurrit, neque ad regiam suam vlteriùs nos progredi permisit, credo regno suo denuo metuens; aut felicitatē noui ELECTORIS nondum omnem mortalibus propalari cupiens. Itaque rectis propemodum lineis sursum iuimus, immensoq; itinere emenso ad stellata mœnia peruenimus.

Plutarch. in Apophtheg. Lacon.

GLORIAE BELLICAE
LIBER XVIII.
DE GLORIA AB HEROIBVS ET HEROIDIBVS CETERISQVE CÆLI SIGNIS.

CAPVT I.

Poëta cū magnifico Deorū comitatu in cælū ingress°.



Ix cardo increpuit; cœlumq́ adamante soluto
Hiscit, & in geminum discedunt ostia cornu:

Cum mecum reliquos subitis amplectitur alis
Porta Deos, portæq́ locum densa agmina claudunt.
Primus iter, nitidasq́ arces, pennâ auspice monstrat
Mercurius, pedibusq́ pedes regit vnicus omnes:
Fert Aquila inde Iouem; verùm quia numina in vno
Omnia, & imposito summum, summamq́ Deorum
Portabat Ioue; tanto oneri subiisse doleret,
Sponte suâ pondus, pondus nisi falleret ipsum.
Siderei hinc comites gemini, totidem inde (pusilla
Appendix) equitant. Iouis hos primùm Aula leuarat
Nascentes, interq́ suas adolescere flammas
Iusserat. Astronomum fama est peperisse, feraci
Dum cælum ille TVBO felix terebrauit Aruspex,
Et longo maculosum oculo temerauit Olympum.
Laurigeris subit albus Equis, similisq́ Togato
MAXMILIANE tibi posuit sua nubila Mauors,
Insolitam fronti subrepere passus oliuam.
Inde Dionæos currus via sentit, & ista
Sarcina sexcentos sese, cupit, vrgeat annos;
Namq́ superfuso passim velatur odore;
Inde Rosæ pulchro imbre cadunt; hinc Lilia ningunt;
Crebra volat spicis benè lota Columba Cilissis.
Quaq́ iter humectat bibulum pluuia aurea cælum,
Improbus & passer lassus mera balsama sudat.
Pompa est plena Iocis; pictusq́ labella corallis

Risus

Risus, adestq; Lepos, planaq; Lubentia fronte.
LVCIFERAM Venerem, crinali fulgidus auro
Sol sequitur, dubiamq; diem pleno expedit astro;
Interea Cygnis in laudem PRINCIPIS Odam
Dictat, & argutis Coruos applaudere pennis
Condocet; idq; hodie, ne CRAS applaudere tentent.
Ponè subit geminis argentea Luna Iuuencis,
Et lentas in vota boues, verso increpat arcu.
Deniq; Saturnum, qui barbâ impleuerat albâ
Lecticam, timeant Sanctium quasi frangere signum,
Aurea, vi magnâ, pedetentim secula vectant.
Iam globus emicuit, supremum emersus in orbem,
Quamq; affert, totum fama erigit hospite cœlum;
Pulchrior & cupidas, vt nuncius impleat aures,
Mecum Mercurius celeri testudine; Cornu
Luna; Venus liquidâ canit haud mala psaltria voce;
Marsq; tubam, Phœbusq; lyram mouet, & cauâ pellit
Cymbala Saturnus; tota at symphonia nutu
Libratur Iouis, & numeris hæc verba ministrat.
Terra nouo nostras augebit sidere stellas,
Terra decore nouo nostrum ditabit olympum.
Iam videt Herculeos admiraturq; lacertos.
Iam septem geminas succumbere conspicit hydras.
Boiariæ Ductor ter Maximus Æmilianus,
Vos astro meliore; suo vos lumine vincet.
Vix cecinêre, nouis trepidans clamoribus æther,

Monit

Mouit in æternum concordia ſidera plauſum;
Omnia ſubſultant, verùm ſuper omnia tollit
Se Leo, & aſtrigerâ totum ceruice coronat
Cœlum; Boiaricæ cognata inſignia gentis
Fulta decore nouo florere immanè triumphat.
Non melior Bauaris fuit vnquam Muſica, quàm cùm
Rugiit iſte Leo; cum claruit iſte triumphus.

CAP. II. *Deorū ſuper honorādo* VICTORE *Concilium.*

CONſedêre in ſuo ordine omnes, ego maieſtate tanti Senatus, ipſiuſque loci, attonitus & nouitate rei extra me poſitus, poſt vltimos laterè contentus, tot mihi oculos optabam, quot ſtellàs videram.

Silentium ergo cum Iuppiter imperaſſet, Mercurium ſuas vices agere iuſsit. Qui è coronâ procerum conſurgens, in talem modum orſus eſt dicere.

Vtinam, Patres conſcripti, eiuſcemodi ſemper ad dicendum ſeſe nobis cauſſæ offerrent, vt de triumpho deliberandum eſſet; nihil profectò aut mihi ad diſputandum facilius, aut vobis ad audiendū iucundius accidere poſſet. Agitur enim de illâ re, quæ beneuolentiam, etiam cùm non petit, ſuâ tamen naturâ facit: & antequam ſuadeatur, iam ſolet approbari. Etenim hoc vnum eſt, quod nos in Deorum numero ponit, vt & dignis honores conferre,

ferre,& æuum degere cum voluptate velimus. Neque prolixâ narratione eget, quem dignum arbitremur. BAVARVM cùm nominaui, omnia dixi. Ita hanc inclitam domum tum aliàs, tum verò maximè isthoc tempore benè de Superis pariter atque terris meritã meministis, vt cum nomine eius virtutes omnes pronunciari existimetis. Iniuriam ergo vobis fecero, si de familiæ istius, vel MAXIMILIANI laudib. memores cõmonuero. Illud nobis etiam atque etiam dispiciendũ est, vt quando quisq; in suâ priuatim vel domo, vel regno tantæ virtutis miraculo applausit, in publico isto theatro ad quod Iouis iussu imperioq; confluximus, nõ minùs facere videamur. Neq; enim parua nostri nominis nota erit, in publicâ istâ gratulatione atque lætitiâ, honorum parcos posse appellari. Non decet nos, Patres conscripti, non decet plus accipere, quàm dare; & immortales à mortalibus benefaciendo superari. Quid autem ego multis contendam? cùm vos ipsos iuxta mecum sentire, & ad omnia Iouis desideria paratos esse non ignorem? Id enim cuius gratiâ frequentes huc conuenistis, peto. Vobismet ipsis igitur, quemadmodum satisfaciatis, & quæ ad communem omnium dignitatem vtilitatemque pertineant, deliberate. & quidem ita, vt in ornamentis conferẽdis plus semper in auctorem, quàm clientem redundare persuasum habeatis.

CAP. III. *Luna Solisq; in nouum Electorem obsequia.*

VAriè primùm auditâ hac oratione, partes fuêre, dumq; tibi, ô PRINCEPS studuerunt omnes, ferè nemo in suffragia communia consensit.

Luna suam sobolem, tua sub certamina mittit,
Certet vt inde tuum Mensis in officium.
Martius arma parat, Maius dare serta; tibiq;
Vult pluuius gemmeis, ire December aquis.
Ebrius eximias October prænotat vuas,
Quas doceat Domini crescere velle siti.
Iulius in tua deuotas coquet horrea messes;
Hic ipse AVGVSTVM te velit esse suum.
Elysia arua suo tibi nomine pandet Aprilis,
Et claudet Ianus nomine bella suo.
Sed solúsne NOVEMBER iners? Malè, parcite di-
Victorem fecit, plus dare non potuit. (xi:

Phœbus intellecto Lunæ in Mensibus dicandis consilio, etsi id munus ad se quoque pertinere duceret, vt tamen dono peculiari, nouum ELECTOREM bearet:

Viue, PATER, dixit, semper felicibus HORIS,
Sitq; à me munus, NOXq; DIESq; tuum.
Et nisi sufficiunt HORAE, NOCTESq;, DIESq;,
Ecce etiam totus, iam tuus ANNVS erit.
VER tibi florebit, Zephyros tibi proferet ÆSTAS,
AVTVMNVS fructum, frigora gignet HYEMS.
Frigora sed sacrum nolint quæ lædere corpus,
Quæq; velint æstus mitificare tuos.

At

At quid nostra Dvci, vanũ fero Tempora donũ?
Iam nouus hic Annos Sol aget ipse suos.

CAP. IV. *Saturni Cygniq́; cœlestis sententia, de quiete Principi tandem relinquendâ.*

MVnera hæc, vt locupletaret, & linum, quod dicitur, vt lino necteret, etiam de suo aliquid adiecit ærario vetulus ille Temporum Dominus, qui Electorem his allocutus est verbis.

Plurima Saturnus tibi, Princeps, secula donat;
Hæc magis vt placeant, Avrea, tu facies.

Vidi certatim alios quoque Cœli incolas Liberalitatem, velut mancupio poscere, laborareque, vt diuitias ambabus manibus, non efficerent, sed profunderent; & potiùs promi, quàm condi essent. Cygnus post tot exantlatos labores, quietem Electori nouo optans & quærens, sic cecinit.

Hinc procul horrentes culmus remouebit aceruos;
Hispida ne innocuum pungat arista latus.
Non hîc agna suas deponet prodiga lanas;
Lana nimis dura est, mollior esto torus.
Non hîc coccineam iaculentur stragula flammam;
Heu nimiùm multis dura fit ista viris.
Ipsaq́; si vellent fieri strata aurea cœli,
Dura nimis tanto sunt asarota Dvci.
Floribus instratos si mitteret Attica lectos,
Si Pæstumq́; suas, si daret Hybla rosas;
Picta leuem possent turbare cubilia somnum,
Tuta nec in mediis poneret ossa rosis.

Deniq; si quidquid de floribus extat in hortis
Molle, meo faciat molle cubile DVCI:
Ille tamen rigido versabit membra grabato;
Magna vnum haud intrat Cura quieteq; locum.
Hoc terræ ingenium est; decernere nouit honores;
Sed quos cura tamen non sinit esse meros.
Ergo quies Superis illi nascatur ab astris:
Ex hac sede potest esse quietus honos.
Sic vibrissantes submittat Apollo capillos;
Substernatq; suam Iuppiter ipse manum.
Blandus olorinis somnus se immisceat alis,
Et quæ vel Superis sit cupienda quies.
Nec mora. certatur. vult mittere Apollo capillos;
Subiicere & propriam Iuppiter ipse manum.
Atq; meas, CYGNI, DVX, accipe candide plumas,
Mollior à spoliis, sit tua sponda meis.
Cum mihi sint nigri, niuei tibi membra coloris,
Conuenient lectis aptiùs ista tuis.
Nunc igitur securus eris; DVX magne, quietem
Concessam cœlo frangere terra nequit.

Approbauit Ianus Cygni cantum hoc suffragio.

Cygne soporiferis, volucrum ditißime plumis,
Quàm benè sidereas proiicis exuuias?
Nemo suas poterat meliùs profundere vestes,
Nulla manus tantà prodiga laude fuit.
Aurea ni pridem tibi Iuppiter astra dedisset:
Vel iam post isthæc dona, daturus erat.

Sed

CAP. V. *Varia victoribus ab Agonotheta præmia proponuntur.*

SEd quid agimus? inquit Iuppiter, inter tot cōsilia, nulli adhuc consultum animaduerto: Et dum omnia volumus, nihil facimus. Quin Ludos celebramus? Contollunt vnam vocem omnes, HOC AGAMVS. Quod igitur feliciter cedat, inquit Iuppiter, Vos ludos quisque suos procurate; egò atque Astræa, (neque enim quinque iudicibus egemus,) præmia ne desint, prouidebimus. Primus è Victoribus hāc Ariadnæ CORONAM, quæ septentrionem spectat: Secundus illud alterum SERTVM, quod ab Austro est conspicuum; tertius auream hanc, aut vnam de laureis istis roseisue coronis referet: proximus dehinc CRATÉRA illum fulgentem; & qui post istum prior erit, insigne isthoc IACVLVM: alij alia honorum ornamenta, pro meritis reportabūt. Postremus nasturtio donabitur, quod edat; vel, si hoc non sapiat, multa, vt aiunt, erunt Syrorum olera. Quod si & multi postremi erunt, eodem omnes bibent poculo.

CAP. VI. *Festiua cælestium chorea.*

COnfestim Apollo cum Musis, ceterisque Heroidibus Symphoniæ choreisque præficitur, vt voce canorâ ad citharam, aliaque auribus blandientia instrumenta cantantes personent; ludo sic concinnato, vt citharæ fides impellat Callíopē, Thalia tibias inflet; Euterpe Barbiton tangat; Vrania ad Arcadicam fistulam dicat; Erato Bere-

cynthiâ buxo modos incinat; Clio Dirceas chordas animet; Melpomene facundum ebur quatiat; chely ludat Polyphymnia: denique Therpsichore sistrum pulset.

His omnibus sonoribus, in discordem concordiam summâ arte compositis, spectasses mirificos Charitum, Horarum, Musarum, ceterarúmque Dearum ac numinum choros. Processerat inde quidem nouenarius; illic verò ternarius duodenarius Virginum globus: quarum illæ venustissimam pedum solertiam ad ingenuas choreas, ac simul inauditæ Musicæ suauitates, ad præcinenda carmina conducebant: istæ autem meliusculâ facie, quanquam auerso vnius vultu, lentissimis nexæ brachiis, manibúsq; implexis ipso in se redeũtes choro, in numerum mouebantur.

Saltantes variis dum versibus æthera pingunt,
Et virgo it Lyricis obsequiosa modis:
Dum pedibus subit vnius trepidatio docta,
Aëreumq; Noto pendula librat iter:
Pes meus in saltum felix, ait, illa sororum;
Altiùs haud dociles extulit vlla pedes.
Sed tandem tibi, DVX, *cedo: vix Victor es; vno*
Cum saltu in cunctas it tua fama plagas.

Floralium turpitudinẽ exagitat S. Aug. de consensu Euangel. lib. 1. cap. 37. & li. 4.

Aliundè verò quà se se Horæ inferebant, nouis pauimentum Narcissis, Hyacinthis, violísque depictum castiùs ridebat quàm Florales scenæ, preciosiùs

ciosiùs renidebat, quàm, cum Heliogabalus inuitatis ad prandium summis viris ; croco mensam sterneret, diceretque se fœnum pro eorum dignitate exhibere, floribúsque triclinia, lectos, & porticus impleret calcandis. Sequebatur Gratias Eurynome; Musas autem Mnemosyne: Andromedam Cassiope, agilium Nympharum magnæ parentes, quæ & ipsæ se ad pompam expinxerant, & ornauerant. Agmen (in quo plures, quàm ter nouenæ viragines in Iouis Statoris æde Liuianum carmen discentes) claudebat Cupidinis mater, & ipsa saltans, ac Hebe quoque Ioco, Risu, Lepôre, Suadâ, Voluptate comitata, (Metu, Curis, Doloribúsque procul stantibus) doctos ad Musicam gressus numerabat. Vtq; ipsum ludi locum & orchestram ludere videas:

de ciuit. cap. 8. Minutius in Octauio. Tatianus aduersus Gentes. Lactant lib. 1. cap. 20.

De ludorum locis, Vide Tertull lib de spectac. Isidor. lib. 18 Etymol. cap. 28.

Aspice lenitum iam pœnè liquescere cœlum,
Astraq; percepto, mitescere cerea cantu.
Iam trepidos portare pedes, vix posse Dearum,
Incipit ipse Polus: iam mollior illa recedit
Sub pede, formidatq; premi pars maior Olympi.

Fastidijssent non solùm ludiones ex Hetruriâ accitos ad tibicinum modos saltantes, sed etiam Orpheas artes saxa, & Arionis voces æquora, si hîc ad miraculum vsque, eleganter & suauiter canẽtes audijssent Deas. Et Aglaia quidem, Euphrosyne, Thaliaque, vt dixi, amicâ consertarum manuum

Liuius lib. 7. dec. 6.

nuum concordiâ inter ſe conuinculatæ, ducebant choreas: Terpſichore autem, quæ Siſtri vice TRIANGVLVM cœleſte, quod DELTOTON, ſeu TRIGONVM alij vocant, feſtiuè arripuerat, atque annulis per ferream inſtrumenti lineam tigilli pulſu concinnè ſaltantibus, iſta ſubiunxit, vel Megalenſes ſcenicos in ruborem datura.

De Megalenſium ludorum cantu S. Aug. lib. 2 de ciuit. cap. 4.

CAP. VII. *Muſarum cantus, & varia Dearum præmia.*

FAc age, quanquam iſtos non natū ſidus in vſus,
Fac age, vocali conſertos ordine circos
Indue, nec duro pudeat præbere bacillo
Pulſandum latus: augebunt hi ſidera quondam
Annuli, & in ſtellam ſurget quandoque bacillus
Informis, tantum eſt BOICO *placuiſſe* LEONI.
At vos tinnitu crepero qui luditis orbes,
Currite per crotalum ſalientes, currite fratres.
Angulus iſte triplex, triplici tua ſidera limbo,
Et triplex latus eſt. Numero Deus impare gaudet.
Currite per crotalum ſalientes, currite fratres.
Currite per crotalum; non indignabitur Iſis
Siſtra ſuis addicta ſacris, cœleſte Triquetrum
Cognato retuliſſe ſono: quin ipſa reperto
Ductore hoc nullum iam quærere curet Oſirim.
Currite per crotalum ſalientes, currite fratres.
Sic olim abſtruſum, cæcis ſub montibus Idæ
Curetes cinxère Iouem dum cymbala plauſu
Increpitant, crudiq; patris clangoribus aures

Obtun-

Obtundunt. At enim nil quidquam maximus heros,
Quod formidet, habet; sed si modò riserit, istis
Tantum addet numeris, quantum si Thracius Orpheus
Adiuuet in syluis Dryadas; nisi riserit, addet,
Quantum cantantes inter Sirenas Arion.
Omnia enim tanti commendat gratia vultus,
Seu laxet curis animum, seu seria tractet.
Currite per crotalum salientes, currite fratres.
Iam duo, qui Boium seruant insigne LEONES,
Lætiùs infrendent, & apertiùs ire comantes
Hortantur per colla iubas, dum crescere cernunt
Firmamenta sui, tanto molimine scuti.
Currite per crotalum salientes, currite fratres.
Non aliter solium, quam qui Salomonis vtrinque
Circum se gemini quondam fudère Leones,
Squalentesq; auro, & gemmis vægrandibus artus
Distincti gentem despectauère minorem,
Bissenos animare gradus, iamq; æmula sensim
Robora, iam similes paulatim attollere passus:
Sic PATER & FRATRES venerandi ingentia Recti
Nomina, flauentes videant assurgere stirpes;
Obseptas crates, generosi pectoris arte
Atque sagi, atq; togæ, & tacito mirentur amore
Grassari, & pulchram tua per vestigia laudem.
Sistite iam crotalo salientes, sistite fratres.

Numeros hos pedum vocúmque, acclamatio excepit,

cepit. Tum sua cuique laus & corona est attributa. Musæ de cantu primæ coronatæ sunt: nam eis, quòd bellissimè cecinissent, Iuppiter *Ariadnæ coronam*, sertaque laurea imposuit. Gratiæ, quòd scitissimè desaltassent, cæterasque gestuum varietate, & membrorum positurâ superassent, *Australi serto* rosarumque diademate sunt honestatæ. Deinceps Horæ ad Venerem progressæ, aureum iterum, vt olim apud Euripidem, coronam illi detulerunt, quòd nullius è saltantibus momenta cantui decentiùs respondissent: nunc ἐυςέφανον, Homeri verbo, nunc χρυσοςέφανον, Euripidis suffragio vocitantes: quanquam Charites & ipsæ aliquam illi victoriæ partem concedentes, myrto cæsariem eius cinxerunt. Sed & Horis suum decus fuit, quòd in florũ iaculatione excelluissent. Quare Astræa eas capite florigero esse iussit: quæ proinde ἀνθηφόροι sunt appellatæ.

CAP. VIII. *Venatio cælestis.*

SIc Musas, Horas, Gratiasq; coronis & præmiis adlubentes vidit Diana, & inuidit. Ad fratrem ergo non totis oculis vsa, talem orationem commentata est. Nempe idcirco mihi hodie nullum sperare licet ornamentum, quia canere aut neruos in sonum stringere nescio? At venatrix sum. & etiam hîc apud Superos venatores, canes, feræ, & vena-

De Leonibus quoq; & Pantheris in Amphitheatrum ad venationẽ adduci solitis. Plin. hist. nat. lib. 8. c. 16. & 17. Vbi ait leonum plurium pugnãm principẽ Romæ dedisse Q. Scæuolam P. filiũ in Curuli Aedilitate. Centum autẽ iubatorũ primum omniũ L. Syllã: post eum Pompeiũ Magnũ in Circo DC. in iis iubatorũ CCCXV. Cæsarẽ Dictatorẽ DCCCC. Pãtheras varias primum dedisse Scaurum CL. dein Pompeium Magnum CCCC.X. Augustum CCCCXX.

venationis suppellex. quid enim *sagitta* tot annos ociatur? quid arcus cessat? cur *Sagittarius*, cur *Cepheus*, cur *Arctophylax* iam pænè artis suæ obliuiscũtur? cur nõ *Canis* ille *minor* hunc mihi *Leporem* capit? cur non *Canem* istum *maiorem* in *Lvpvm*, in *Vrsos*, in *Leones* inhortor, inagóque? cum eodem cursu iactúque & prædam mihi & laudem capere fas sit?

Phœbus à recenti adhuc Musicâ numeris amicus, manu sorori annuit, versu Principi accinuit.

Nempe mihi tantis mactus virtutibus esto,
Nempe mihi Herculeos inter habende Duces:
Prælia Mœnalio dum das venatica luco,
Atq; Erimantheo retia tendis apro.
Quæritur à fixis non tam tibi gloria ceruis,
Gloria quàm cæso grandis ab hoste venit.
Et velut obiecto moritur fera bellua conto,
Sic fugiunt iras hostica castra tuas.
Felix Boia tuo de venatore triumpha,
Cui timido sæuus pro Lepore hostis erit.

Adest interea ex alio cœli climate transuena *Cepheus* cum iaculo, & canib', adest cum instructâ telis pictissimis pharetrâ *Sagittifer* ille, qui assumto *Arcti* Custode venatum petebant: indagaturi feras, si quid tamen in lepore feritatis est. Nec enim Iuppiter statim eos quærere patiebatur bestias armatas dente vel cornu. Hic ergo vt spectaculi vo-

luptatem adiuuaret, extemplo cœlum frondeſcere, tumuloſqúe attolli de pauimenti planitie, ramorumqúe denſis tegminibus tralucida ſpatia inumbrari iuſsit. Canicula veſtigatrix prima procurrit, & odorâ vi omnia proſpexit. Maior autem ille Moloſſus, certamini venationis magis, quàm indagini aſſuefactus mandato cubili reſidebat, donec accepto ſigno inuadere decurrentes beſtias iuberetur. Canicula ſolertis diſciplinæ memor, dum venatorij iuuenes totos præcingunt aditus, per teſqua vagatur, tacitáque priùs ſeruatâ muſsitatione, veſtigio repentè deprehenſo, latratibus feruidis diſſoniſqúe omnia miſcet. Auditâ hoſtili voce lepuſculus de dumeto exilit, & declinatâ ſilueſcentis cœli parte, in apertum ſe ſe campum eiicit. Auditur iam pro tibiâ Muſarum, cornu Dianæ; pro Thaliæ carmine, venatorum vocales exclamationes; pro crotalis & ſiſtris, latrantium canum impetus; & *Cepheus* prædæ auidus iã vel cum ipſo lepore celeritate pedum certabat,

Quid miſeræ, exclamo, ſequeris veſtigia prædæ?
Non venit à paruis gloria magna feris.
Poſt exporrectum celebratur dextera pardum;
Maior ab Hircanâ tygride fama redit.
Talia iactanti, mirari, Cepheus inquit,
Deſine; erit captus gloria magna lepus.

Maiores venationes vidère Magni, vt Pompeiꝰ, quē Plin. lib. 8. ait, dedisse xx. elephātos, Getulis ex aduerso iaculātibꝰ, mirabili vnius dimicatione, qui pedibus confoſſis repſit genibꝰ in cateruas, arrepta ſcuta iaciens in ſublime, quæ decidentia voluptati ſpectantibus erant in orbem circumacta, velut arte, nō furore belluæ iacerentur.

Nem-

Nempe DVCI *posthac mittam; cui cœna futurus*
Si fuerit, PRINCEPS *quàm mihi pulcher erit?*

Hæc quia ex veteri superstitione loquebatur, respondi.

Serò nimis, Cepheu, siluestria munera mittis,
Pulchior vt fias: sit lepus offa tuā.
Quem formosum optas, iam formosissimus antè est,
A lepore ornatus non cupit esse LEO.

Pęnissimè interea leporem canis tenuisset, sed eum mutata repentè fugæ linea; dentibus subduxit. Cum ergo præter os adeò meum subiret pauens cursor, tali fugitantem consilio aspersi.

Quid metuis sæuos, fugitiue lepuscule, dentes?
Aut latratorum cur fugis ora canum?
Nescis quid Latiâ fuerit lepus ausus arenâ,
Quem Libycus tuto condidit ore Leo?
Ergo sinas rabidos post te latrare molossos,
Ad quæ confugias, ora LEONIS *habes.*

Quasi intellexisset mea consilia, ita ad *Leonem* deproperauit *Lepus.* Nec quisquam ad eum ampliùs aut canum, aut hominum aspirare est ausus: apparuítq; quantum Leoni & in subiectos clementiæ, & in proteruos auctoritatis DEVS naturaque inseminârit. Interea ex aliâ parte vrsus immanis atque inusitatus exsurgit, toris callosæ cutis obesus, pilis inhorrentibus, corio squalidus, setis insurgentibus membrorum hispidus, dentibus attritu sonaci

ſpumans, oculis áſpectu minaci flammeus, impetu ſæuo frementis oris, vnguiumq; & anteriorum pedum velitatione totus fulmineus. Nam vt pugnæ opportunior eſſet, in poſteriores pedes reſederat, ad humani corporis modum in ſublime erectus. Hunc ponè ſequebatur minor vrſa, quæ ei ſe appendicem fecerat. Hîc verò & *Sagittifer*, & Cepheus, & ipſa Diana venabulis armata, & tota pubes ſiluatica ingenti clamore ruunt. Et primùm quidem canicula procacior, quæ cominus contulerat veſtigium, ſtrictiſsimo vrſæ amplexu, eliſâ vt putabamus animâ, in ſolum concidit. Deinde & maiorem illum moloſſum colaphis hinc inde iactatis ſtrenua pugnatrix exterruit, inaudacioremque reddidit. Denique calcata retiola, quà primos impetus reduxerat, tranſabijt. Et ego quidem pauore deterritus, atque alioquin huiuſcemodi venationibus non conſuetus, tunc etiam inermis atque immunitus, tegumentis frondis & arboribus latenter abſcondor. Diana verò nequaquam in modum pauoris feminei deiecta, tam opimã prædam medijs manib. haud amittẽdam, ſed ocyus indipiſcendam cenſuit. Arreptâ igitur lanceâ, nec tantillũ morata, protinus emicat, & ex ſummo ſtudio beſtiam inſequens iam medium campi tranſuolârat priùs, quàm ſentirem. Propè cum eſſet, iaculum, quod gerebat, inſuper dorſum beſtiæ contorſit;

torſit : quæ genuini vigoris non oblita, retorſit impetum : & incendio feritatis ardeſcens, dente compulſo, quâ parte inſiliat contabunda rimatur, rimantem Diana occupat, faciliq́ue manu tranſadigit. Vrſa recidens, quà ſanguis effluxerat, toto tergo ſupinata, ſæpiùs ferrum recepiſſet, niſi Iuppiter ſolicitus, ne ornamentis ſuis olympus viduaretur, & Dianam ab inmittendâ per belluæ latus lanceâ arcuiſſet, & plagas priores ſubitis medicationibus coire iuſsiſſet. Qui etiam caniculam iam dudum ſine ſenſu iacentem compreſſo corpore animam obnubilante, ad vitam reuocauit. Illa igitur interuallo, reualeſcente paulatim ſpiritu, clariſsimos latratus iterans, etiam venatum reſtaurauiſſet, prȩſertim lupo ſeſe oſtendente, niſi Iuppiter (miſſo in prȩmium, Dianȩ quidem *iaculo*, Cepheo autem *cratere*) receptui ceciniſſet.

Cap. IX.

Varij alij animalium caleſtium ludi.

LVpum porrò progreſſus leo ex arenâ fugauit; ſicut & *coruum cygnus*, & *pauonem aquila*. Quanquam nec *lupus* ſine morſu, nec *coruus* ſine vulnere, nec *pauo* ſine ignominiâ abiuit. Diu enim *lupum* LEO auribus tenuit. *Coruum* autem, quòd CAESARI ſuum AVE dicere nollet, candidiſsimus cygnus lacerauit. Denique *pauonem aquila* aliquot plumis ſpoliauit, quòd ille Ioui à fulminibus eſſe affectâſſet. Plumas variegatas illas & oculiferas per

De originibus ludorum caliuum adi S. Cyprianum lib. de ſpectaculis cap. 2. Iſidor. lib 18 Etym. cap. 17.

per cœlum ſtratas ſuſtulit *Luna* ad flabellum ex ijs concinnandum, quo muſcas à Deorum capitibus abigeret. *Caprùm* quoque atq; *arietem* aduersâ coniſcantes fronte ſuperuenientes certamini Horę diſsipauerunt. Atque nigrę quidem Noctiumq; horę *caprum*, albę autem Dieique horę *arietem* totonderunt; hinc aureum vellus, inde neſcio quod ludibrij genus confecturę.

CAP. X. *Ludi Circenſes.*

De ludis qui Conſualia dicti, Varro de ling. Lat. lib. 5. Halicarnaſ. lib. 6. Arnob. lib. 3. Aug. 4. ciuit. cap. 11. Liu. 1.

POſt hęc vt etiam Conſualia atque Neptuni equeſtris Circenſe ſpectaculum Equiriaque Martis Iuppiter munerarius ederet, campum admirabilem extemporali miraculo, non iam enſibus aut baltheis, ſed opulentiſsimâ fabricâ & Euripis circumſcribi iuſsit, vt diffuſus currendi impetus in certum colligeretur ſpacium. Metarum inſtar, hinc Dione Myrtum è cœlo, inde Phœbus laurum enaſci iubebat. Cętera Mercurius de ſuo Circo tranſtulit ornamenta; & quędam etiam de C. Curionis duobus penſilibus theatris, quę teſte Plinio fecit ampliſsima ex ligno cardinum ſingulorum, verſatili ſuſpenſa libramento. In quibus vtriuſque antemeridianô ludorum ſpectaculo editô inter ſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenę, & repentè circumactis, vt contra ſtarent; poſtremo iam die deſcēdentib. tabulis & cornib. inter ſe coeuntibus faciebat Amphitheatrum, & Gladiatorũ

Plin. lib. 36. cap. 10.

ſpecta-

ſpectacula edebat; ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Ad eundem modũ cœtus Deorum vniuerſus velut duob⁹ nauigiis impoſitus binis cardinibus ſuſtinebatur, & depugnantes ſpectabat iam homines, iam feras, iam Deos, periturus mouente aliquo laxatis machinis. Vt proinde & hic dicere licuerit: *Quid miretur quiſque in hoc primum? inuentorem, an inuentum? artificem an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? parere, an iubere?* Nec theatrum modò & de theatro Amphitheatrum, deque hoc rurſum Circus, ſed etiam ipſi Currus ad eam rem peculiares ornabantur. Equi de quadrigis, bigis, ſeiugis, deſultoribus Deorum varij prodibant. Cyllaros ſuos Praſinus plaudit Caſtor iam olim equos domitare cõſuetus. Pugillator ruſſeâ nunc veſte inſignis, Pollux, inquam, Phlogium & reliquos Martis caballos nõ vno poppyſmate ad laudem victoriæ ludoſque Neptunales extimulat. Albo amictu diſtinctus Mercurius Pegaſum & Iouis equos quadrigæ iunctos per arenam deducit, docetque viarum compendia & metarum flexus. Solis equi Phlegon, Pyrois, & Eous, & Æthon Venetæ factionis Perſeo dantur. Bootes quoque non ignobilis auriga geminos Lunę iuuencos currui ſuo aptat. Vnico mox ictu oſtia duodecim panduntur. Nec iã Soli, ſed SERENISS. ELECTORI Circus fit ſacer. Atq; nomina & ſtationem Vu- -iam

Plin. lib. 36. cap. 10.

Sic Solis equos Ouid. at Fulgentius Mythol. lib. 1. nominat, Erythræum, Actæonẽ Lampon & Philogeum.

Quis & cui primò hoc tale ſpectaculũ dicârit do-et Caſsiodorus lib. 3. Variar. epiſt. 51.

--iam sortitus Mauors versarat ahenâ
Casside, iamq; locus cuiq; est, & liminis ordo.
Cælorum decora ampla viri, decora ampla iugales
Diuûm vtrumq; genus. Stant vno margine clausi,
Spesq; audaxq; animus, metus & fiducia pallens.
Nil fixum cordi. pugnant exire pauentq;:
Qui dominis idem ardor equis, face lumina surgunt.
Ora sonant morsu spumisq; & sanguine ferrum
Vritur, impulsi nequeunt obsistere postes.
Stare adeò miserùm est, pereunt vestigia mille
Ante fugam, absentemq; ferit grauis vngula campũ.
Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in arua currus.
Non sic fulminis impetus trisulci,
Non fundis Balearibus rotata
Vnquam sic liquidos poli meatus
Rumpit plumbea glandium procella.

Solus Bootes inauspicatò Circũ ingressus, nec verbere, nec voce suas propellere boues quiuit. Diu rixatus, diúque affatim se ridendũ præbuit: Cum tandem, nescio quo œstro concitatæ pecudes, se se stimulis, & currum onere liberârunt. Incautè igitur effusus auriga *victam proiecit casibus artem*, sequè multo nunc largiùs cachinnis exposuit, boum celeritate, quàm priùs tarditate. Alij autem simul map-

Spatia hæc in Circo ouis notata fuisse ex Liuio, Dione, & Cassiodoro primus annotauit Alciatus lib. 4. Parergon c. ult.

mappâ vocauit, viam vorant, aras transeunt; & iam occulti Genij, iam Consi, iam Larium in viciniâ volitant; spaciaque curriculorum ouis notata terunt; iam *metas Murtias* radunt, iam rursus obeliscorum vmbras spumantibus atque fumantibus equis subeunt.

Spacia hac in Circo ouis notata fuisse ex Liuio, Dione, & Cassiodoro primus adnotauit Alciatus lib. 4. Parergon. cap. vlt.

— Nunc auidi prono iuga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu pressis duplicantur habenis.
Fit sonus immanisq́ pedum, tenuisq́ rotarum.

Reliquis tamen omnibus incitatior Pegasus, priorque Mercurius

— fert ora sequentum,
Fert gemitus, multaq́ humeros accenditur aurâ.

Stimulos pariter & Inuidiam posteriorum acuit victoria præcedentis. Instant cæteri, vrgent, & in verbera incumbunt. Vix dum equorum à carceribus exeuntium labor cœptus erat, & iam septimo versu campum iniuerunt. Fumant tepidis sudoribus effæti artus, nec iam illis integer eundi

Cassiodor. lib. 3. Variar. cap. 51. septem metis omne certamẽ peragitur, in similitudinẽ hebdomadis reciproca. Vide Sueton. in Domitiano cap. 4.

Impetus, & longi suspendunt ilia flatus.

Prima gloria Pegaso & additis Pegaso Iouialibus equis Mercurióque: altera Solis equis & Perseo: tertia Cyllaris & Castori: quarta Polluci & Martijs caballis cessit. Booti quòd inuitos boues plaustro induxisset, nasturtium datum est. Quæ autem his Victoribus præmia fuerint designata, suo inferiùs loco intelligetur. Neque enim de *iaculo*, aut *cra-*

Theatra Curionis pensilia fuerunt. Sed & M. Scauri inaudita luxuria theatrũ describit Plin. lib. 8. cap. 17.

tere, aut lauri folijs agebatur. Quare, Circo in pensilis Amphitheatri formam restituto, duabus per medium scenis athletæ prodierunt, raptísq; è contrario repentè pulpitis gladiatores producti sunt, quibus volentibus eadem præmia steterunt. Quin & pro ijsdem honoribus Theseus Minotaurum, Hercules Hydram & Acheloum poposcit in certamen.

CAP. XI. *Thesei cũ Minotauro, Herculisq; cũ Acheloo & Hydrâ certamẽ.*

NOuam muneris seu pugnæ huius spectandæ cupiditatem ferox curiositas excitauerat, cũ ecce tibi repentinus impetus vtrumque heroem in arenam tulit. Hic clauâ terribilis, ille gladio coruscus fuit. Ex alterâ parte velut de scholâ bestiarum Minotaurus se intulit humani pectoris quadrupes, pariter & nodoso ligno, & cornibus metuendus. Neq; Hydra morata est, tot hostes, quot capita ferens; & tanquam si Herculi non sufficerent tam pauci hostes, Achelous quoque de hastato milite, in taurum mugijt. Constitêre primum ad mutuos aspectus; & minacissimos oculorum obtutus, in prima vulnera distrinxerunt. Primus Theseus gladiator consuscitatis viribus ferrum, quod manibus tenebat, ferociter quatiens intentauit in Minotaurum, precatúsque Martem, gradum in sabulo (nam & hoc aderat) firmauit. Ad gestum etiam vox accessit. Tu igitur, inquit, quocun-

De variis commentibus Romæ exhibitis Cassiodor. lib. Variar epist. 52. quid autẽ sit munus dare, vel edere quæ est phrasis etiã Iurisconsultorum. l. Mortuo, & l. Charidemum de Pollicit. explicat Tertullian. lib. de spect.

cunque nomine appellandus es, eia, mecum de pręmio honoris certa, nisi fortè inultus cadere malis. Minotaurus vltro ad prouocantem aduolat, ferinóque impetu irruens ingenti desuper fulmine stantem petit. Sed Theseum nec impetus, vt præcipitaret temerè corpus, nec timor, vt fædè ageret, euicit. Igitur modicâ corporis declinatione ictũ exijt, vicissimque à latere subeuntem obliquo verbere percussit, vnáque & clauæ partem, & cornu alterum execuit. Quantum de armis, tantum de ferociâ Minotaurus amisit. Quòd tamen Theseus Minotauri caput durissimo osse loricatũ videret, alium vulneri locum quæsiuit. Et placuit per pectus ire. Sed non sine artificio. Nam cùm oculis & toto gestu pedes Minotauri vulneraturus & poplitem succisurus videretur, eumque obiectu rami partem illam corporis tegere coëgisset, ille modò promouens gradum, modò cum artificio succedens in latus, & totis oculis Minotauri pedes designans, mutato repentè impetu in nudum pectus cum ferro ascendit, & ensem penè ad capulum intra corpus vociferantis condidit. Corruit ex eo vulnere humana bellua. Victor sublato in altum mucrone collóque monstri pedem imponens sic Iouem Xystarchen compellauit in imo Podio sedentem,

Monstrum immane vides humano sanguine fartũ,
Semibouemq; hominem, semihominemq; bouem.
Hinc boat, hinc patulis humanas faucibus escas
Appetit: Effigies hæresis ista fuit.
Æternas reboare minas, humanaque bello
Fercula inexhaustâ sueta sitire gulâ est.
Iam cecidit, cecidère minæ, cecidère boatus;
Est satiata tamen sanguine: nempe suo.

Cic. lib. de senectut.

Respondit è cathedrâ Iuppiter, & per anfractum totus cum Ioue caueæ primæ vltimæque consessus.

Græcia quem dudum cantabat Thesea victrix,
Quod Labyrintheam luserit arte domum;
Et formidati fera cornua Minotauri
Victor, vt exiguam sparserit orbe pilam:
Dudum etiam spectare cupit, dum Teutona tellus
Thesea, te tandem, MAXMILIANE, videt.
Et rapuisse videt non vni cornua tauro:
Nam sua nunc hostis cornua nullus habet.

Non tantum tauros sed & leones, Vrsos, elephātos imò & crocodilos, et camelopardalim ad pugnam productum constat ex Plin. lib. 8. c. 7. 16. 18.

Neque Hercules in Acheloi cornua segniùs depugnabat. Nam cum altiùs assurgens spiculum eius diffregisset, eumque truculentæ adhuc molis hominem, iam quarto gyro in orbem egisset, neque alius fugæ locus superesset, emutauit Pantomimus ille se se in Taurum, terrificóq; edito mugitu theatrum omne, ipsumque pæne etiam Herculem tremefecit, quamuis ioco, & fortè non vero risu sibi de

de nouo hoste gratulantem. Stabat enim obuersis aliquantulùm cornibus bellua, & toruâ fronte nescio quantos Herculei sanguinis imbres minabatur; mox vngulis quoq; ipsis proludens, & spacioso corpore se se in orbem agitans, omnem hosti accessum præcludebat. Sed quid sit Herculi inaccessum? Clauam igitur suam intuens, & manu læuâ curiosè detergens, Aude, inquit, aude ô fidissimum semper telum, & infamem hanc belluam BAVARO VICTORI hostiam lita. Simul vtraque manu illam prehensat, magnaque vi brachia tollens dexterum monstri cornu radicitùs effringit. Mugit & rugit Achelous: acclamat Olympus.

Vix cornu frontem lunasti Acheloe proteruam;
Detraxit LVNAS THESSALA claua tuas.
Scilicet Alcides frontem truncauit inermem,
Bosq; nihil tantus, quo vitulcris, habes.
Sed tandem quidnam frontem miraris ademptam?
Cornua ad exemplum sustulit ille tuum.

Nimirùm hic mos est generi isti, ipsi cornua sumere volunt, & ferire omnes; alios vti cupiunt lenitate. Sed inter tot heroas & Herculem repererunt, cui claua esset domi, si illis cornua essent foris.

Ad hanc vocem quasi animatus denuò esset Minotaurus, ita exilijt, ac iactatis dexterrimè brachijs, totoque corpore in taurinos pedes erecto & per auras librato Theseum rursus *Secutoris* ritu laces-

lacessiuit. Ille velut dato signo in capulum recubuerat sudorem exfricans, & arctè meantem spiritum tanquam per inducias extendens. Vbi ergo venientem vidit, virili spiritu incitatus, non iam gladio inermem feriendum censuit, sed à caudâ detentum egit, lassitudine conficiens simul & cursu. Nam quo se cumque ille concitasset, conuersum sequebatur; & si staret Minotaurus, per gyrationes eum vertigine implebat. Quid multa? in manu suâ eum habebat, nec iam cum illo certare, sed iocari videbatur, Epistates non antagonista.

Ceroma oleũ estceratũ, quo ceromatista luctaturos in Graciâ perfuderũt, ad quẽ morem aiunt alludi, cum dicitur & Christus suos athletas spiritu vngere. Ludi hi gymnici agones sunt dicti, qui à nudis exercebãtur. Cur antè à nudis caussa est, quod cum antea certantes cincti essẽt quidam cursor relaxato cingulo repentè prostratus & exanimatus fuerit. Plura Isidor. c. 17. 18. 19. 20. 21. seqq.

Interim & Acheloo pudor stimulos subiecit. Taurilia dixisses, ita summis heroibus cum Tauris certamen erat. Hercules ceromate perfusus, & puluere inspersus luctatoris more in collũ Acheloi se inijcit, facie suâ inter ipsa tauri cornua in medio collocatâ: vlnísque tanquam coronâ circumpositis, ac digitis in taurinâ fronte in nodum complicatis. Reliquum verò corpus à dextero bouis armo demittens, ipséq; toto pondere depẽdens per palæstrã ferebatur, ita vt paululùm taurinis saltib⁹ concuteretur. Sic fatigauit belluam: quam languefactã, & id loci in quo sedebat Iuppiter, prætereuntem obuertit in anteriorem partem, illiúsq; cruribus suos pedes identidem obijciens, gressumque bouis implicans ac impediens tandem robore grauatum euertit. Qui in caput deuolutus, ac in scapulas

pulas

pulas proiectus, cornibus solo infixis, & ita vt caput mouere non posset, radicatis: erectis pedibus diuque in scammate resupinus iacuit, cruribus nec quicquam salientibus & opportunè aërem verberantibus, cla demq; languore testantibus, Hercules verò incumbebat, solâ sinistrâ manu ad deprimendum vtens, dexteram autem cœlo extollens, mugituque tauri, tanquam tubâ victoriæ suæ celebritatem promulgans. Tauros risu, heroas admiratione Superi & ceteri è quatuordecim gradibus spectantes exceperunt. Et illos quidem, aliò seductos, iussêre posthac in se mutuo dimicare: istos autem acceptâ rude præmiis amplissimis dignos pronunciarunt.

Ne tamen Hercules absq; Theseo vel pugnare nolle, vel vincere non posse videretur, collecto spiritu Hydram solus aggressus est. Hi athletę sæuiore odio & prorsus ferinâ certatione incurrunt. Nam hydra tot ceruices superbè erigens, ac longè pluribus oculis omnia lustrans, summis pedib. incedebat: Colla rabie inflata dilatans, caudæque immanis volumina insolenter quatiens, perque vicissitudines sanguine suffundens gradiebatur in hostē. Hercules quidem clauâ pulsare venientem incipiebat, sed cassi ictus. Nullum post multos labores sanguinem emicare videt. Et linguæ vibrabantur tantò ignitiùs, quantò magis vapulabat mon-

ſtrum, pro Myrmillone productum. Ferrum igitur ſtringit. Sed vulnera ipſa proderant cæſo. Plura enim capita pullulabant pro vno. A ferro ad ingenium & ignem confûgit Hercules. Hîc tandem ſuccubuit prodigium, vnà ferro flammiſque extinguendum. Iuppiter ceteriq; Victori & per Victorem ſignificato ſic acclamauerunt.

Quantum, Hydram viciſſe? Vnum mala plurima monſtrum
Vt ſarſit damnum morte parente ſuum?
Vix caput abſciſſum eſt, collũ in noua funera vixit,
Et potuit cædem iam meruiſſe nouam.
Verùm animæ tandem, Hydra, tuæ, mortesq́; ſteterũt,
Suſtulit vt partum ſubdita flamma tuum.
Hydra tibi vincenda fuit, bellumq́; renaſcens:
Viciſti, ô PRINCEPS, hydra ſoluta iacet.
Vt par Alcidi fieres, ferro vſus & igni es:
Vſſerunt hoſtes nam tua bella tuos.

GLORIAE BELLICAE

LIBER XIX.

DE GLORIA A DONIS EXVVIISQVE.

CAPVT I. *Victores Hamare ſua præmia transferebunt.*



Inimè contractâ, ſed exporrectâ fronte Hercules in Iouem & reliquam multitudinem

dinem sic acclamantem intuebatur; neque deriuatis aliò laudibus vel tantillum inuidebat; sed sibi insuper etiam gratulans, quòd cum tanto PRINCIPE compararetur, dixit: Si vllam vobis, Agonothetæ ego meis laborib. coronam præmiumúe promeritus videor, summæ coronæ præmiiqúe loco habebo, si fortißimo BAVARORVM, & vero Germaniæ Herculi ea transcribere liceat. Hunc colophonem honoribus meis addite. Nam in illo reuixi; in quo non hostes solùm, sed etiam meipsum superaui. In quo igitur viuo, in illo me honorari concupisco. Eadem vox Thesei fuit. Eadem Mercurij, Persei, Castoris & Pollucis, ceterorumqúe omnium victorum. Et quanquam finis spectaculorum nondum erat, Argo naui, & Delphino, & ceteris sidereis piscibus in Eridano lusuris, Gemellisqúe cum ipso Iasone naumachiā instituturis, tamē prę-ualuit ardor nouo ELECTORI fauentium, & munera properantium, ludisq; pulcherrimis intercesit.

Iuppiter ergo, vt tam æqua postulantibus annueret; Quanquam non exigua sunt, inquit, pro quibus certauistis, munera videlicet cœlo digna; concedo tamen ea terris, quando & in his cœlestes mores reperio. Neque tamen ego solùm sua singulis præmia destināram: habent & hi secum dona, quibus victores decoraturi erant. Agite omnia cumulemus, &, si ita placet, in BAVARIAE gremium

totum copiæ cornu effundamus. Ne tamen & hi victores suâ laude destituantur; Mercurij Perseiq;, qui celeritate alios anteuolarũt, honos esto, vt munera nostra in BAVARIAM perferant. Castor & Pollux Mercurio Perseóq; in aurigando proximi, in præliis Tillianis adsunto. Hercules posthac etiam BOIARICI nomen habeto, sicut & MAXIMILIANVS Herculis labores. Inter quos erit, vt & Theseo sit pro Hercule, vel Pirithoo pro Theseo: cum fidissimus fortissimusque ad succurrendum videatur. Neq; parua gloria erit Theseo vel à BAVARO vel in BAVARO agnosci.

CAP. II. Quadriga Iouis qualis.

ADhuc Ioue perorante Dij vndiq; cimelia sua peruerunt aut cõuasarunt. Sed & CVRRVM istũ seu THENSAM Iouis, velut Circensium armamaxam, cœlestis auriga in medio statuit, donis onerandam.

Dicere conabar, quis CVRRVS. At ecce moratur
Angustus nimium verba ligata sonus.
Non tantum gestare potest Elegëia pondus,
Præsertim alterno debilitata pede.

Pamelius in cap. 7. Tertulliani de spectac. ait, curr⁹ Prophana, thẽsas sacra fuisse vehicula. Sed pro eodem sumi vel confundi ex ipso Tertulliano

Alia via tentanda est; quod biga nequit, quadriga vehat. Igitur inter ista Deorum studia etiam

CVRRVS hic ad BOICAS cœlo descendere terras
Arsit, & ardorem non vno ostendit in igne;
Errant per totam preciosa incendia molem.
Hinc, illinc gemmæ non noto è littore lectæ,
Sed quas sepositâ cœlestis Aquarius vndâ Nu-

Nutrijt, haud ulli metuendā grandine ludunt,
Dilapidantq́ suos, molli tamen imbre, Smaragdos.
Nec deëst ars operi; Polycleto et Mentore plenū,
Argumentoso paßim describitur auro,
Et tantos alieno animos è pollice sumit,
Vt propè de vitâ cum nostro Principe certet.
Sed doctas temonis opes, & anaglypha Currûs
Sarcina, quæ supra est, vincit: locus ipse fatetur
Palmam & victam oneri meritò seruire quadrigā.
Esset vt æternis vnde iret copia riuis,
Iuppiter Oleniæ rupit sua cornua capræ,
Iußit, & in semper-felices Principis annos
Officiosa datis nunquam decrescere donis,
Sed damnis fœcunda suis votumq́ manumq́
Lassare, & lentum capiendi vrgere pudorem.
Cornibus his interseruit sua cornua Mauors,
Miscuit & lituos ipse, & par grande tubarum:
Imbuat vt pia diuino certamina cantu.
Quo cantu vegetæ mentes, auresq́ repletæ
Bellantûm nequeant inter metuenda timere:
Et sit prima Dvcis supremaq́ tessera, Vici.
Ne perdat tamen incautas audacia vires,
Temperat Arma Libris Pallas, ferriq́ calentis,
Plenâ consilij Bullâ castigat amorem.
O Dvx Teutonicæ, Sol formosißime terræ,
Omnia dona tuum Superi, quibus omnia donas,
Certatim inijciunt in Cvrrvm. Nemo Deorum

constat, qui et armamaxas vocat quas Herod. lib. 7. pro essedis. Valla pro curruum. Plutarch. in Themistocle pro mulierum vehiculis clausis vndiq́ tabernaculis positis. Et Plin. lib. 34. cap. 13. ait esseda, vehicula, petorita etiam argento ornare solere, nempe in pompis Circensib. Erant porro hi Currus seu thēsa, teste Festo vehicula, quibus exuuia Deorū ludicris Circensib. in Circum ad puluinar vehebantur & ex ebore, & ex argēto, &c.

Se putat esse Deum, nisi te sibi cernat amicum.
In te quisque suæ quærit virtutis honorem;
Quisque suas miratur opes, nomenq́ verendum:
Ipse etiam Mauors te bella gerente triumphat.
Iam vincente Sago, vincas vt & arte Togatâ,
Donat habere aptos iusti veriq́ ministros,
Diuinas leges, & iura axesq́ Solonis
Mercurius, facilem quibus aurem orbemq́ ligabis.
Ne qua autẽ niueæ sitis arida supplicet vndæ,
Ne qua fames belli infestet te castra sequentem,
Iuppiter Ambrosiam Nectarq́ ex æthere mittit,
Gustum vt Sidereũ Phiala hæc tibi gemmea libet.
At dormire arcus inter pharetrasq́ Dianæ,
(Figit enim ista tuis votiua Anathemata tectis)
Ne timeas, neruis neruos mulcere feroces
Vult Phœbus, citharaq́ suâ discrimina tollit.
Atq vt ne bona tanta vsus breuis, esse vetaret
Magna; aliquot donans meliori facta metallo
Sæcula, Saturnus tibi non nisi candida vouit
Tempora; Parcæ albo sanxerunt vellere votum.

Nondum omnia recensui, quia plus rerum CVRRVS, quàm versus cepit. Cætera enim pertinax vena negauit; vt Oratores cùm ad aquam dicunt, eáq; in vasculo hæsit, finem dicendi faciunt, ita Poëtæ, simul canere & furere desinunt. Furore autem posito humanè loqui coguntur. Longum itaque maris æquor adhuc arãdum; si omnia audire curiositas cogit.

I. Iup-

Cap. III.

Pileo, Pomo, Pallioq; Electorale donum.

I. Iuppiter Pileum, Phœbus Pomum, Phœbe Pallium electorale diuinis manibus elaboratum in hanc capsam concinnarunt. Pileus veteri Domino vnà cum coronâ alienâ detractus (quo pacto olim Iugurthę auricula propria cum coronâ auulsa est) nequaquam solum nomen erat, sed ab ipso Ioue varijs est opulentijs ornatus. Nam eum pro galeâ esse iussit, ne vllum post hac telum tam precioso capiti obesse posset. In eo securitatem, opem cœlestem, libertatem, perennitatem posuit. Quæ cum versato vndique Pileo afflaret Deorum Pater, I, dixit, hæc ego in te colloco: sapientiâ quoque, prudentiâ, & omni virtutum splendore repleberis, sed tum demum vbi Maximiliani caput amplexabere: à quo plus ornamenti capies, quàm dabis. Plus est enim virtute, quàm honore ornari. Cæterùm *teges, & tegêris.*

Plutarch. in Mario de Iugurtha capto & Roma coronâ enuto.

Phœbus tale manu Pomum inuoluit, quale Benedictus Papa imperiale insigne esse voluit: & Henrico Imperatori recens creato Romamq; sollenni pompâ ingresso obtulit, de quo Glaber. *Illud,* inquit, *nimiùm condecens, ac perhonestum videtur, atq; ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet: Ut ne quisquam audacter Imperij Romani sceptrum præposterus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne imperiale:*

Glaber. lib. 1. in fine. & ex eo Baron. Anno Christi 1013.

riale: Cum videlicet olim vbique terrarum quilibet tyranni se se procaciter impellentes, sæpißimè sint Imperatores creati, atque eò minùs apti Reipublicæ, quò constat eos tyrannide potiùs, quàm pietatis auctoritate processisse. Anno igitur Dominicæ Incarnationis. M. XIII. licet insigne illud Imperiale diuersis speciebus priùs figuratum fuisset; Venerabili tamen Papæ Benedicto Sedis Apostolicæ Infum. ** visũ est admodũ intellectuali specie. Qui idẽ insigne præcepit fabricari quasi aureum pomum, atque circumdari per quadrum preciosißimis quibusq; gemmis, ac desuper aureã crucem inseri. Erat autẽ instar speciei huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotũditate circumsistere perhibetur. Vt dum, siquidẽ illud respiceret Princeps terreni Imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quàm vt dignus haberetur viuificæ crucis tueri vexillo. In ipso etiam diuersarum gemmarum decoramine videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Cumque postmodum prædictus Papa Imperatori, videlicet Henrico, huius rei gratiâ,* nempe vt crearetur Imperator, *Romam venienti obuiam cum maxima virorum & sacrorum ordinum multitudine processisset ex more, eique huiusmodi insigne, scilicet Imperij, in conspectu totius Romanæ plebis tradidisset; suscipiens illud hilariter, circumspectoque eo (vt erat vir sagacißimus) istud facere decreuisti, nostræ* Inuenit. *portendendo * regimen monarchiæ, qualiter se se moderari debuerat, cautiùs perdocuisti. Deinde manu gerens illud auri pomum subiunxit: Nullis, inquit, melius hoc præ-*

præsens donum poßidere, ac cernere congruit, quàm illis, qui pompis mundi calcatis, Crucem expeditiùs sequuntur Saluatoris. Qui protinus misit illud ad Cluniacense Monasterium Galliarum, quod etiam tunc temporis habebatur religiosißimum cæterorum; cui & alia dona plurima contulerat ornamentorum. Tale ergo POMVM cum Phœbus mollissimâ sindone inuolueret, atque in huius sarcinæ meditullium componeret, adiecit hoc carmen,

Fabula prisca fuit vigilanti erepta DRACONI
AVREA ab HERCVLEA POMA fuisse MANV,
Nunc vbi DVX BOIVS POMVM IMPERIALE recepit,
Fabula quæ fuerat, vera fit historia.

Et tantò verior historia est, quantò minùs hoc POMVM è Milonianâ istius manu, quã ipsa claua è dexterâ Herculis extorquebitur; ijs pomis simile, quæ in nouam terram translata salubriora fiunt, & de veneno in medicinam transeunt. *Vide Philostrat. lib. 4. c. 9. in Vitâ Apollonij.*

EPOMIDEM post hæc, seu ELECTORALE PALLIVM, Phœbe protulit, eóq; per extremam laciniam succusso & ventilato, *Breue est hoc PALLIVM*, inquit, *nempe quia virtutem tegere non debet, sed virtute præditum.* Vt ergo ante hac nec prioris Domini vitia sub eo abscondi potuerunt, sic post illa neque decora latitabunt Successoris. Nequit enim ciuitas abscondi supra montem posita. Denique I, PALLIVM Elisæo es relictum, quanquam non ab Eliâ.

CAP. IV.
Alia a cæteris Dijs dona oblata.

II. Saturnus sublato & columnato pede prodijt, à veteri ruinâ adhuc claudicãs, & PERISCELIDEM gerens bullis atque vmbilicis litterísque & laminis aureis gemmeísque toris distinctam, ac celeberrimo lapide adamante, per certa interualla, relucentem. Nam viridi holoserico adamantes superpositi, seriem quandam litterarum exprimebant, hanc sententiam continentium: CONFVNDANTVR, QVI VOLVNT MALA. Hoc à pede suo ornamentum, cum Saturnus in istud doliolum inderet Boicoq; ELECTORI MITTERET, annuum Bohemiæ regem sic est allocutus.

Pondera cum POMI ferres, ne genua labarent,
Firmandus solido pes adamante fuit.
Nunc adamante cares, quem BOICA dextera gestat,
Fortior vt POMVM ferre sit illa tuum.

III. Mars præter supra dictas res, cum Pallade inuolucra hæc grauissima, quæ mihi nec inspicere, nec resoluere fas fuit, in CVRRVM intulit. Ex mussitatione tamen eorum intellexi, multa inibi compacta esse è variis vrbibus captis, prælíisq; reportata spolia; præsertim illa, quæ in Pragensi & Durlacensi in potestatem venêre. Sed exuuiis his adiecit & galeam Constantini, CHRISTI nomine insignitam. Conuenit enim BOIVM DVCEM ab eodem nomine defendi, quod ipse defendit. Sed & in galeam

Pragensis Victoria spolia passim innotuerunt: Victoria autem Durlacensis Anno 1622. 6. Maij obtenta opima spolia in syllabum relata, ac peculiariter typis euulgata sunt. De galeâ Constantini. Baron. An. 312. Gretser. lib. 2. de S. cruce. cap. 37. & 51.

leam optimorum Ducum militarium Tilliorum, Anholdinorum, Herlibergiorũ, Schmidiorũ, &c. fidissima nomina coniecit.

IV. Musæ totius Heidelbergensis Bibliothecæ syllabum; sed quod maximè gratum, eiusdem quoque vrbis vti & Anhaltinam illam ingentium secretorum prægnantem *Cancellariam*, aliasque arcanas litteras in summa Germaniæ, immo Europæ capita atrociter ludentes tradiderunt. Nihil aut hostes nostros magis elisit, aut Dvci nostro vtilius fuit. Quare & hæc quoq; quamuis chartacea spolia, triumphos tamen Bavaricos supra omnes gemmas illustrauerunt. Si enim Lucullus æneam tabulam Chaldaicis litteris scriptam & in expeditione contra Mithridatem repertam inter gazam regiam vt præcipuum spoliũ attulit, cum Romam triumphans ingrederetur; cur non triumpharet potiùs noster Lucullus, qui non Politicam doctrinam, æneę tabulæ litteris Chaldaicis incisam, sed eas litteras reperit, quę omni posteritati testabuntur, & quàm iustam nos resistẽdi caussam, & quàm iniquam habuerint Caluinistæ rebellandi, qui de vitâ atque tergo non modò omnium, sed pænè etiã singulorum, regio more consuluerunt.

V. Neptunus tridentẽ suum inter arma Martis admiscuit, nescio quibus characteribus inscriptum. Eos enim characteres soli Ioui & Marti

exhibuit inſpiciendos, & mox tridentem velut faſcibus inuoluit. Exiſtimabam primo aſpectu trium fluminum Bauaricorum Danubij, Oeni, ac Iſaræ felicitatem poteſtatemque in tridente ſignificari: ſed Iouis Martiſq; nutus ad Danubium, Rhenum & Nicrum videbantur aſpexiſſe.

V I. Ops Saturni coniunx claues quaſdam vrbium & munitionum, ipſaſque in tabulâ depictas vrbes & munitiones bello ſubactas tradidit. Quibus & litteras adiũxit vetuſtiſsimis ſigillis munitas. Quarum autem & quot vrbium ac munitionum & in quibus plagis ſitarum, tum conſtabit, vbi illæ fuerint, à maiore manu reſeratæ. Quæ certè cum M. Curio Dentato in ſenatu ita loqui poſſet: *Tantum agri cepi, vt ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum cepiſſem: tantum porrò hominum cepi, vt fame perituri fuerint, niſi tantum agri cepiſſem.*

Plin. de vir. illuſtrib. c. 33.

V II. Pan & Pandora & cæteri Dijque Deæque omnes vexilla, veſtes regias, ſupellectilem auream atque argenteam, & quidquid in nomen ſpolij venire poteſt, in hunc faſcem compegerũt, non quidem ipſa (quis enim curr⁹ tot res caperet?) ſed ipſorum ius, ipſorum ſpem, & velut ſemina quædam certiſsimorum ſpoliorum, neſcio quibus autographis ſcrinijſque incluſa.

V III. Toto CVRRV iam in plauſtrum mutato, etiam ornamenta ſua addiderunt. Nam Iuppiter vul-

vulsam de quadrigâ suâ imaginem suam trisulco telo & militari laureâ insignem in medio CVRRVS defixit; cui deinde Neptunus & suam hinc, P. Seruilij inde addidit. Saturnus autem aduectam de columnâ illâ, cuius supra memini, Victoriolam in rostro CVRRVS statuit: ac ne quis *colendam* putaret, *quam profitetur optandam*, adiecit sacra illa Mediolanensis Antistitis verba: Ornet te victoria, *quæ vtique munus est, non potestas; donatur, non dominatur: legionum gratiâ, non religionum potentiâ.* Itaque verum Numen cum hac imagine *mittat non Victoriam, quæ nulla substantia est, sed Angelum suum, & faciat vincere, quem voluerit.* Ipsæ quoque Musæ, Charites, Horæ, & quidquid sertis coronatum, aut floribus stellatum fuit, serta de capitibus suis detraxerunt coronasq; & flores in CVRRVM affuderunt, vt quaquã vel per cœli, vel per terrarũ spacia incederet, tanti post se odoris vestigia vbiq; relinqueret, viasq; ipsas atque itinera passim de BAVARICO honore coronaret.

Symmachus in relat. ad Imp. quæ extat apud Prudent. 2. contra Sym. & apud Ambros. lib. 5. post epist. 30. Ambros. lib. 5. epistol. 31. & Aug. 4. de ciuit. c. 17 sic de Victoria loquuntur.

Deniq; Victorum est, victoria maxima, PRINCEPS,
Serta sua in crines implicuisse tuos.
Quàm benè? Non palmâ potuissent rectiùs vti,
Fiet Palma tuo pulchrior è capite.
Quinimmò vidêre tibi CAPVT esse ROTVNDVM;
Hinc visum est merito figere Serta THOLO.

GLORIAE BELLICAE LIBER XX.

DE GLORIA A VATICINIIS.

CAPVT I.

Poëta nunc gaudium, nunc solicitudo, & affectuum vices; donumq́; à Deis acceptum in libellu prædictionum.

Ij nos homines pilas habent, ita in nostris rebus ludũt, animosq; mortalium de summis lætitiis in summas repentè solicitudines iactant. Nihil me lætius beatiúsue erat, cum *quadrigam* Iouis nequaquam fictilibus diuitiis impleri cernerem. Sed adornato in hunc modum pectorito, Iuppiter seu etiam me ludos facere cupiens, seu arcaniora quædam legatis mandaturus, heu quanto me supercilio aspexit! Et quanquam verbum est nullum locutus, solus tamen illius nutus supra omne mihi Manlianum imperium fuit. Accessit tamen ad attonitũ cum Musis Apollo, Quid moraris, inquiens, te hinc actutum amoliri, vbi vides magnos Deos, remotis arbitris agere velle? Sufficiunt tibi poëmata, vt vates sis, vaticinia Superis relinque. Adhuc restitantem etiam Parcę mortalem ex immortalitatis regiâ exesse iubent. Tum verò ego totus in curas abij, & seriò didici, nec omnes, qui habent citharam, citharœdos; nec omnes, qui inter beatos versantur, beatos esse. Quin & Pegasum iam non Pegasum, sed Seiani equũ vocaui, qui in tantas me angustias portauisset. Iam

Iam inde à principio memoraui, à quot auxilijs nullum impetrârim auxilium. Nempe BAVARICI ELECTORIS nomini hic honos debebatur, vt eo audito, mutatâ sententiâ Superi mihi omnes assurgerent, legationéque istâ fungi iuberent. Atque vt tantò copiosiùs gauderem, magnis curis animum ad magnas lætitias præparauerunt.

Supra lib. 1. cap 6. 7. & seqq.

Cæterùm ne & ego indonatus abirem, priùs quàm in carpento hoc pedem ponerem, Mercurio Perseóque iam in procinctu stantibus, ab Apolline Musisque interrogatus sum, Ecquid ego muneris ab ipsis optarem? Respondi, Nihil esse omnium quod optem, nisi longâ PRINCIPIS mei, &, in PRINCIPE Patriæ felicitatem. Visa est Apollini placere responsio mea. Suaui enim risu eam approbans dixit: Vt tamen & tu aliquid hinc tecum, dignum vitæ tuæ rationibus auferas; Ecce, scholastice, cape ab his tribus matronis hos tres libellos. Cùm me impromptum videret, vt cui abundè librorum domi esset; placidè hortatus est, vt ne respuerem, & ad libros Sibyllinos Tarquinius fierem: oracula enim esse, eorum se interpretandorum mihi potestatem facere; sic demum me sensurum, quid sit cum Dijs versari: neque verè vatem vllum esse, nisi

A. Gell. lib. 1. Noct. Attic. cap. 19.

— *magnam cui mentem, animumq;*
Delius inspirat vates, aperitque futura.

Virgil. 6. Aen.

Non necesse est suadere, quod vltrò arridet. Rapio

auidè porrectos libellos de manu Parcarum. Nam fatidicæ Parcæ tres illæ Matronæ fuerunt. Quoniam autem eundi celeritas oculis litteras non permisit, hîc vobis breuiter recitabo, quæ in libellis continentur, vnà mihi vobísque legens, quæ Superi legenda censuerunt.

Cap. II.

Res magnas præsertim bellorum, pleraq; vaticiniis à biuino signis prænunciatas esse: & cur?

Atque vt interpretis officium ritè fungar, magnam aio & hinc gloriam Bavarico nomini bellísque hoc tempore agitatis surgere. Vaticinia enim & prodigia diuinum aliquid habent, quoniam non fortuito motu, sed Dei prouidentiâ constare creduntur. Nam etsi, vt Ammianus scripsit, *Amat benignitas Numinis, seu quod merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impendent*, non tamen facilè prodigijs res exiguas prodit, sed grandes.

Amm. lib. 21.

Catull. de Nupt. Pel. & Thet.

Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina diuino cecinerunt pectore Parcæ;

nempe Achilli veridicum orâclum pandentes, bellíque gloriam promittentes. Sic altera fatidica *prima futuros Æneadas magnos* cecinit. Sic

Vergil. 8. Aen. Idem. lib. 2.

—— Etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei iussu, non vnquam credita Teucris.

Nec sine causâ dictum.

Ouid. epist. 16.

Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsuram præmonuisse ferunt.

Poë-

Poëtis historici quoque subscribunt, qui aliquando vsque ad superstitionem aiunt dari *cœlo terraque prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præsagia, læta, tristia, ambigua, manifesta.* Et, *instantibus curis*, ait Curtius, *agitant sæpe per somnium species imminentium rerum: siue illas ægritudo, siue diuinatio animi præsagientis accersit.* Non abs re fuerit subtexere, quæ Augusto *prius, quàm nasceretur, & ipso natali die, ac deinceps euenerint: quibus futura magnitudo eius & perpetua felicitas sperari animaduertique posset.* Sed prolixum est pleraque & de hoc & de alijs principibus repetere, quæ Suetonius recenset, qui ait Augustum bellorum omnium euentum antè præsensisse. In Sibyllæ oraculis apertè prædicebatur, bellicam Macedonum gloriam Philippo Amyntæ filio regnante partam, alterius Philippi temporibus ruituram. Versus Sibyllini sic incipiunt.

Æmathiæ populi (Argeadæ quîs gloria reges)
Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philippus.

Et respondit vaticinio euentus. Romani enim, teste Pausaniâ, Perseum Philippi filium & regno & vitâ exuerunt. Non dicam hîc *infantem semestrem in foro Boario triumphum proclamasse; scuta duo sanguinem sudasse: metentibus cruentas spicas in corbem decidisse.* In antiquis annalibus memoria super Deiotaro rege hæc prodita est: Omnia ferè ei auspicatò

Tacit. 1. histor.

Curt. lib. 3.

Suet. in Aug. cap. 94. 95. 96. 97.

Pausan. in Achaicis.

Liu. 21. Valer. Max. lib. 1. c. 6.

Val. cit. lib. c. 6. & Cic. diuin. 1. Beda lib. 1. Vita S. Patricij, aut etiam

 geren-

gerenti salutarem aquilæ conspectum fuisse: *quavisā abstinuit se ab eius tecti vsu, quod nocte insequenti, ruinā solo æquatum est.* Experturo Pompeio vltimā cum C. Cæsare belli fortunam, ferunt *militarem clamorem strepitumq́ armorum adeò magnum Antiochiæ & Ptolomaide auditum, vt in muros concurreretur; sonum tympanorum Pergami abditis delubris editum: palmam viridem Trallibus in æde Victoriæ, sub Cæsaris statuā inter coagmenta lapidum iustæ magnitudinis enatā.* Ipsæ sacrę litteræ testantur, antequam inuaderentur ab Antiocho Iudæi tempore Machabæorum apparuisse acies in cœlo armates. Persici quoque regni euersionem & inclytā Alexandri Magni victoriam per visum Arietis & Hirci aliaque monstra apud Danielem Deus prædixit: sicut & per Samuelem Saulis ruinam, Dauidisq; fastigiū, & per Ieremiam Iudæorum vtramque fortunam.

In Magno Rege Scotorū adueniente Patreq; conuersionemq; Scotorum prædictam.
Cæsar. 3. bell. Ciuil. & Valer. lib. 1. c. 6.
2. Machab. 5. 2.
Dan. 8. & seq.

Tametsi ergo omnia ex euentu coniici, quàm contrà, verius est, multa tamen reuera ominosa accidunt, quæ quia vulgò ignorantur, quid portendunt, solo euentu æstimantur. Vult enim ea Deus pręcognosci, vel ad roborandam aliorum spem & patientiam; vel ad alios cōmonefaciendos, vt impendentem capiti suo iram declinent. Dare quippe solet *metuentibus se significationem: vt fugiant à facie arcus.* Non rarò etiam pars præmiȷ est, prædictio præmiorum.

Psalm. 59. 6.

Satis

Cap. III. *Cometa prodigium, quid portenderit.*

SAtis præfatus. Ad libellos meos venio. Primo titulus est: *Prodigia bello præmissa bellumq; comitata.* Nimirum est quoddam vaticinij genus, in ipsis prodigiis Deo vaticinante, signumque consiliorum suorum oculis mortalium subiiciente. Sed verto paginam & pergo legere. *I. Prodigium Cometa in cælo accensus Anno Christi* 1618. Subiuncti sunt huic titulo sequentes versus.

De loco, motu magnitudine & caussis Cometa, qui sub finẽ anni 18. et initiũ anni 19. in cælo fulsit, Mathemata astronomica conscripsit Io. Bapt. Cysatus Soc. Iesv. Mathematica Professor Ingolstadij.

O nimium dilecte Deo, fortissime Princeps,
Cui dudum pictus cum stellis omnibus Æther
Seruit, cui toto famulantur sidera cælo!
Testis erit multo quem nuper crine Cometam
Vidimus, & longâ verrentem sidera caudâ
Palluimus nos turba minor, nisi nescia veri
Pectora de Vatum numero celeberrimus vnus
Iussisset meliora sequi; Namq; ille futuri
Ebrius, & Superûm plenus, quam cernitis, inquit,
Crinitam cælo faculam contemnite ciues;
Nil vobis, vestroq; Duci, ferale minatur.
Nescio quem Phaëthonta nouũ, illiusq; Magistros
Hæc cæli portenta petunt. Eat arduus ille
Et supra Patrem Icarijs miser euolet alis,
Non impune feret; radijs ferienda cometæ
Terga dabit, magnosq; infelix sentiet ictus.
Heu miser, heu tenui nondum maturus ab æuo;
Desine mi Phaëthon, nondum tua sceptra profanâ
Solicitanda manu, Lesciq; implere Tiaram

Nec cerebro, nec fronte potes; quæ iam tibi nulla est,
Ex quo vegrandi nuper sudare sub auro
Cæpit & Assyrios humeris circumdare pannos.
Tu quoq; consilij tam detestabilis auctor
Hæresis, & diris armata Rebellio tædis,
Cernis vt irato metuendus fasce Cometes
Explicet vltricem ferulam? Tibi sic rubet ille
Ulmeus, & tristi scripturus terga flagello.
At Tibi Boiugenûm fortunatissime Ductor
Blanditur molli feriens te crine Cometes,
Victoremq; tuis fingit virtutibus Arcum.
Namq; triumphali complexus plurima gyro
Sidera dum varios cœli circum-ambulat ignes
Multiplici anfractu, curuaq; ambage viarum,
Et sibi vel radium de quolibet accipit astro,
Ecce tibi tandem formosus nascitur arcus.
Illum & Orionius cum magno Baltheus Ense
Asperat, exuuiæ immanes, Heroibus aptæ;
Et Cancer (fauet hoc ex astris omnibus hosti)
Cessit purpureum Thoraca; modò ipse vagatur
Nudus, & amissis ridetur scilicet armis.
Quin etiam sæuo metuendus Scorpius ictu
(In totâ cœli caueâ non sæuius vllum
Est animal) caudæq; minas & fulmina diræ
Forficis ornando necquicquam impendit in arcu.
At verò in medio, summaq; crepidine dorsi,
Surgit Idumæo felix Victoria ramo.

Supe-

Superis gratiæ pro BAVARO ELECTORE, in quem ſpes auſpicij læto fine belli incidit. Quod ante quinquennium iam ominabantur pij ferè omnes, quibus læta minimeque luctifica lux cometæ viſa. Illa nimirum cometæ lux *columna* ſeu *nubis* ſeu *ignis* fuit, per quam *reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum: & ſubuertit rotas curruum, ferebanturq́ in profundum.* Sic & Iudæorum impietati puniendę excidium minitatus eſt cometes, ob Chriſtum diris ſuppliciis laniatum. Quia ergo te, MAXIMILIANE, Deus Ioſuam ſuum eſſe voluit, qui hos Cananæos extirparet, ecce quàm diu tibi Cometæ iſtius Solē in cœlo ſtare iuſsit? Quid igitur mirum, ſi in cœlum te laudibus tollo? Ipſum Numen nomen tuum cœlo, & Cometę iam tuum inſcripſit; & quà vtrumque ſidus currit, latè circumtulit. Tuæ enim virtutis portentum fuiſſe intelligunt, quicunq; facem illam in ſublimi radiantem conſpexerunt.

Exod.13.21. & cap.14.24.

CAP. IV.

Serenitatis, itemq́; inſolita lucis prodigia.

Supra lib.10, cap.8.

SEd quid porrò fatidicus meus libellus? *II. Prodigium: trium menſium conſtans ſerenitas.* Supra iā hoc prodigium indicaui. Nempe conſtanter *riſit Apollo*, quòd irriſores, tam conſtanter perſequereris. *III. Prodigium: vexillum ardens incombuſtum*. Vt rubus quondam Moyſi oblatus. Sed audiamus qualis & cuius vexilli flamma. *Die 22. Octob. circa*

Aubert. Miræus de bello Bohem.

Pilsinam velut induciis pactis, nostri hostibus imminentes, eos ad Raconitium sunt assecuti. Octobris 26. ad Placense monasterium vterq; exercitus accessit, & loco gradatim eleuato, velut in naturali amphitheatro (quod alibi non contigit) se se mutuò conspexerunt. Ibidem etiam à pluribus visum est boni ominis portentum: cuspis vexilli legionarij, Guilielmi Verdugi, Belgarum ductoris, quod postea in Pragensi prælio prælatum primo loco fuit, aliquamdiu ignea luce effulsit.

Quod & legioni quintæ Cæsaris, in bello Africano (quo tres vno die exercitus, Scipionis, Afranij & Iubæ superauit) Plutarchus memorat contigisse.

Val. Max. lib. 2. cap. 6. Liu. lib. 1. Dionys. 3.

Talem *Ser. Tullio etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuisse domestici oculi annotauerunt.* Hęc flamma Tullium ad regium fastigium euexit. Sicut & Verdugi flamma Ferdinandvm Caesarem in Bohemiæ regnum reuexit. *Æquè felicis euentus illa flamma, quæ ex L. Marcij ducis duorum exercituum, quos interitus P. & Cn. Scipionum in Hispania debilitauerat, capite concionatis eluxit. Namq; eius adspectu pauidi adhuc milites, pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta millibus hostium cæsis, magnoq; numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta ceperunt.*

Val. cit. Liu. lib. 25.

Vt

Vt ergo Castoris & Pollucis iubar antēnis nauium insidens prosperum cursum promittit, sic stella hæc ex apice Verdugiano emicans, illā *stellā* indigitabat, ad quā CAESARIS & BAVARI hostes paulo post erant naufragium facturi.

CAP. V. *Prodigia inter præliandū ostēsa, item in Vrbe quædā visa.*

IV. PRodigium. *Præsaga virorum & equorum hostilium trepidatio ante pugnam.* Pragensem scilicet, cum tamen nostris potiùs iniquiore loco constitutis fuisset trepidandum. Sed nihil tam altum, quod trepidet, *qui habitat in adiutorio altißimi.* Hostes igitur è monte Albano in nostros detonabant; in hostes pro nostris è cœlo tonabatur. Hinc illi palluerunt metu, & mox etiam morte. Quanquam quid de trepidatione solâ loquor? Ipsa victoria illa *prodigium* fuit. Vt adeò rebellio Bohemorum & à prodigio cœperit, & prodigiosè desierit. Neque enim minùs prodigiosum fuit præcipitatos illos ex alto tres viros, quàm istos sic cadere potuisse: cum tam illorum vita, quàm istorum interitus æquè mirabiliter fuerit administratus.

Psalm. 90. 1.

V. *Prodigium. Albus eques Victoriam certis de Victoriâ auferens.* Talis enim in prælio Durlacensi conspectus esse eques fertur. Certè tales hostes erant,

rant, qui tanto apparatu in campum prodierant, vt non solùm de Victoriâ nihil dubitarent, sed etiam locum iam in Bauariâ diuidendis spolijs designarent. Ipsi igitur passi sunt, quod alijs facere voluerunt. Armati venerunt, spoliati discesserunt. *Sic humana consilia castigantur, vbi se cælestibus præferunt.*

Val. Max. lib. 1. cap. 6.

VI. *Prodigium: æra turrium in varijs locis concinentia: & in quadam ciuitate, nocturno tempore conspecti in curiâ senatores sine capitibus aßidentes: Catholiciq; Sacerdotes longo agmine cum vexillis procedentes per plateas.* Cui quamuis nondum satis testatò prodigio, illa quoque prædictio pondus addit, quæ de eâdem ciuitate pronunciata, in non paucorum ore circumfertur. Præstabit igitur Deum placatum facere, quàm iratum expectare.

CAP. VI.

Sanguines apud Heluetios lacus prodigium.

VII. PRodigium: *Sanguis sanguinem tetigit: in lacu.* Quid hoc prodigij? In Romanis prodigijs legimus bellorum tempore; *Cære te aquas sanguine fluxisse.* An *sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos, & conuertit in sanguinem flumina eorum*: ita & nunc fecit Deus? Et fortasis fieri incipit, quod in Apocalypsi præuisum, vbi dicitur. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra ciuita-*

Osee 4. 2.
Val. Max. lib. 1. cap. 6.
Psal. 77. 43.
Apoc. 14. 19.

uitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. De quo autem nunc *lacu exiuit sanguis?* Nonne de Heluetico, à Tigurinis non procul disito, quem Germani vocant **den Haarstein**? Is nempe à Paschate Anni huius 1623. per aliquot iam menses, cùm antehac puram habuisset aquam, præter omnem morem, magnâ sui parte, humore quodam crasso, lento, rubido & sanguini simillimo, putentique tegitur. Sanguini fœdum fœtensque pus suffusum quidam repererunt. Et testantur prodigij veritatem non solùm senatorij ordinis viri, qui explorandæ rei causâ certos eò homines amandarunt, sed etiam linteola tincta in lacu, aliòque ad viros clarissimos & Respublicas cum claro sanguinis indicio perlata. Testantur rem & pisces mortui. Territi qui accolunt, ipsi monstrum tam insolitæ rei interpretantes dictitare solent: *Nostræ res non stabunt, nisi antiquæ religionis Sacerdotes recipiamus.* Quare nec humor ille stat, sed identidem à ventis in alium aliúmque lacus locum propellitur. Quippe nec in Heluetiâ vbique corruptus sanguis: sed alibi pura Romanæ Catholicæq; veritatis aqua, alibi pus & sanies hæreticorum.

Distat hic lacus a Frauuenfeld versus VVinterthur tribus horis. Habet alius locus, sicut antehac vbique aquam puram, adeoq; nō palustrem, quę fortassè dici posset ex putrido rubeo solo eum colorē traxisse.

Cap. VII. *Vaticinium de Germaniâ*

NOn finit me sciendi cupiditas esse prolixiorem. Solicitor secundùm meum libellum

renouanda; sed non sine sanguine purum.

Petr. Ribad. lib. 3. vita S. Ignatij cap. 11.

ibid.

inſpicere. Hem qualis titulus! *Vaticinia de bello, & rebus Germanorum.* Ad rem & alteram pagellam propero. *I. Vaticinium Petri Fabri: Germania ſanguine lauabitur, & priſtino ſplendori reſtituetur.* Hoc vaticinium longè clarioribus verbis ante 30. & longè ampliùs annos publico volumine à Petro Ribadeneirâ iam eſt vulgatum in vitâ ſancti Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris: vbi hæc exertè reperiuntur. *Hæreticorum furorem vehementer repreſsit,* Petrus Faber, *ac cum illorum anteſignanis & magiſtris in primiſque cum Bucero ſæpenumerò eſt congreſſus, tam acriter ac fortiter, (vt niſi illi obduruiſſent) fidem, quam ipſe profitebatur, facilè illis probare potuiſſet. Admirabilem pro totâ Germaniâ orandi ſpiritum à Domino acceperat: ſentiebatque,* AC VERO APERTE ETIAM PRAEDICABAT CATHOLICAM RELIGIONEM SVAE INTEGRITATI, ATQVE PRISTINO SPLENDORI TVM DEMVM RESTITVENDAM, CVM QVORVNDAM BONORVM SANGVINE, DEI IRA PRIMVM ESSET PLACATA. Hæc Petrus Faber, vel de Petro Fabro, Petrus Ribadeneira: qui etiam addit. *Fuit Faber omnino vir maximè pius, eruditus, ſpirituum diſcretione excellens, ſanitatum dono ornatus, orandi meditandiq; aſsiduitate præſtans: tantæ verò abſtinentiæ, vt aliquando ſex totos dies cibi potúſque nihil ſumſerit.* Quare meritò *pergratus fuit Alberto Cardinali Moguntino, apud quem diutiùs habitauit, Pſalmóſque Dauidicos in ſcholâ Theologicâ Moguntiæ eſt interpretatus, Gratus Othoni Cardinali Auguſtano, Epiſcopo tunc Spirenſi, multiſque* magna-

magnatibus, Principibusq́ Catholicis. Quod si ergo *Catholica religio suæ integritati atq; pristino splendori, tum est restituenda, cum quorundam bonorum sanguine, Dei ira* erit *placata*, iam mihi videor videre, quid lacus ille cruentus, & quid illud: *Sanguis sanguinem tetigit*, sibi velit? Caluiniana sanguinolenta hæresis, præter mentem suam Religionem nostram *reformat*. Quorum enim sanguinem minuit, religionem auget. Et nisi fallor, hæc ipsa est *mulier* illa, in cuius *fronte nomen scriptum:* MYSTERIVM (agnoscite vocem, & nuperum illud *Missæ mysterium* solis Caluinistis pro belli tesserâ vsurpatū) de quâ Diuus Ioannes ait: *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum* IESV. Hæc enim hæresis pręter multos è Societate Iesu ante hac tanquam testes Iesu indignè trucidatos, hac ipsâ bellorum procellâ aliquos, non solùm in castris morti, sed etiam in Transiluaniâ militum furori obiecit: in ipsa quoque cadauera sæuiens. Quæ multis plagis formosa, in cloacas abiecit, vt generosa vulnera deuenustaret. Sed lotæ sanguine suo animæ nullis corporum sordibus maculantur. Hæc eadem sanguinaria *mulier* Nicolaum Ruscam natum Locarni in pręfecturâ ditionis duodecim Cantonum Helueticorum; archipresbyterum Sondriensem in Rhetiâ superiore, sub Diœcesi Curiensi, virum sanctis moribus & S. Carolo Borromæo

Apoc. 17. 5.
Vide Anhaltinam Cancellariam.
Apoc. 17. 6.

Fr. Richard. à Rusconera in martyrio B. Nicolai cap. 8. & seqq.

dum in seminario olim Mediolanensi versaretur, inprimis charum; iam propè octogenarium senē, vestibus nudatum in equuleo dirissimè suspendit; non solùm Ioanne à Porcâ, Ciceriensi Ministro, eiúsq; symmystis Blasio Alexandro, Bonura Toutschio, Casparo Alexio, ac Stephano Gabriele pręsentibus, sed etiā vt Rusconera scribit, quamuis illi nō fateantur, carnificem in vinciendo & trahendo martyre adiuuantibus, immo crudelitate superantibus, funesque è quibus ille pendebat quassantibus arctiúsq; constringentibus. Durauit hęc scena biduum totū, donec inter acerbissimos cruciatus, & ardentissimas pro Grisonib. preces innocentissimā animam efflauit. Nondum satis sæuitum erat in viuum, mortui quoque cadauer pedibus conculcant, atque in equuleum denuo tollunt. Sed quod illi corpus ignominiâ, Deus gloriâ affecit. Nam insolito quodam fulgore, è tenebrosâ speluncâ coruscare, cœlestísq; fragrantiæ odorem spirare cœpit; & cum illi pergerent crudelitatem suam ostendere, raptarentque defuncti cadauer ad patibulum, infami sepulturâ notam illi inusturi, ostendit & Deus se irasci. Eâdem quippe horâ funestissima illa montis ruina totum Pluriense oppidum cooperuit, & longè quàm illi martyrem, luctuosiùs sepeliuit. Hæc Babylonia *mulier* ausa est in vsurpato illo & cruento Tusiensi iudicio, etiam crimi-

Idem ibidem cap. 27.

nalem

nalem processum instituere contra Reu.mum & Illust.mum sacri Romani Imperij Principē Ioannem Episcopum Curiensem, capite plectendum. Hęc *mulier* An.1622. *venerabilem P. Fidelem à Mayenfeldt Prædicatorem Capuccinum ex Heluetica Prouinciâ, pro fide Catholicâ in eodē oppido immanißimè trucidauit*, socio quoque ad mortem conuulnerato. Venerabilis Pater, erumpet & hoc parricidium istorum: qui dum te hominum numero subtrahere volunt, diuorum concilio adiecerunt. Denique si horum BONORUM SANGUINE DEI IRA nō satis EST PLACATA, quot pij Duces militésque in bello per Caluinistas excitato sanguinem profuderunt? Et quis non dicat religionis nostrę restaurationem magno stetisse, quæ PRINCIPIS quoque nostri periculo est inchoata? siquidem & ille inter volantes plumbi globos, ensésque & hastas pręliantium versans sanguinem suum Numinis, religionis, Cæsaris amore proiicere paratus erat. Horum ergo *sanguis sanguinem tetigit*, & *hi* sunt, qui *potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem*. Sanguis enim eorum clamat de terrâ ad cœlum. Sed progredior in legendo. *Apoc. 11. 6.*

CAP. VIII. *Alterum duorum religiosorum, alterius in Austriâ, alterius in Bauariâ, de præsenti rerū statu Vaticinia.*

II. V*Aticinium P. Iodoci N. Theologi pariter & viri admodum religiosi: Bohemia soleis equorum sternetur: tu autem* FERDINANDE *per multa*

 aduer-

aduersa ad regnum & imperium peruenture, rastrum erit Germaniæ. Aliquando ad summum periculum traheris! sed Dei est suos liberare in tempore opportuno. Hæc scilicet verba summatim indigitant ea, quæ notissimæ sanctitatis vir, Olomutij & alibi, prolixè, & quidem diu antè, quàm fierent, est præfatus. Enimuerò antè, quàm turbæ in Bohemiâ gliscerent, iam ille inter viuos esse desijt; Et tamen turbas illas orituras dixit: superaturúmq; Imperatorem: & alia, quæ nondum facta sunt, eidem cecinit futura.

III. *Vaticinium P. Iacobi Rem Brigantini: Intra paucos annos Indiam in Germaniâ habebimus. Germania, Germania redibis ad Ecclesiam. Et tu, MAXIMILIANE, Magnus euades, sed per magna.* Hunc Iacobum Rem, quisquis vidit, sanctum credidit. Nec quenquam tam candidi viri aspectus fefellit. Pluris fecerunt, qui virtutem eius domesticè nouerunt, nec pauca, nec obscura in eo sanctitatis argumenta quotidie deprehendentes. Hunc ergo, cum de Deo, deque animarum salute procurandâ calidissimè loqueretur, sæpè per suspiria, perque exclamationes aliud agentes, & aliud detegentes, res absentes aut futuras noscitauisse comperimus. Quoties ille animas eorum alijs commendauit, quos eodem ipso tempore, in loco longè dissito è vitâ decessisse, multis post diebus intellectum est? Quoties saluti magnatum ad Ecclesiam reducen-

dorum

dorum gratulatus eſt, cum alij ne ſuſpicionis quidem cauſam haberent? Et reducti oſtenderunt, eum non temerè eſſe gratulatum. Hic ergo ipſe etiã non paucis in Indiam proficiſci, & Chriſtum prædicare geſtientibus, placere quidem ſibi virtutem feruidam, affirmauit: Cæterùm talium breui Germaniam quoque noſtram neceſsitatem habituram. Itaque in ipſâ Germaniâ Indiam poſſe reperiri. Quid quòd diſertè annos nominaſſe dicitur, quibus bella plus quàm ciuilia inchoanda & terminanda? quibúſq; BAVARIAE DVCI, vel magnum diſcrimen, vel magnus honor excipiendus? Quin & locum vltimi certaminis aiunt eum deſignaſſe, victoriamque poſtremam melioribus promiſiſſe. Quare multi ex eo tempore cordati viri, in magnis rerum anguſtijs, tanti viri promiſsione ſe haud mediocriter ſunt ſolati; ſolanturq; etiam nunc tantò fidentiùs, quia quintus iam annus ijt, eo prorſus ordine & ritu, quo ille deſcripſit.

IV. V*aticinium totius populi: Regnum tuum cum anno finietur.* Ita paſsim omnes in compitis, in plateis, vbi primùm Fridericus ſceptrum arripuit. Aliqui etiam *hibernum regem* vocitauêre; vel quia frigidum ipſius regnum, vel quia inſtar niuis colliquefaciendum augurabâtur. Neque multùm vltra duodecim menſes ſe regnum

CAP. IX. *De Pragenſi aliiſque nonnullis Victoriæ vaticiniis.*

ex-

extendit, ne radices ageret. Nihil scilicet quod violentum, diuturnum.

V. *Vaticinium P. Dominici ex ordine Carmelitarum discalceatorum, natione Aragonij: Insidias cauete. Hostes inuadite, vestri erunt.* Aiunt intempestâ nocte virum hunc aliquando repentè nostros in armis esse iussisse: ipsum autem ad preces confugisse: Et tum quidem neminem hostium comparuisse, fereque aliquid de auctoritate monentis decerptum esse. Sed post paucos dies existimatio illius etiam cum fænore reddita est. Nam ex captiuis rescitum est, graues ab Hungaris insidias illâ ipsâ nocte paratas fuisse; sed nescio quâ diuinâ vi iterum, iterumque dissipatas. Nimirum non opus est armis militum, vbi excubant preces religiosorum: nec repellendi sunt, qui, ne venire possint, impediuntur: quanquam non ideò non venturi erant, quia non venerunt impediti. Idem ipse Dominicus, cum inter Duces de aggrediundo ad Pragam hoste disceptaretur, *certam à Deo victoriam pollicitus, Ioannis Capistrani & aliorum exemplo, Christi crucifixi effigiem in hostes intulit.* Quem ob vaticinandi inuidiam, intolerabili conuicio hostes, BAVARI *Veneficum* appellauerunt; pænè etiam illud vsurpantes:

Aubert. Mir. de bell. Bohé.

Virgil. 7. Aen.

Multa modis simulchra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum

Col-

Colloquio, atq; imis Acheronta affatur Auernis.
Hæc mundi merces est, & impiorum censura, qui *Matth. 11. 18.*
etiam de ipso Ioanne neque manducante neq; bibente dixerunt: *dæmonium habet.*

VI. *Vaticinium Ioannis Gottefridi Episcopi Bambergensis & Herbipolensis defuncti: VIDEBIS & GAVDEBIS.* Satis est, si gaudebimus, interea nos turba minor soliciti non erimus, quid visuri simus, vnde gaudeamus.

VII. *Vaticinium dicentis, ex RENATA natum etiam fore Turcæ terrorem.* Et fuêre qui dicerent, intra paucos annos hæresim in Germaniâ, & iterum intra paucos, paganismum in Turciâ delendum. *Qui Cyrum extollunt*, inquit ille, *visum in somnis Astyagi occurrisse aiunt, quasi è Mandanes, quæ Cyri futura mater erat, gremio pullularet vitis atq; Asiam omnem occuparet.* Itaque diuinantis populi *animum si veris implet Apollo*, è RENATAE gremio pullulauit, qui Turcas Asiæ dominos aut Turcarum amicos nominis sui auctoritate, si non etiam ense, percellet. *Liban. in Basil.*

CAP. X. Mathematicorum prædictiones quales?

TEmpus est & vltimi libelli res arcanas inspicere. Hem qualem titulum præfert! *Somnia mera, & vera.* Perlegam. *I. Somnium merum: Victoriam sibi alteriue, Deo extra ordinem non monente, certò polliceri.* Est enim Mars dubius, & consilia Numinis profunda. Vanus ergo augur est, qui ante hye-

mem, hunc, alterumúe locum certò promittit capiendum, aut coronam alienam reoccupandam. Quid si captator ipse capiatur? *II. Somnium meru: Mathematicorum de bellis bellorumq́ euentu & Principum negotiis prognostica fidem mereri.* Illi enim in his talibus

Tibull. lib. 3.

Dicere non norunt, quid ferat hora sequens,

ne dum, quid sequens annus. Facessant ergo Galgenmayriana illa omina & prædictiones, quamuis plerumque ipsis aduersarijs pessima minitantia; & non rarò in caput ipsorum recidentia. Quid enim stellis cum hæreticis? non norunt illæ distinguere inter orthodoxum, & non orthodoxum: neque inter iustum & iniustum. Voluntatis ista sunt. Voluntas astris non alligatur, neque stellarum necessitati seruit humana libertas. Quod si ergo Mathematicorum nonnulli aliquando velut ex tripode oracula fundunt, & fata mortalibus canunt; tum vel conijciunt, vel aliundè quàm è sideribus seu benè seu malè discunt. Ad quam classem & illud prognosticon spectat, quod Ranzouius his verbis commemorat. *Friderici II. Imperatoris Astrologus ab eo interrogatus, cur tantum honoris Rudolpho Habspurgensi Comiti pauperi, in aulâ suâ tunc versanti exhiberet; respondit:* Mortuis tuis filijs, quorum adhuc decem supersunt, ipse & posteri eius ad tua regna peruenient. *Nam anno Christi 1273. Calendis*

Ioan. Ranzouatione Dan' en lib suo Colonia an. 1585. edito.

lendis Octobris R*VDOLPHVS à Germanis Principibus Francofurti, in Regem Romanum eligitur, cum Basileam obsideret. Et hodierno adhuc die videmus* R*VDOLPHI posteros regnum Neapolitanum, & Ducatum Austriæ & Sueuiæ, vnà cum Imperio & regno Neapolitano, obtinere. Modernus enim Imperator ab eo ditiones hæreditatis iure accepit, & Philippus Hispaniæ Rex ex eodem natus regnum Siculũ & Neapolitanum nactus est.* Sed progrediamur in libello, ac velut in somnio & per somnia ambulemus.

CAP. XL. *Ioannis Liechtenbergij prognostica quaedam.*

III. S*Omniumne merũ an verum? Ioannis Liechtenbergij prognosticõ.* Illud nẽpe, quod primum in hac ipsâ Academiâ ante quinquennium ferè publicâ est oratione in summâ hominum frequentia & admiratione discussum. Nam de antiquioribus: non de his nostris temporibus Liechtẽbergium loqui sapientes rectè arbitrantur, cùm multa nostris non quadrent, & antiquis quadrent: qui apertè nominantur. Alij de præteritis ita loqui censent, vt futura simul depingat, qui mos est Prophetarum. Certè fuit, qui in typo euulgaret, quæ tempori huic congruunt, ab alijs excerpta, relictis ijs quæ planè aduersa sunt. Nam postquam magnam Pragę postliminio reuertentibus Catholicis Sacerdotibus animorum mutationem factã esse dixisset, adiecit: *Vt de istâ, post Friderici Palatini expulsio-*

Aubert. Miræus Bruxellẽsis in cõment. de bello Bohemico, pag. 53.

pulsionem, futurâ apud Bohemos Reformatione, Ioannes Liechtenbergius, celebris apud Germanos Astronomus, non omninò vanus fuisse vates videatur. Cuius quidē Prognosticon, anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto scriptum, & Coloniæ anno 1526. secundò excusum in gratiam Curiosorū hîc libet attexere. Attexamus & nos, sed tam cū freno, quàm cum augmento; vt in nostro antiquissimo exēplari habetur. Penes Lectorem erit censere, quid inter somnium & vaticinium intersit, quanquam nec somnia semper contemnenda. Et Liechtenbergius non solùm Ptolomæum, sed & sanctam Brigittam, Ioachimum Abbatem & Reynhardum sæpiùs laudat, qui non ex Mathesi, sed aliundè suas prædictiones hauserunt.

Virg. Aeneid. duas vult esse portas somniorum, vnam ex ebore in falsis, alteram ex cornu in veris.

Ex cap. 7: post titulū: Septē principes electores circa aquilam stantē supra nauim quasi submersam.

Sedes Bohemorum hæreticabit in Alemanniâ, & Zizanio denigrabunt triticum Prælatorum Rhenensium. Flumen Palatinorum tyrannisabit, adducens alienos in propriam patriam: quod, heu, dolendum erit. Aër Moguntinus Ecclesiasticabit, solis precibus placabit Cunctipotentem.

Attendite viri prudentissimi dictum Domini dicentis: Omne regnum in se diuisum desolabitur: Estote ergo prudentes, ne Imperium destruatur: cessante enim sacro Imperio, sæculum consummabitur. Aspicite Aquilam quasi deplumatam: heu, pennulæ ceciderunt ab alis eius, quia volare nequit. Omnes ergo Principes indubitanter, qui ad

ad hoc dant operam, vt Imperium destruatur, quantum ad hoc sunt præcursores & nuntij Antichristi. Caueant ergo septem Principes Electores, & eorum ministri, ne peccatis & culpis eorum exigentibus, iusto Dei iudicio, Imperium ab ipsis auferatur. Nam necesse est, vt scandala veniant, væ illis, per quos sunt ventura.

Nouus Princeps exurget in breui tempore. O alma mater Ecclesia, plange! O Virgo Rheni, clama: vlulate Pastores & Doctores. Factus est mihi quasi Leo insidians: ideò versum est in luctum gaudium meum. O plebs misera! quia Regulus nouus surrexit in te, non Gubernator, sed Desolator fideliũ, non Consolator, sed Deprædator spiritualium, non Protector, sed Depressor orphanorum & viduarũ, in totâ altâ Germaniâ, Nouus Destructor, Rex, sine rugâ, Germaniæ Principibus videbitur accedere. Hic patrimonij IESV *dilapidator, hic erit Draco perniciosissimus, persequẽs Sponsam Christi, in multis diœcesibus: qui perturbabit terram, ponet orbem desertum, nõ dormiet, sed continuò machinabitur malum: cuius consilium est cum impiis, & stabit cum consilio iniquorũ. Nullus veterum tyrannorum fecit tot & tanta perniciosa, quanta hic in populo Alemannico faciet. Non timebit* DEVM, *non parcet Sanctis: non formidat capita fidei, non veretur exterminare loca sacra, non pudet eum committere sacrilegium. Heu quanta perficiet contra Catholicam ordinationem! vix lingua sufficit enarrare. Punieris à* DEO, *ô radix peccati! verè punieris à* DEO. *Nam*

Ex cap. 9. Cui titulus. Nouus Princeps exurget in breui tempore.

hoc tibi ſignum erit: Aurum ſapientiæ tuæ obſcurabitur, quia phreneticabis, rumor famæ tuæ infatuabitur, mutabitur color tuus optimus, & diceris per totum mundum Hæreticus. Obmuteſce ergo abominatio, ne cogites quouis modo ſeminare zizaniam ſilueſtris Leonis inter Germaniæ Principes ac Imperium. Addit meus codex: *Anni tui ſicut humana ſunt tempora, non æterna.*

Ex cap. 20. [illegible]

Heu Beelphegor, & Hæreſiarcha Bohemorum; Regulus venenoſus, qui ſe pro Rege Bohemiæ gerit, Romanæ Eccleſiæ, ac orthodoxæ fidei hoſtis acerrimus; ſponſæ Chriſti turbationes plurimas afferet, egregiosque viros interficiet. O Iuuenis ad bella ductus per tuos, quomodo audes viuere in ſtatu, in quo mori non audes? Neſcis quod ſepelieris ſepultura aſinina? Progenitores tui, viri Catholici, viri famoſi. Quid tu gloriaris de Doctoribus tuis excommunicatis? Tu pelles mortuas vis conſulere, id eſt, hæreticos, qui neſciunt quid dicunt. Sequere Paulum.

Cum in ætate tenera fuiſti, ſicut à parentibus ducebaris, ſic feciſti. Iam vbi ratio ſenſui cœpit dominari, excute, quæſo, quæ ſunt paruuli. Corrige, emenda vitam tuã, & Idolum tuum excommunicatum, vt viperam, fuge. Poſt te veniet, qui Eccleſiam Pragẽſem adducet ad Matrem fidelium, & erit noua Reformatio in Bohemia. Hæc Miræus huculque excerpſit, non quòd non videret, alia paſsim intermiſceri, quæ ne ille quidem optaret noſtris temporibus conuenire; ſed quoniam ſciuit vulgus delectari etiam ijs, quæ ſpecie dun-

duntaxat blandiuntur. Quibus ex eâdem, vt auctor vocat, *Prognosticatione (An. 88. ad magnam coniunctionem Saturni & Iouis, quæ fuit An. 84. ac eclipsin Solis Anni sequentis. scilicet 85. confectâ)* plura adijcere licet: vt plura congruere videantur.

Titul. Liechtenbergij.

Nam cap. 22. cui titulus *Comes Palatinus*, promittit se eidem Friderico si Superis placet, (per antiphrasin, aut ironiam mirè laudato, nam nisi ironia esset, sequentia statim nimis enormiter præcedentibus aduersarentur) explicaturum, quid illi eclipsis portendat. Ita ergo loquitur. *O dux sincerissime fortunam influxam à cœlestibus noli amittere. Tu imitaberis domesticos tibi contrariantes. Regem lilij excitabis. Aquilam dormientem prouocabis. Leonem siluestrem aduersus Ecclesiam insurgere & garrire facies. Tu in altissimo cacumine scalæ tuæ existis. Aspectum amicabilem arripuisti. A leunculis honorem percepisti. In dolos præparasti. Leunculos domuisti. Attende, quid dicatur. Qui se existimat stare, videat ne cadat. Heu quot lilia in agris tuis succrescent? Nam subditi tui per hanc sæuissimam eclipsationem ab inimicis aut æmulis opprimentur. Alii à subditis & familiaribus dominandi caussâ patientur insidias. Simili modo ciuitatibus & villulis tuis, gubernatoribus & præsidibus crudeli semper feritate præsens eclipsis obsistet, varijsque periclitabuntur insidijs. Alios namque ex honoribus & administrationibus suis cum dignitatis iacturâ deponent. Alios sub principatu*

Ex cap. 22. Cui titulus. Comes Palatinus.

cipatu tuo turbulentis seditionibus oppressos, popularium manibus dissipatos, taliter interimet, vt mortis eorum auctores nec inueniri possint nec dici. Multa hinc quoque ad interpretationem rapi possunt à credulis & curiosis. Sicut & ex ijs, quæ paulo post, de *Principibus Baioricam terram tenentibus* (sic loquitur auctor) in hunc modum subijciuntur, præmisso titulo illo: LEO SVPRA MONTEM CORONATVS ET TRES LEONES SECVM SVB MONTE. Post talem enim titulationem sequitur. *Princeps Illustrissime qui leonem geris, in capite coronatum, liberum omni impedimento. Attende vt Principibus congruit clemẽter. Nam iuxta dictum Principis Astrologiæ Ptolomæi: Vir sapiens prædominatur astrorum influxibus, præsens eclipsatio prædicit tibi & tuis fortunas varias. Nam tibi & tuis leunculis montensibus maximæ gloriæ conferentur insignia, aut tu vel de sanguine tuo vnus erit equitum dux, aut peditum duces exercitum, aut nauale committetur Imperium, aut aliter vtcunq; apprimè equo vectus militares exercebis armaturas. vitæ necisque potestatem acquirens. Aduentum tuum ciuitates & castra semper perhorrescent, & nisi eclipsis contra operaretur, processu temporis omnis felicitatis substantia tibi & tuis accederet. Verùm fatidica hæc eclipsis in præcipitiũ, & malæ mortis exitium ducet, nisi prudenter vigilaueris.* Hæc talia, licet non pauci pro vaticiniis, ego pro somniis habeo. Non quòd non de nostris temporibus aptè dicantur pleraque, sed quòd de nostris
tem-

temporibus dicta non sint; quòd dicta de variis, & velut cento ad vnum accommodata alterumue, omissis iis quæ accommodationi apertè refragantur: quòd loquendi modos contineant periculosos: quòd fato faueant: quòd libero arbitrio fibulam iniiciant: denique quòd Poëtarum more ea prædicant, quæ iam antè contigerunt.

OMissis igitur his oraculis, mallem ea vobis recitare, PATRES ACADEMICI, quæ ad calcẽ Libelli tertij de futuris reb. promittuntur. Sed quoniã illa partim Chaldaicis, partim Ægyptiis notis characteribusq; sunt expressa, longiore mihi, pro illorũ interpretatione opus est morâ. Et tempus ipsum optimus est interpres vaticiniorum. CAP. XII. *Ipsius Poëta vaticinium.*

Interea tamen ne tot vaticinia sine meis quoq; vaticiniis ad SERENISSIMVM DVCEM atque ELECTOREM nostrum perferantur, apud Superos, vates esse iussus incipiam & ego vaticinari.

Bene spera FERDINANDE CAESAR, bene MAXIMILIANE ELECTOR, quàm diu pro Ecclesiâ belligeratis, portæ inferi aduersum vos non præualebunt. Pati aliquid potestis, quia adhuc mortales estis; succumbere non potestis, nisi succumbere Deus posit, cuius caussam defenditis. Quanquam & corpus ipsum vobis vile sit, maiorem gloriam videntibus. Sic enim mortis spernaces æterna vita manet. Et si vel maximè diuina prouidentia forti- *Matth. 16. 18.*

 tudi-

tudinem vestram rebus aduersis exercere velit, nihilo hostibus mitius erit. Vos, cum Israëlitis, per fluctus; illi in fluctus eunt. Et quidē, quia ipsi ita volunt, in rubri maris fluctus: quos ipsi sibi tot sanguineæ pluuiæ prodigijs ominantur. Ominatur & nouū insecti animalis genus, in spicis nuper foliisq; repertum. Cuius caput auctorem ipsorum Alastorem refert: loricatus venter, vim & arma, quib. religio eorū nititur, depingit: cæsitia & in filamenta minutissimè dissipata cauda, finem portēdit, in quē sunt desituri. Nec vos pigeat, ô magna capita, si illi vel fugâ, vel morâ enses vestros retundūt. Retundant sanè, ex retuso telo plaga fiet immanior. Accedit Numen in alto cometæ facē, sequimini: nihil vobis in terris satis erit munitum, postquam cælū expugnauistis. Non mutatur Deus, quā diu vos nō mutamini. Ipsi ergo vobis vates esse potestis, quid facturus sit imposterum, qui tot prodigijs vaticinijsq; suum vobis fauorem voluntatemq; tam manifestè declarauit. Interim cùm Deo agam, vt vos, sicut huc vsq; egistis, nunquam agere desinatis. Hoc clamore ego, hoc tota mecum Academia (quam vterque vestro nomine, præsentiâ, & studijs mirificè decorauistis) veteri more, nunc quidem superuolantes gloriæ vestræ & obnunciantes atros coruos; paulò pòst autem clamore supplici in nouam gratulationem conuerso, etiam argenteæ alæ columbam, corniculasque alienis plumis triumphantes de cœlo in terram aut deijciemus, aut potiùs insuperabili vestrâ virtute deiectas canemus.

Plutarch. in Pompeio ait plebem indignatione motam ita acclamasse, vt superuolans coruum attonitum in turbam decideret, Liu. lib. 19. dec. 3. clamore militum volucres, Paul. Aemil. de rebus gest. Francor. in vita Ludouici Crassi lib. 5. columbam fuisse lapsam refert.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS RERVM PRÆCIPVARVM.

L. Librum. C. Caput. N. Numerum Præfationis denotat.

A.


Cademia Ingolstadiana auctor Ludouicus Bonus Diues. præf. n. 13. Ferdinandus II. Imp. Auctor & Benefactor. præf. n. 16.

Achilles inuulnerabilis, militarium fascinorum typus. l. 2. c. 3.

Adami Hermansdorfij laus. l. 3. c. 13.

Æmilianus Scipio, Principis figura ob difficultatem belli. l. 15. c. 5.

Ægidis dictum Tillio congruens. l. 15. c. 5.

Agni Cerei vis in milite Hispano. l. 10. c. 7.

Ægrotantium militum cura in Principe. l. 3. c. 11.

Agasicles ingratus in Deos punitus. l. 10. c. 5.

Alberti Belgarum Principis auxilium in Cæsarem. l. 7. c. 8.

Albertus Comes à VVartenberg, M. Curtius Romanus. l. 3. c. 6. virtus Fratris Bennonis. ibid.

Alexander ab Haslang Dux, Regulus Romanus, Hercules, monimentum eius. l. 3. c. 5. pietas in S. Stephanum templo testata. hostium iniuriosa tractatio, ibid.

Alexander à Groot. laus. epitaphium. l. 3. c. 7.

Ambrosij Spinulæ, Philippi Venafri Marchionis filij virtus. l. 7. c. 8.

Amphiarai telum, figura traditionis Electoratus. l. 7. c. 12.

Amuleta militum pia & impia. l. 10. c. 6. & 7. l. 9. c. 5. de impijs plura vide, Dæmonis cultus.

Anastasis miranda mortuorum. l. 2. c. 16.

Angelorum in bello patrocinium. l. 9. c. 6. in Ducem nostrum ex triplici causa. cultus eorum hebdomadarius currente bello in Bauaria, & alijs Prouinciis. pro nostris pugnantes visi ab Hostibus. Ordo S. Michaelis. eius origo. Ecclesiæ protector. cur Archangelus dictus. ibid.

Anholdini Baronis encomium. l. 3. c. 13.

Animæ quorundam è corpore excedentes, & redeuntes fabulose l. 2. c. 6.

Apicij luxus l. 5. c. 3. vide, Heliogabali.

Apollo Bauaricus, Scientiæ Principis index l. 4. c. 9.

Apostolis 12. tormenta curulis Ducis l. 9. c. 7.

Apostolorum auxilium in cultores. exempla. in Ducem l. 9. c. 7.

Aquauiuæ Neapolitanorum militum Centurionis mors l. 3. c. 7.

Arcus Triumphalis Cæsari, & Duci positus l. 7. c. 5. & seqq.

Aretij puer natus vnimanus l. 2. c. 6.

Argi & Mercurij statua cyburei signum l. 12. c. 3.

Armamentarium Martis. arma tam hostilia; quàm nostra in emblemata versa. l. 15. c. 3. 4. & 5. tubarum, lituorum, cornuum hostilium & nostrorum inscriptio l. 15. c. 3. vexillorum hostilium lemmata & emblemata, epiphonemate auctoris illustrata ib. c. 4. Duci à Marte dicatarum loricarum, clypeorum, galearum, ensium, hastarum. Herculis Arcuum, fistularum ænearum inscriptiones l. 15. c. 5. Martis Adamantinæ tunicæ lemma. Ibid.

Ars Imaginum motum exprimentium l. 7. c. 2. colores, picturasque apparentes qui exprimat. ib. c. 3. Natura quomodo rerum imagines seu species formet l. 7. c. 4. Præstigiatorum necromantiam mentientium fraus. Ib. Arcus Triumphalis Cæsaris & Ducis ex hac arte l. 7. c. 5. & seqq. Ars volandi futilis l. 1. c. 9. Artificiosorum peristromatum laus. l. 7. c. 1.

Auctoritas Principis facilitati iuncta, Germanico ex-

pressa, & hosti veneranda. l. 14. cap. 2. metus hostium in Boium Percio comite crepitaculis suso adumbratur. ibi cap. 3. à 4. Principibus eum ad bellum comitatis. l. 3. cap. 2. Indicis instrumentis effigiata. l. 14. cap. 4. à pietate apud suos & exteros, Iosue statuâ. ibi. cap. 5. à præsentiâ Antigono expressa. ibid. à multiplici victoriæ gratulatione, Regum, Principum. l. 14. c. 6.

Auxilia Cæsaris. à Regibus, Principibus, Ducibus. laus. l. 7. cap. 8. Saxonis fides in Cæsarem. l. 7. cap. 8 Boij Ducis auxilium palmarium. ibid cap. 9. Gryphs ex aquilâ & Leone, Boij & Cæsaris coniunctorum figura ibid. cap. 10. Auxilium pecuniarium à Paulo V. P. M. l. 8. cap. 6. Auxilia sacra Ecclesiæ in periculis bellorum quàm potentia. l. 8. c. 14.

B.

Badius ciuis Campanus hospitium Romano renuncians Ducis imago. l. 16. c. 4.

Bauariæ florentis gloria Iside & Iunone. l. 5. cap. 4. felicitas Saturni falce expressa. l. 17. c. 2. constans eius cum Catholicâ Religione coniunctio. l. 8. cap. 3. pietas in Principem. l. 14. c. 9. Bauaricum & Catholicum fieri idem sunt in Superiori Palatinatu, vt olim Romanum & Catholicum. l. 8. cap. 3. gens hæc antiquitus bellicosa. l. 15. cap. 2. Boiorum olim concilium commune Drynæmeti ex 300. constabat. l. 16. c. 1. mores, vide, mos. Bauarica domus imago in domo Musarum expressa. l. 5. c. 5. ad fin. lib. & per duos seqq. Bauaricus Apollo. l. 4. cap. 9. Bauarici horti, horti Musarum. lib. 4. c. 8. horologia herbacea. ibid. c. 10. Fons Castalius. ibid. cap. 11. Bauariæ Principum vitâ functorum triumphus de victoriâ Maximiliani. l. 5. cap. 10. Proauorum imaginibus interius Musarum palatium præsigne. l. 6. cap. 1. Boij Ducis auxilium palmarium in Cæsarem. l. 7. cap. 9. Bauarici Sancti. l. 10. c. 1. Boica fortitudinis insignia & argumenta. l. 15. c. 5.

Balthasari Marada virtutes. l. 7. c. 8.

Bella plerumque prospera bellantium pro Deo. Pontifice, aut Ecclesiâ; ab exemplis sacris, profanis. l. 8. c. 9. Bellorum caussæ in Germaniâ. l. 2. c. 5.

Bellerophontis casus, littera. l. 4. c. 5.

Brunonis Comitis à VVartenberg laus. l. 3. c. 6.

Bibliotheca Heidelbergensis à Boio Gregorio XV. S. P. pro trophæo missa. l. 8. c. 10.

Bohemorum mos in regno tradendo per vexilla. l. 7. c. 9. Sigismundum Imperat. toto imperio armatum vicére. l. 2. c. 11 nunc victi à Duce laudem Inuictorum perdidére. ibid.

Boleslai pudici victoria contra Russos ipsius & coniugis Kinda precibus parta. l. 8. c. 9.

Britonum victoria contra Saxones, Pictosque, S. Germani Episcopi, Sacerdotum eius, & piorum precibus obtenta. l. 8. c. 14.

C.

Cæcinæ Volaterani hirundines celeritatis Boicæ symbolum. l. 12. c. 5.

Cæsaris auxilia. l. 7. cap. 8. 9. 10. l. 8. c. 6. offensio iusta ex electione. Nomina electorum de fenestrâ, incolumitas miraculosa. l. 7. cap. 6. l. 20. c. 5. ex inauguratione Friderici illegitimâ; cuius figura T. berij Gracchi seditio. Lysimachus coronatus. l. 7. c. 6. ira iusta eius in rebelles. l. 7. cap. 7. stantis propinatio Ratisbonæ inter solennes epulas in salutem noui Electoris. celebre eius dictum. l. 7 c. 9.

Cæsaris, Pompeij celeritas in vincendo figura Ducis. l. 7. cap. 9.

Caij Curionis duplex pensile theatrum. l. 18. c. 10.

Calani Indi mors, figura à lue Pannonicâ extinctorum. l. 3. c. 8.

Caluinianæ hæresis effigies. l. 2. cap. 4 figura, Marsyas excoriatus. l. 13. c. 5. crudelitatis exempla. l. 20. c. 7.

Cami vrbis velox occupatio. l. 12. c. 5.

Capistranus Coruini prælato baculo signo Tau præfixo miraculosam à Turcis victoriam reportauit. l. 10. cap. 6.

Caroli V. Imp. miraculosa victoria de Lutheranis. l. 8. c. 9. vestigia eius Ingolstadij visenda. ibid.

Caroli Longeualij Comitis Buquoij virtus. l. 7. cap. 8. Mansfeldium cecidit. Comitem Turrianum ab obsidione Viennæ reuocauit. ibid.

Castalius fons. l. 4. c. 11.

Castrorum Victoriæ exterior facies. l. 3. cap. 1. & 2. interior. l. 3. cap. 3. I. eius Regio Marte vel lue confectorum monumentis inclyta l. 3 cap. 4. vsque ad 10. II. Ægrorum. l. 3. cap. 11. III. validorum militum. l. 3. cap. 12. IV. Bauaricorum militiæ Ducum. l. 3. cap. 13.

Castra Musarum. l. 4. c. 1. Olympus mons. figura. ibid. cap. 2. Bellerophontis casus. figura. ibid. cap. 3. & 5. Pegasi in terras descensus. vsus. significatio. ibid. c. 4. itineris longitudo è terris ad stellas. ibid. c. 6.

Casus Bellerophontis. littera. l. 4. c. 5.
Caussa bellorum in Germania. l. 2. c. 5.
Celeritatis symbola in Mercurij Circo. l. 12. c. 1. celeritas Ducis in apparando. l. 12. cap. 2. in vincendo. ibid. cap. 4. Graciæ tarditas quibus figuris delineata. Ducis quibus. l. 12. cap. 5. Cami vrbis velox occupatio. ibid. Hirundines Cæcinæ Volaterani celeritatis symbolum. Mercurius Catholicorum Boius. ibid. Ægidis dictum. ibid. cap. 2. celeritas hostis fugacis distitubo perstricta. l. 12. c. 5.
Cerua Vigennam trauans Clodoueo victoriam portendit. l. 9. c. 2.
Ceruus in vrbem insiliens, Boica celeritatis symbolum. l. 12. cap. 5.
Chorea cælestium festiua l. 18. c. 6.
Christianorum contra Turcas & Persas victoria ope SS. Georgij, Demet. & Merc. l. 9. c. 8. in marg.
Christophori Comitis à Zollern in bello defuncti laus. l. 3. c. 8.
Christus puellus nascens ab hostibus exoculatus l. 9. c. 5.
Chrixus Dux, Brenni populi, gentem Boicam antiquitus bellicosam probant. l. 15. c. 2.
Cimbri praliantes Ligæ emblema l. 6. c. 3.
Circus l. 12. c. 1. Circenses ludi cælitum. l. 18. c. 10.
Clamore plebis, militum aues è cælo delapsæ l. 20. c. 12.
Clementia Sigismundi Imperatoris. l. 2. c. 11. Principis in hostem l. 2. c. 7. & 11. l. 13. c. 4. & 5.
Clælia Virgo Romana Victoriæ confertur. l. 4. c. 4.
Clodauei victoria contra Alaricum benedictione S. Remigij Episcopi, & D. Martini ope obtenta l. 9. cap. 2. exemplum militaris disciplinæ in militem transgressorem legis D. Martini veneratione lata, ab eo statutum. Ib. triplex prodigium victoriæ ipsius Ibid.
Cochleæ vndique obrepentes tarditatem Græciæ figurant. l. 12. c. 5.
Cælestium chorea l. 18. c. 6. venatio. Ib. c. 8. animarum ludi. Ib. c. 9.
Cælitum cultus ad vincendos hostes quàm efficax l. 9. c. 2. violatores puniti l. 9. à c. 3. ad fin. libri. cæli soliditas Poëta nequit aliter erudito l. 4. c. 7.
Colores picturasq; apparentes ars quomodo exprimat. l. 7. c. 3. quomodo natura rerum imagines, seu species. l. 7. c. 4.
Columba, phœnix cum comitatu auium Principis & Ligæ emblemata. l. 6. c. 10.
Cometa Cæsari regnum: Maximiliano Electoratum: Friderico exilium portendit l. 11. c. 4. Pertinacis numismatis figura, & inscriptio. Stellatorum Equitum ordo, origo. Ib. Stella Veneris cur cornuta. l. 13. c. 1.
Comitia hostium de nostris: nostra de illis l. 2. c. 5.
Concilium commune Beiorum Drynameti ex 300. constabat. l. 16. c. 1.
Constantini Imp. victoria de Maxentio. laus S. Aug. elogia Imp. in iure ciuili. l. 8. c. 9. eiusdem victoriæ ope Angelicá. l. 9. c. 6.
Corona lignea per ludibrium Cæsari suspensa in munitione hostili à Boico milite disflata. l. 7. c. 10.
Coruini victoria de Turcis per Capistranum parta l. 10. cap. 6.
Cosmi magni Etruriæ Ducis auxilium in Cæsarem. l. 7. c. 8.
Crazij de Scharffenstain elogium l. 3. c. 13.
Crepitaculorum Rusticanorum, quibus in Scotiá hostem fugarunt, forma l. 14. c. 3.
Crœsi historia, figura Monarchiæ. l. 15. c. 1.
Curiæ Iouis descriptio. l. 16. c. 1.
Cygni Apollini sacri cur? l. 5. c. 8. Cælestis Principem laudat. l. 5. c. 8. Quietem eidem in concilio Deorum de eo honorando habito adiudicat. l. 18. c. 4. Cygni in suos cura & omen, Serenissimi Parentis & filij emblema. l. 5. c. 7. pugna eius cum aquilâ Ibid. Superstitum & defunctorum Bauariæ Principum pracones cygni à superis destinati l. 5. c. 10. Parnassicorum laus. l. 5. c. 6.
Cyrus Gnidem variè diducit. cur? Romani in Tiberi id vetant. figura l. 6. c. 6.

D.

Dæmonis cultus apud hostes l. 9. c. 6. quo in vexillo vsi. Ibid. & l. 15. c. 4. in eius sanitatem pocula circumiere l. 9. c. 6. Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani vis in dæmones, figura Ducis l. 2. c. 6. Orciniani fascini damnantur, quorum figura Achilles inuulnerabilis l. 2. c. 3. l. 10. c. 6. & 7. à milite nostro per Ducem proscripti l. 10. c. 7. donaria idolorum sub tunicis militis Machabæi reperta eidem exitiosa l. 10. c. 7.
Darij, Xerxis, Persarum Regis tarditas in apparando bello contra Græcos l. 12. c. 2.
Dauidis victoria contra Goliath ope Angeli parta l. 9. cap. 6.

Defensor Ecclesiæ primus S. Sebastianus Martyr à C. Papa dictus l. 8. c. 12. nunc Maximilianus à Gregorio XV. P. M. Ibid.
Deorum super honorando victore Duce Concilium perorante Mercurio l. 18. c. 2. Solis Lunæq; in nouum Electorem obsequia Ibid c. 3. Saturni, cygniq; cælestis sententia de quiete Ducis Ibid. c. 4. Iupiter & Astræa Agonotheta, varia victoribus præmia proponunt. Ibid. c. 5.
Disciplinæ militaris exemplum à Clodoueo in militem violatorem legis, S. Martini veneratione lata, statutum l. 9. c. 2.
Doctores 9. vno die creati Ingolstadij durante bello l. 4. cap. 12.
Dominica victoriæ Pragensis quæ, & cur l. l. 7. c. 11.
Dominicani redeunt Pragam l. 8. c. 11.
Dominicus Carmelita Principi salutaris in bello l. 10. c. 6. eius vaticinium de nocturnis insidijs, & victoriâ nostrorum l. 20. c. 9. Capistrano similis Ibid. & l. 19. c. 6. hostili conuitio Bauari venesicus dictus Ibid.
Donum trinæ statuæ in curru Iouis, Neptuni, P. Seruilij Isaurici l. 1. c. 4. Iouis l. 1. c. 13. dona à cæteris Dijs Bauaro oblata, l. 19. c. 4. donum Poëtæ libellus prædictionis l. 20. c. 1.
Ducum, Comitum, Baronum Marte aut lue extinctorum in castris Boij, aut extra. Nomina. Laus. Monimenta l. 3. c. 7. & 8. Mors Calani Indi instar ipsorum. Ibid. c. 8.

E.

Ecclesiæ auxilia sacra in periculis bellorum l. 8. c. 14. precum vis Ibid. c. 15. à Duce vsurpatæ Ibid. & l. 10. c. 6. precum 40. horarum origo l. 8. c. 15. Ecclesiastici ordinis homines ad sua & suos reducti per Boium l. 8. c. 1. Ecclesia tota ab eodem defensa l. 8. c. 2. Ecclesiæ nota & hæc vna, felicitas Ecclesiam defendentium l. 8. c. 9. Ecclesiam, Pontificem, DEVM defendentium bella prospera l. 8. c. 9.
Ecclesiæ defensor primus S. Sebastianus à C. Papa, nunc Princeps à Greg. XV. dictus l. 8. c. 12. Ecclesiæ varij triumphi & gratulationes de victoriâ l. 8. c. 16. De Electoratu Ibid. Ordo Equitum militiæ Christianæ ab Ecclesiâ approbatus l. 4. c. 13.
Eiectio Cæsarianorum per fenestras, nomina, incolumitas miranda l. 7. c. 6. l. 20. c. 5.
Electoratus traditio Duci facta per Cæsarem. Amphibalus telum eius figura l. 7. c. 12. Gladium, cassis, vniones noui Electoris vetus Petri Comitis Sabaudiæ dictum exprimunt. inscriptio Pomi, Pilei, Epomidis Ibid. Electoralis inaugurationis dies l. 7. c. 1. Gratulatio Romæ ob Electoratum l. 8. c. 16. Pontificis Greg. XV. l. 8. c. 11.
Elisabethæ Principis fidelitas, pietas in coniugem, Heroinis Tolisto-Boicis & Romanis deformata l. 5. c. 11. & fonte. Ibid. Ars eius acupingendi l. 6. c. 1.
Emblemata Ducis, Eduardi Regis, Seleuci, Pietas Æneæ, Iosuæ pugnantis & solustantis l. 10. c. 8. Iani respicientis l. 11. c. 2.
Empusa monstrum l. 2. c. 3.
Engelberti Benikausij laus. l. 3. c. 10.
Ephesus obsidione Crœsi cincta miro Pindari consilio liberatur l. 9. c. 5.
Epistola Boij victoris ad Paulum V. Papam de Pragensi victoriâ l. 8. c. 7. responsio Papæ l. 8. c. 8.
Epistola Gregorij XV. S. P. quâ Electoratum Duci Boio gratulatur l. 8. c. 11. Responsio Ducis l. 8. c. 13.
Ernestus Mansfeldius cæsus à Buquoio l. 7. c. 8. eius fugacitas carpitur. l. 3. c. 7. l. 12. c. 5. l. 8. c. 8.
SS. Eucharistiæ cultus & religio in Duce l. 10. c. 4. Electoratus ei causa, vt olim Rudolpho Habspurgensi Comiti, Imperij. Ibid. nonus Masinissa immoto corporis situ in orando numine. Ibid. puluinarium mollitiem repudiat. palam in campis hoc epulo pastus Ibid. quàm sacrilegè ab hostibus tractata, l. 9. cap. 5.

F.

Felicitas terræ Bauaricæ, Saturni falce l. 17. c. 2. Ducis 3. symbolis adumbrata Ibid. Romanis Impp. præfertur. Ibid. aduersa aliqua in bello felicitatem non tollunt Ibid. cap. 4. nec pericula Horatij Coclitis exemplo Ibid. cap. 5. felix Princeps verè Christianéque quis dicendus ex S. Aug. l. 17. cap. 7. talis noster Ibid. felicitas pro Ecclesiâ pugnantium, & infelicitas abeâdem desciscentium. l. 17. cap. 8.
Ferdinandus II. Imp. Auditor Academiæ nostræ & Benefactor. præf. n. 16. Propinatio Ferdinandi Imp. Ratisbonæ in salutem noui Electoris. lect. 7. cap. 11. Festi dies per victorias. Ladislai Regis, Boij Ducis. l. 10. cap. 4. Mariæ de Victoriâ. l. 8. cap. 16.
Fidelis à Maienfeld prædicator Capuccinus immaniter tru-

ter trucidatus à Caluinicolis. l.20.c.7.

Fides Agesilai, l. 2.c.13. Boij, vel hostis laudanda. ibid. à c.12. ad fin. lib. In Cæsarem. l. 5. c.10. l.7. cap.11. & seqq.

Fides Saxoniæ Ducis in Cæsarem l. 7. c. 8.

Figura. Pertinaciæ numismatis l. 11. c. 4. celeritatis l. 12. c. 1. 3. & 5. tarditatis l. 12. c. 5. ambitionis l. 13. c. 2. Caluini & prolis eius l. 13. c. 5.

Fœderatorum præsidium Deiotarus Tolisto-Boicus l. 6. c. 2. Boij imago Ibid. Ligæ emblema in Cimbris præliantibus Ibid. c. 3. fœderum vis & venustas in Sciluri iaculis & Musicâ Ibid. cap. 4. Concordia pro muro ex Tyresij dicto, Lacedæmoniorum facto. Ib. c. 5. fœderibus dissipatis, dissipari vires Cyrus Gnide variè diducto, Romani in Tiberi id vecantes docent. Ibid. c. 6. eadem est animorum & auxiliorum coniunctio, ex Solonis dicto, Romanorum facto Ibid. c. 7. fœdera diuersa, vt & ipsi fœderati Ibid. c. 8. Ichneumon fœderum & Ligæ simulachrum Ibid. variarum rerum vis coniuncta auctior piorum fœderum est magistra Ibid. c. 9. Ioannes Godefridus Bamberg. & Herbip. Episcopus, alijque Ducem cur secuti? dictum eius celebre Ibid. Columba, Phœnix cum comitatu auium, Ducis & Ligæ emblemata Ibid. Alios in Patria periculis Soloni, alios ceteris Atheniensibus similes esse. ibid. cap. 11. Maximilianus Soloni, Fridericus Pisistrato similis ibid.

Fons Castalius horti Bauarici. & ad eum nympharum inuitatio. l. 4. c. 11. Fontinalium coronandorum mos. præf. n. 12.

Forticudo Ducis. Gens Boica antiquitus bellicosa à Chrixo Duce, Brennis populis. l. 15. c. 2. Fortitudinis Boicæ insignia & argumenta. ibid. cap. 5. Æmilianus Scipio ob difficultatem belli Ducis figura. ibid.

Franciscani PP. Pragam rediere. l. 8. c.1.

Fridericus Comes Palatinus, Gracchus. l. 7. c. 6. Lysimachus. ibid. Pelicanus. l.13. c.3. Marsyas c. 5. Pisistratus. lib. 6. cap.11. vexilli eius lemma & emblema. l. 15. cap. 4. Pilei, Pomi, Pallij Electoralis iactura Iugurthæ auriculâ, Dracone Hesperio figurata. l. 19. cap. 3. Saturni lusus in periscelidem amissam. l.19. c.4. Psittaci, in Pomum. l.5. c.3. Cometes eidem feralis. l.20. c.3.

Fridericus Dux pagum Ecclesiæ in Bohemiâ vendens mulctatur à S. Petro. l.9. c.7.

G.

Gaspar Questenbergius, Abbas Strahouiensis ex familiâ Præmonstratensi, Pragam rediit. l.8. c.1.

Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani vis in dæmones. l. 2. c.6.

Georgius à Gumpenberg Baro in bello defunctus. l. 3. c.8.

Germanici verenda facilitas. Boij typus. l.14. c. 2.

S. Germanus vindex effossorum corporis sui. l. 9. c. 3.

Globus aneus Constantinopoli repertus. l.14. c.5.

Guides diductus, non item Tiberis, cuius rei figura. l.6. cap. 6.

Gratitudo Principis in Deum rectà à victoriâ euntis in ædem PP. Capuccinorum, & solennem esse volentis diem prælij ad instar Ladislai. l. 10. c. 5. ingratus in Deos Agasicles exilio punitus. ibid.

Gratulationes de victoriâ Ducis & varij triumphi Ecclesiæ. l. 8. c. 6. Pauli V. Papæ. de victoriâ. l. 8. c. 7. Gregorij XV. Papæ de Electoratu. l. 8. c. 12. Regum & Principum super victoriâ. Nomina. l.14. c. 6. gratulatio communis ob inaugurationem Electoris. l. 2. c. c.

Græciæ tarditas in bello apparando, Troiano Equo, & Cochleis vndique obrepentibus deformata. Ducis celeritas Ceruo insiliente in vrbem. l.12. c. 5.

Gryphs figura Christi. l. 7. c. 10.

Gryphs ex Aquila & Leone, Cæsaris & Boij coniunctorum figura. forma carmine descripta l. 7. c. 10. Elisabethæ Principis insigne l. 5. c. 11. Gryphes & Sphynges Scylis Regis. Gryphs Galieni Imp. Gryphes, qui aureos montes colunt. Gryphs ex Aquila & Leone insigne armorum Pannoniæ Regis. Ibid.

Gulielmus Dux curâ in filium Maximilianum, Cygnus l. 5. c. 7. gaudium de filio, Rhodius Diagoras vt & numerum filiorum ac felicitatem exprimit. l. 5. c. 8. Pietate est Metellus Senex P. M. l. 5. c. 9. mutua parentis & filij officia. Ibid. repulsâ turpis pacis, Appius ibid. Senectâ felici Gorgias Leontinus Ibid.

H.

Hannibalis Herlbergeri laus l. 3. c. 13.

Heliogabali & Apicij luxus: quorum ille psittacis leones, pantheras, aliaque animalia pauit. vterque capitibus psittacorum & Phasianorum ingentes dapes refertas Palatinis exhibuit l. 5. c. 8.

Helio-

Heluetiorum Catholicorum victoria in hæreticos perpetuata l. 8. c. 9.

Henricus Percius Comes crepitaculis fusus, imago hostium l. 14. c. 3.

Herbacea horologia horti Bauarici l. 4. c. 10.

Herculis cum Achelo & Hydra certamen l. 18. c. 11.

Hirundines Cæcinæ Volaterrani Boicæ celeritatis symbolum l. 12. c. 5.

Honorij Imp. victoria contra Gothos miraculosa l. 8. c. 9. Bonifacio Papæ erat addictus. ibid.

Honoris Templum interiore sui specie quale. lib. 9. c. 1. exteriore. l. 8. à c. 2. ad fin. lib.

Horatius Cocles in periculis felix, typus Boij. l. 17. c. 5.

Horologij ouati descriptio. l. 15. c. 2. herbacea horti Bauarici. l. 4. c. 10.

Horti Musarum Duci dicati. l. 4. c. 8. Bauarici herbacea horolgia. l. 4. c. 10. Fons Castalius. ibid. c. 11.

Hostium auxilia & minæ cassa. l. 2. c. 6. terror miraculosus. ibid. c. 7. & 2. seqq. & l. 20. cap. 5. Henrici Percij Comitis fugâ expressus. l. 14. c. 3. iniquitas caussæ. l. 16. cap. 2. Principem & fidem eius laudant. l. 2. c. 11. quàm multis illorum vtile fuerit vinci à Bauaro. ib. c. 12. Laconico Pusioni vulpem prodere nolenti similes. l. 10. c. 3. iniuriosa tractatio SS. Eucharistiæ & sacrilegia in eandem & virgines sacras Numen in vindictam prouocarunt, vt olim Scoti ideò ab Anglis cæsi. l. 10. c. 3. Ioachimi Andreæ Sclikensis. l. 2. c. 12. Ioannis Iessenij. ibid. c. 11. Leandri Ruppelij rebellium punitio. ibid. c. 13. Sacrilegia in Diuos. B. V. lib. 9. c. 5. Christum nascentem, Iosephum, pastores. ibid. Prophetas, Apostolos. ibid. c. 7. Martyres, VVenceslai sacrarium, S. Vitum. ibid. c. 8.

Hydra. l. 18. c. 11.

I.

Iacobi Rem Brigantini Soc. IESV vaticinium de Germaniâ & Maximiliano. pietas in defunctorum animas & prophetiæ spiritus. l. 20. c. 8.

Ianus respiciens, Prudentiæ simulachrum. l. 11. c. 2.

Ichneumon Ligæ & fœderum effigies. l. 6. c. 8.

S. IGNATIVS Soc. IESV Fundator non sine curâ Ducis Bauari in Diuos relatus. l. 10. c. 1.

Ignes artificiosi & triumphus militaris fabulosus. l. 3. cap. 2.

Imaginum motum exprimentium ars. lib. 7. cap. 2. vide Ars. imagines rerum seu species quomodo natura formet. l. 7. c. 4.

Imperator vetus, duos filios in duas orbis partes cum milite mittens Cæsaris figura. l. 7. c. 8.

Imperatorum imagines præportãdi mos olim in I. Legionis coborte. l. 1. c. 12.

Indus Orientalis Bauaricæ aulæ prehensator. l. 3. c. 12.

Indi Calani mors, figura lue absumtorum. l. 3. c. 8.

Indica instrumenta potentiam Principis adumbrant. l. 14. c. 4.

Ingenium Psittacorum & cantus. l. 5. c. 1.

Ingratus Agasicles in Deos exilio punitus. l. 10. c. 5.

Innocentij III. per Gallos victoria in Albigenses l. 8. cap. 9.

Inscriptio, Pertinacis Numismatis. l. 11. c. 4. Platonis sigilli l. 9. c. 3.

Insignia & argumenta Boicæ fortitudinis. l. 15. c. 5.

Insignium Bauaricorũ albus cæruleusq; color in rhombos sectus laudatur. l. 5. c. 2. Pomum & Leo ijsdem meritò adiungi. ibid. c. 3. Bibliothecæ Heidelbergensi appressorum laus. l. 8. c. 10. insignibus Bauaricis & Imaginibus passim D. Michaël, vt tutelaris appositus. l. 9. c. 6. insigne Elisabethæ Principis Gryphs. lib. 5. cap. 11. Armorum Pannoniæ Regis Gryphi ex Aquilâ & Leone. ib.

Instrumenta Indica potentiæ Boicæ typus. l. 14. c. 4.

Intemperantiæ fornices. l. 13. c. 2. exempla, Alexander, Holofernes. ib in honoribus Fridericus. ib. c. 3. in luxu Romani. ibid.

Ioachimus Andreas Comes Sclikensis rebellis punitus. lib. 2. c. 12.

Ioannis Alberti à Preising mors & laus l. 3. c. 8. Ioannis Austriaci victoria de Turcis Pij V. Papæ precibus exorata l. 8. c. 15. Ioannes Bernardinus à Gumpenberg Baro in bello defunctus l. 3. c. 8. Ioannes Episcopus Curiensis, Imperij Princeps capitis accersitus à Caluinicolis vsurpato iudicio. lib. 20. cap. 7. Ioannis Ferdinandi Velin mors & monimentum, laudes l. 3. c. 8. Ioannis Georgij Saxoniæ Ducis auxilium in Cæsarẽ l. 7. c. 8. Bruglacheri mors & laudes l. 3. c. 9. Ioannes Godefridus Episcopus Bamberg. & Herbipol. alijque Ducem cur secuti. eius celebre dictum. laus. Mercurius Catholicorum vnde dictus l. 2. c. 13. defuncti vaticinium l. 20. c. 9. Ioannes Iessenius rebellis punitus l. 2. c. 11. Ioannis Liechtenbergij prognostica qualia l. 20. c. 11. Ioannes Lohelius Pragensis Archiepiscopus cum clero Metropolitano in vrbem rediji l. 8. c. 1. Ioannis Ranzouij

zonij vaticinium de Rudolpho Habspurgensi comite verum, licet non ex astris l. 20. c. 10. Ioannes Serclasius Comes Dux supremus Banatì. Nestor & Pachomius, Ægidi similis l. 15. c. 5. Ioannes, Senuphius, Ascet a Theodosio in bello salutares l. 10. c. 6.
Iodoci N. Theologi Soc. IESV vaticinium de Bohemiâ & Cæsare l. 20. c. 8.
S. Iosephus luminibus orbatus ab hostibus l. 9. c. 5.
Iosuæ statua, pietatem Boij effigiat l. 14. c. 5.
Ionis curiæ descriptio l. 16. c. 1.
Iudæ Machabæi victoria in Timotheum ope Angelicâ parta l. 9. c. 6.
Iuppiter laureatus Gigantes fulminans l. 1. c. 13. Agonotheta cum Astreâ Diis victoribus præmia proponit. l. 18. c. 5. Ionis quadriga l. 19. c. 2.
Iustiniani Imp. victoria de Vandalis Duce Bellisario benedictione Epiphanij Episcopi, & militum baptismo præmisso obtenta. l. 8. c. 5.
Iustitia & æquitas belli à parte Cæsaris & Ducis, iniquitas à parte hostium variè ostensa. l. 16. c. 2. & 3. ab hostium iniustâ pœnâ & personâ hostis ibid. c. 4. Badius Ciuis Campanus Romano hospitium renuncians figura Principis, & Ladislaus Rex protestatione bello Prussico præmissâ. Ibid.

K.

Kindaculle mons Austrogothorum amœnitas l. 11. c. 1.
Kirchmarij laus. l. 3. c. 9.

L.

Lacus sanguineus apud Heluetios l. 20. c. 6.
Ladislaus Rex diem Victoriæ à Prussis partæ per Episcopos interfectos referri curat l. 10. c. 4. figura Ducis ibid.
Ladislai protestatio bello Prussico præmissa Principi congruit l. 16. c. 4.
Lapsus aliorum erudit l. 4. c. 5.
Leander Ruppelius rebellis punitur l. 2. c. 13.
Lerchenfelderi laus l. 3. c. 9. & 10.
Letoslai victoria ope SS. Petri & Pauli l. 9. c. 7.
Ligæ emblema, Cymbri præliantes l. 6. c. 3. Ichneumon, ibid. c. 8. Columba, Phœnix cum comitatu auium ibid. c. 10. vide plura verbo, Fœderatorum.
Lindeloi virtus l. 3. c. 13.
Litterarum inscitia grauissimum supplicium Mitylenensibus habitum l. 4. c. 14. literati milites. Studiosorum 300. Ingolstadiensium factum ibid. Bellerophontis. l. 4. c. 5.
Lituanorum de Moscis victoria ope S. Casimiri l. 9. c. 8. in marg.
Ludi. festiuæ cœlestium chorea. l. 18. c. 6. Musarum cantus, & varia Dearum præmia. ib. c. 7. Venatio cœlestis. ibid. c. 8. varij animalium cœlestium ludi. ibid. c. 9. Circenses. ibid. cap. 10. Thesei cum Minotauro, Herculisq; cum Acheloo & Hydrâ certamen. ibid. c. 11. Victores Dij Bauaro sua præmia transcribunt. l. 19. c. 1.
Ludouicus XI. Rex Galliarum Agnetis Bellæ sepulchrum loco moueri vetuit, pietatis in mortuos insigni exemplo. lib. 9. c. 3. Ludouicus Bauarus Dux Auctor Academiæ Ingolstadianæ. præf. n. 13.
Luna Palatium & Aula. l. 11. c. 5. quartâ luna nati. l. 11. c. 6. Lunæ & Solis obsequia in Electorem nouum. l. 18. c. 3.
Lysimachus coronatus Friderici typus. l. 7. c. 6.

M.

MARIAE Virginis cultus in Principe. l. 9. c. 5. S. MARIA tessera militaris, Cæsaris & Boij. ibid. Salue Regina, Dux & Buquoius praeuntem Sacerdotem voce suâ secuti. ibid. vexilla Boica MARIAE nomine & imagine insignita. ibid. tabula Deiparæ à P. Dominico Carmelita prælata victoriam Pragensem peperit. Munera Cæsaris & Ducis in eandem collata & triumphi Romæ. ibid. Narsetis victoria in Totilam cultu Deiparæ parta, imago Virginis in clypeo eiusdem prælata hostes fudit. ibid. loca virgini sacra in Bauariâ. ibid. Mariæ de victoriâ Sacellum Romæ ob victoriam Pragensem erectum. l. 8. c. 16. numerus vexillorum in trophæum Virgini missum. ibid. & l. 9. c. 1. in triumpho ductus. ibid. festus eidem dies institutus. 8. Maij. quo in arâ imago locata. ibid. imagines Deiparæ exosculatæ ab hostibus. l. 9. c. 5.
M. Philippus Fuggerus pedibus mutilus Androclides Laco, Democrates pugil. l. 3. c. 7.
Marsyas excoriatus Caluini imago. l. 13. c. 5.
Martis armamentarium. l. 15. c. 3. & seqq.
Martyrum auxilia in Principem, & Sobieslaum. l. 9. c. 8. S. VVenceslai, cuius sacrarium vastatum, S. Viti bis ignem passi. ibid.
Masinissa immotus, Ducis symbolum. l. 10. c. 4.
Matthæus Comes Turrianus à Vienna obsidione per Buqnoium reuocatus. l. 7. c. 8. rebellio eius in Cæsarem expressa. l. 7. c. 6.

Mathematicorum prædictiones quales. l. 20. c. 10. Ioannis Liechtenbergij prognostica qualia. ibid. c. 11. Mathesis poëta. l. 4. c. 6.

Maximiliani Electoris Boij cultus & gratitudo in Deū l. 10. c. 5. SS. Eucharistiam. ibid. c. 4. Beatissimam Virginem. l. 9. c. 5. Angelos ibid. cap. 6. Apostolos. ibid. c. 7. Martyres. ibid. c. 8. cæteros Diuos. l. 10. c. 1. pietas in Parentem. l. 5. c. 9. fides in Cæsarem. l. 5. c. 10. l. 7. c. 11. & 12. auxilium. l. 7. c. 9. clementia in hostem. l. 2. c. 11. l. 13. c. 4. & 5. Auctoritas. l. 14. c. 2. 4. 5. & 6. Iustitia l. 16. c. 2. & 3. Prudentia. l. 12. c. 2. 6. Celeritas in apparando. l. 12. c. 2. vincendo. ibid. c. 4. Temperantia. l. 13. c. 3. 4. 5. Fortitudo. l. 15. cap. 3. 5. Felicitas. l. 17. cap. 8. & 7. Scientia. l. 4. c. 9. Defensoris Ecclesiæ titulus. l. 8. c. 12. Ecclesiæ totius defensio. l. 8. c. 1. Gratulationes Ecclesiæ. l. 8. cap. 16. Pontificum, Pauli V. l. 8. c. 8. Gregorij XV. l. 8 c. 11. Regum & Principum. l. 14. c. 6. Principatus Liga l. 6. c. 10. obseruatio Religiosorum. l. 10. c. 6. pietas in ægros. l. 3. c. 11. mortuos. ibid. cap. 10.

Medicorum Castrensium Laus. l. 3. c. 11.

Mercurij Circus. l. 12. c. 1. statua eius & Argi cuius rei signum. ibid. cap. 3. Mercurius & Perseus Legati Poëtæ adiuncti in quadriga Iouis dono. l. 1. c. 5. & 10. oratio Mercurij in Concilio Deorum l. 18. c. 2.

Militum laus in Principem. l. 3. c. 12. clamore aues è cœlo decidere. l. 20. c. 12. amuleta pia & impia. l. 10. c. 6 & 7. l. 9. c. 5. vis Agni Cerei in milite Hispano. l. 10. c. 7. de fascinis impijs. vide Dæmonis cult⁹. Militis Boij temperantia in prædâ. l. 13. c. 3. Milites boni bonos duces moribus & clamoribus laudant. Triumphi militares. l. 3. c. 2. Milites literati. Trecentorum studiosorum Ingolstadiēsium Martius animus Leonidis Lacedæmonij typo & poëmate expressus. l. 4. cap. 14.

Minotaurus l. 18. c. 11.

Mithridates 3. Romanos Impp fatigauit, Dux noster pluribus vnus sufficit. l. 17. c. 2.

Monachiensis vrbis pietas. Germanorum Roma. l. 8. cap. 4.

Monarchiæ præstantia ex Cræsi historiâ. l. 15. c. 1.

Monimenta Ducum defunctorum & aliorum Marte aut lue extinctorum. l. 3 vsq. ad cap. 11.

Mons Olympus Principum scientiâ clarorum typus. l. 4. cap. 2. Parnassus amœnitas. l. 11. cap. 1. Kindaculæ amœnitas. ibid.

Morbus erudit, imò & musicos facit. l. 3. c. 11.

Mortuorum miranda Anastasis. l. 2. c. 10. violatio punita. l. 9. c. 2. præcipuè Cælitum. l. 9. à c. 4. ad fin. lib. Bauariæ Principum triumphus de victoriâ Maximiliani l. 5. c. 10. Ducis in bello defunctos pietas. l. 3. cap. 10. Sodalitium in subsidium defunctorum. ibid. hostium laus in Principem. l. 2. à cap. 12. ad fin. lib. Mors Calani Indi figura lue extinctorum in bello. l. 3. cap. 8.

Mos Bohemorum in regno, vexillorum traditione mandando in Cæsare renouatus. l. 7. c. 9. Boiorum canentium, cùm eunt ad prælium. l. 9. c. 5. in clientelis & amicitijs parandis & tuendis. l. 7. cap. 11. Polonorum, canticum Bagarodzica ante prælium canentium. l. 8. cap. 9. Romanorum cremandi cadauera à Sullâ fluens. l. 9. cap. 3. & imagines Impp. præter Aquilam præportandi in l. Legionis Cohorte. l. 1. cap. 12. Scytharum præliantium pro monimentis Parentū. l. 5. c. 10. Fontinalium coronandorum. præf. n. 12.

Musarum cantus & varia Dearum præmia. l. 18. c. 7. castra. vide Castra. horti Duci sacri. l. 4. c. 8. Ingolstadiensium incrementum. l. 4. c. 12. Domus, Bauaricæ imago. lib. 5. c. 5. vide Bauaria. interim palatium Proauorum imaginibus præsigne. l. 6. c. 1.

N.

Narsetis victoria de Totila cultu Deiparæ parta. l. 9. c. 5. imago Deiparæ in clypeo Narsetis prælata hostes strauit. ibid.

Nationum varietas in milite Bauaro. l. 9. c. 12. Indus Aulæ Bauaricæ sectator. ibid.

Natura imagines rerum seu species quomodo exprimat. l. 7. c. 4.

Necromanticorum simulatorum fraus l. 7. c. 4.

Neptunus tempestatem sedans. l. 1. c. 3. Neptuni templum. l. 2. c. 3.

Nicolai Rusca Archipresbyteri Sondriensis gloriosum Martyrium à crudeli Caluinicolarum tyrannide profectum. l. 20. c. 7.

Nicomi Thasij pugilis statua violatorem oppressit. l. 9. cap. 3.

Nota Ecclesiæ & hæc vna, felicitas Ecclesiam defendentium. l. 8. c. 9.

Nymphæ Principi accinūt. l. 4. c. 13. conuentus ac tripudium earum, Musarumq. Ingolstadiensium incremētum. 9. vno die Doctores creati. l. 4. c. 12. inuitatio nym-

tio nympharum ad fontem Castalium. l. 4. c. 11.

O.

Olympus mons. amœnitas figura l. 4. c. 2.

Orci fauces & monstra. l. 2. c. 3. & 2. seqq.

Ordo equitum militiæ Christianæ in Turcam & Ecclesiæ hostes approbatus. l. 4. cap. 13. Stellatorum equitum insigne. Auctor. l. 11. c. 4. S. Michaelis. Origo. l. 7. c. 8.

Orphei statua sudans. pref. n. 1. & seqq.

Otthonis Henrici Fuggeri virtus. l. 7. c. 8.

P.

Pallium Electorale cur breue? l. 19. c. 4.

Panegyristæ veteris dictum ad Constantinum Boico Electori aptatum. l. 4. c. 9.

Pappenheimij præconium. l. 3. c. 13.

Parnassi sedis summa amœnitas. l. 11. c. 1. Psittacorum & Lusciniarum sedes, laus. Tithorea, Hyampeus bini vertices, turres 5. I. vindictæ diuinæ. l. 10. c. 3. II. Cultus diuini. ibid. c. 4. III. Consilij diuini. ibid. c. 6. IV. auxilij diuini. ibid. c. 7. V. Prouidentiæ diuinæ. ibid. cap. 8. L. pro hostibus, 4. reliquæ pro Duce.

Pastores Christi ab hostibus oculis orbati. l. 9. c. 5.

Paulus V. P. M. auxilium pecuniarium Boio misit. l. 8. c. 4. eius responsio ad Ducis litteras de Pragensi victoriâ. l. 8. c. 7. Româ ei R. P. F. Dominicum Carmelitam mittit. l. 10. c. 6.

Pausanias Lacedæmoniorum Rex Mardonium occisum violare noluit l. 9. c. 3. vide Mortuorum.

Pegasi encomium l. 4. c. 4. & 7. celeritas l. 4. c. 6. silex l. 4. c. 7.

Pelicanus ignem alis extinguens figura ambitiosorum l. 13. c. 2.

Peristromatum artificiosorum commendatio. l. 7. c. 1.

Pertinacis numismatis figura, inscriptio l. 11. c. 4.

Petri Fabri Soc. IESV vaticinium de Germaniâ l. 20. c. 7. virtus ibid.

Petri comitis Sabaudiæ dictum, gladio, casside, vnionibus noni Electoris expressum l. 7. c. 10.

Pharus ignea de æde S. Hilarij ad Clodouei tentoria egressa prodigium victoriæ Clodoueo fuit l. 9. c. 2.

Phasiani & Psittaci Heliogabalo & Apicio luxus materia. l. 5. c. 3.

Philippi II. Regis Hispaniarum auxilium in Cæsarem l. 7. c. 8.

Phœnix, columba, cum comitatu auium Principis & ligæ emblemata l. 6. c. 10.

Pietas felicitatis causa in bello l. 8. c. 5. pietas Monachij l. 8. c. 4. in Principem Martis fecit uerem totius Bauariæ l. 14. c. 5. Principis in SS. Eucharistiam l. 10. c. 4. Electoratûs ei causa. immoto corporis situ l. 10. c. 4. & l. 14. c. 5. vox hostis de pietate Ducis ibid. in laudibus Deo persoluendis l. 10. c. 5. cultu Deiparæ l. 9. c. 5. Angelorum l. 9. c. 6. Cælitum ib. c. 2. in hostes. vide Clementia in bello functos l. 3. c. 10. agros. ibid. c. 11. tam apud suos quàm exteros Iosuæ statuâ expressa l. 14. c. 5.

Pilei Electoralis donum l. 19. c. 3.

Platonis sigilli inscriptio l. 9. c. 3.

Plebis & militum clamore aues è cælo lapsæ l. 20. c. 12.

Pluriense oppidum ruinâ montis oppressum in vindictam Nicolai Ruscæ l. 20. c. 7.

Pluuia portentosa Aquitaniæ, cuius rei signum l. 13. cap. 4.

Poëta è cælo redux Cæsari ac Duci pro beneficiis publicis & priuatis gratias recenset l. 1. c. 1. quorsum hæc gratiarum actio ab eo destinetur ibid. c. 2. causa digressionis ibid. cap. 5. discrimen suum narrat ibid. c. 6. varia ab eo auxilia frustrà tentata ibid. c. 7. Imperatorium & Boicum nomen etiam superis venerandum, salutare experitur l. 1. c. 10. etiã in orci monstris fugãdis l. 2. c. 6. & 7. eius è Comitijs apud Superos habitis descensus. ibid. cap. 11. in Academiam aduentus. ibid. cap. 12. cur & quid, & quo ordine, quæ sequuntur, sit narraturus. ibid. c. 14. eius somnium. l. 2. cap. 2. Parnassum petens ad Orci fauces defertur. ibid. c. 3. & seqq. terror panicus à monstris. l. 2. c. 6. exin pergit ad Campum victoriæ. l. 3. c. 1. IV. Regiones castrorum victoriæ lustrat ibid. à c. 2. ad fin. lib. ab his ad Musarum castra transit l. 4. c. 1. hinc in vicum Bœotiæ Ascram dictum olympum versus ibid. c. 2. vbi in Victoriam Pegaso in terras deuectam incidit l. 4. c. 4. Poëtæ Pegaso insidentis & Musas quærentis error l. 4. c. 7. in hortos Musarum defertur ibid. c. 8. ab his de amænâ planitie in domum Musarum, quam lustrat l. 5. c. 5. & seqq. ibi nouum Lucretium offendit mira hîc & in templo Honoris monstrantem l. 7. & 2. libris seqq. è templo cur egressus, & quò l. 10. c. 2. in Parnassum delatus l. 11. c. 1. qui inde ad Lunæ cælum peruenerit l. 11. c. 3. & seqq. ab hoc in Mercurij cælum l. 12. c. 1. & seqq. post ad Phosphorum l. 13. c. 1. & seqq. mox ad solis regiam l. 14.

l. 14. c. 1. & seqq. dein ad Martis castra l. 15. c. 2. & seq. inde ad curiam Iouis l. 17. c. 1. & seqq. post per Saturni regnum l. 17. c. 2. & seqq. eius cum magnifico Deorum comitatu in cœlum ingressus l. 17. c. 1. affectuum vices variat, gaudij, solicitudinis, & donum eius à diis acceptum in libellis prædictionum l. 20. c. 1. eius vaticinium l. 20. c. 12.

Polonorum victoria contra Fedconem Prussorum Ducem precibus regis parta l. 8. c. 15. mos ante prælium canentium l. 8. c. 9. alia victoria contra Prussos precibus Poleslai pudici parta ibid.

Pompeij & Cæsaris celeritas in vincendo Boij imago l. 12. c. 4.

Populi totius vaticinium de vsurpato rege Friderico. l. 20. cap. 9.

Pomum Electorale datum, à quo? & vnde ortum? l. 19. (cap. 3.

Pontificis auxilium l. 7. c. 8.

Potentia Principis Indicis Instrumentis figurata l. 14. cap. 4.

Precum Ecclesiæ vis tempore belli l. 8. c. 15. vide Ecclesiæ precum. Religiosorum l. 10. c. 6. 40. horarum origo. l. 8. c. 15.

Prædicantes quartâ lunâ nati l. 11. cap. 6. Prædicantis vaticinium de Bauaro & Catholicis l. 17. c. 8. Sculteti prædicantis patroni Raspinus & Ponus l. 9. c. 8. Ioannis Vdalrici Progizeri stultitia l. 11. c. 6.

Præsentia Ducis in bello, Antigono expressa l. 14. c. 5.

Præstigiatores Necromantici. Fraus. l. 7. c. 4.

Principes 4. nostrum ad bellum comitari gestierunt. nomina l. 3. cap. 2. Principis nostri & solis similitudo 3. titulis expressa l. 15. c. 1.

Priuilegia Academiæ Ingolstadianæ præf. n. 14.

Prodigia. I. Cometa l. 20. c. 3. II. trium mensium constans serenitas l. 10. c. 8. & l. 20. c. 4. III. Vexillum ardens incombustum l. 20. c. 4. IV. præsaga virorum & equorum hostilium trepidatio ante pugnam ibid. c. 5. V. Albus Eques victoriam certis de victoriâ auferens ibid. VI. Æra turrium in variis locis concinentia: & in quadam vrbe noctu in curiâ Senatores sine capitibus assidentes visi: Catholicique Sacerdotes longo agmine cum vexillis procedentes per plateas ibid. VII. Sanguineus lacus apud Heluetios, accolarum interpretatio l. 20. c. 6.

Prodigiosa pluuia Aquitaniæ cuius rei figura l. 13. c. 4. prodigium trinũ victoria Clodouei ostensũ l. 9. c. 2.

Propinatio Cæsaris Ratisbonæ l. 7. c. 9.

Propugnacula hostilia, Cæsari-prouocum, Boio-prouocum per conuitium dicta, imitatione Batauorum Clerico-prouocum suum in Rheni insula appellantium. l. 7. c. 10.

Protestatio Ladislai ante bellum Prussicum l. 16. c. 4.

Prouidentiæ diuinæ descriptio l. 11. c. 2. qualis in Principem l. 10. c. 8. quadruplex eius emblema. 1. Eduardi Regis. 2. Seleuci. 3. Æneæ pietas. 4. Iosuæ pugnantis & solis stantis cum adiunctis symbolis ibid.

Prudentia Principis. Ianus prudentiæ imago. Vsus & memoria parentes l. 11. c. 2. Principis ex hostium imprudenti calliditate monstratur. ibid. c. 6. prudentiæ trophea ibid.

Psittacus Apollinis Bauarici interpres laudatur l. 4. c. 9. Ascanij Cardinalis symbolum fidei edoctus l. 5. c. 1. psittaci Hannonis & Apsephæ seu Psaphonis l. 5. c. 3. sedes eorum Parnassus l. 11. c. 1. ingenium & cantus l. 5. c. c. psittacis Heliogabalus Leones, Pantheras, & alia animalia pauit. Apicius cum eodem capitibus psittacorum & Phasianorum ingentes dapes Palatinis exhibuit l. 5. c. 3. P. Seruilius Isauricus terrâ mariq; victor l. 1. c. 4.

Q.

Quadriga Iouis l. 19. c. 2.

R.

Religiosorum quàm obseruans Princeps? nouus Theodosius petendo horum preces, & P. Dominicum Carmelitam à Paulo V. P. M. vt ille preces Ioannis Ascetæ Ægyptij. & Senuphiũ à Theophilo Episcopo petiuit, cuius baculo & superhumerali hostes terruit, fugauit l. 10. c. 6.

Renata triumphans, sertata Lacænα l. 5. c. 10.

S.

Sacellum Mariæ de victoriâ Romæ l. 8. cap. 16. vide Maria.

Sacerdotum Castrensium laus militaris l. 3. c. 11.

Sagitta 40. dierum spatio totum terræ ambitum peruadere potest l. 4. c. 6.

Salomonis pacifici thronus leone cinctus, Cæsaris & Ducis emblema l. 7. c. 9.

Salue Regina ante pugnam l. 9. c. 5.

Sancti Bauariæ præcipuè fauentes, B. Virgo, Michaël, Benno, Ignatius Loiola curâ Ducis in Diuos relatus, Florianus, Seuerinus, Geroldus, Raffo, Carolus Magnus, alij. vt olim D. Ambrosius & Stanislaus Episcopi suis l. 10. c. 6.

Sanguineus lacus apud Heluctios l. 20. c. 6.
Saturni falx, felic tatis symbolum l. 17. c. 2. eius & Cygni cælestis sententia in concilio Deorum super quiete Principi tandem relinquenda. l. 18. c. 4.
Scientia malè vsurpata præcipitat. l. 4. c. 3.
Sciluri iacula & musica fœderum vim & venustatem indicant l. 6. c. 4.
Scelerum vindicta ob sacrilegia in monasteria, sacras personas patrata à Deo per Anglos sumta l. 10. c. 3.
Sculteti Prædicantis Patroni Raspinus & Ponus l. 9. c. 8.
Senuphius & Ioannes Asceta Theodosio in bello salutares l. 10. c. 6.
Serenitas trimestris miraculosa l. 11. c. 2. l. 20. c. 4.
Sigismundi Regis Poloniæ auxilium in Cæsarem. l. 7. cap. 8.
Sobieslai Bohemiæ Ducis victoria de Otthone Duce Morauiæ S. VVenceslai ope miraculosa l. 9. c. 8.
Societas Iesu Pragam rediit l. 8. c. 1.
Sodalitium in subsidium defunctorum l. 3. c. 10.
Solis Regia, motus, maculæ l. 14. c. 1. nigræ maculæ hosti, lux Duci à Phœbo attributa ibid. Solis & Principis similitudo 3. titulis expressa, & Crœsi bi-floriâ. l. 15. c. 1. Solis elliptici cau; a. horologium ona-tum. l. 15. c. 2. Solis & Lunæ obsequia in nouum Electorem. l. 18. c. 3.
Satua Orphei sudans. præf. n. 2. & seqq. Neptuni tempestatem sedantis. l. 1. c. 3. P. Seruilij I saurici, terrâ mariq; victoris. l. 1. c. 4. Iouis laureati fulminantis gigantes. l. 1. c. 13. Mercurij & Argi. l. 12. c. 3. Iosue. l. 14. c. 5.
Stella. l. 11. c. 4. Stellatorum equitum ordo. ibid. Stella Veneris. l. 13. c. 1. Stellarum celeritas in motu. l. 4. cap 6.
Studiosorum 300. Martius ardor Leonidis Lacedæmonij facto expressus. l. 4. c. 12.
Sullæ barbara crudelitas in cadauer Marij. l. 9. cap. 3. mos cremandi cadauera indè fluxit Romanis. ibid.

T.

Templum honoris interiore sui specie quale. l. 9. c. 1. exterior eius species. l. 8. à cap. 2. ad fin. lib. Neptuni. l. 2. c. 7.
Temperantiæ & intemperantiæ porticus & fornices. l. 13. c. 2. temperantiæ exempla Ethnica. ibid. Boij Ducis recusantis regnum, ibid. c. 3. militis in prædâ. ibid. Ducis in victu & victu. ibid. c. 4.
Terror hostium & equorum miraculosus. l. 2. cap. 7. & 2. seqq. l. 20. c. 5. Henrico Percio Comite crepitaculis fugato expressus. l. 14. c. 3.
Tessera Cæsarianorum & Boiorum militaris fuit, S. MARIA. l. 9. c. 5.
Theatra pensilia Caij Curionis. l. 18. c. 10.
Theodosij victoria ope S. Ioã. Bapt. & Euangelistæ, & Philippi. l. 9. c. 7. eidē Ioã. Ægypti Asceta preces & Senuphij baculus & superhumerale salutaria in bello, vt nostro Duci preces Religiosorum, & R. P. F. Dominici tabula Deiparæ. l. 10. c. 6.
Thesei cum Minotauro certamen. l. 18. c. 11.
Tiberij Gracchi seditio. figura Friderici. l. 7. c. 6.
Tibiarum varia genera. l. 4. c. 13. nympharum peritia canendi tibijs. ibid.
Tiberis cur non a Romanis, vt Gnides à Cyro ductus figura. l. 6. c. 6.
Troianum equus & Cochleæ vndiq; obrepentes, tarditatis Græcia in bellando figura. l. 12. c. 5.
Trophæa ob hostes debellatos & territos varia. l. 2. c. 8.

V.

Valentini Schmidij laus. l. 3. c. 13.
Varietas nationum in milite Bauaro. l. 3. cap. 12. Indus Aula Bauarica candidatus ibid.
Vaticinijs res magnæ, præsertim bellorum, alijsue signis plerunq; prænunciata, & cur? exempla sacra, profana. l. 20. c. 2. Vaticinia de bello & rebus Germanorum. I. Petri Fabri Societ. IESV. virtus eius singularis. l. 20. c. 7. II. P. Iodoci N. Theologi valdè religiosi. ibid. c. 8. III. P. Iacobi Rem Brigantini, animarum defunctorum miri patroni, & spiritu Prophetiæ inclyti. ibid. IV. totius populi de Friderico Rege. ibid. c. 9. V. P. Dominici Carmelitæ viri piissimi qui hostili conuitio Bauari veneficum indignè audijt. VI. Ioannis Godefridi Episcopi Bamb. & Herbipol. defuncti verè sancti. ibid. VII. Anonymi de Principe. ibid.
Vaticinium Poetæ. l. 20. cap 12. Prædicantis de Duce ac Catholicis. l. 17. c. 3. Ranzouij de Rodulpho Habspurgensi. l. 20. c. 10.
Venatio cœlestis l. 18. c. 8. ferarum ad Pragense viuarium instituta. quàm vtilis ipsis prædis l. 2. c. 9.
Veneris stella cur cornuta l. 13. c. 1.
Vexillum Anhaltini captum à Boio l. 9. c. 1. Vexillorum hostilium Romam in Tropæum MARIAE de victoria missorum numerus, ductorum in triumpho l. 8. c. 16. eorundem lemmata & emblemata epi-phone-

phonemate auctoris ditata l. 15. c. 4. Bauaricorum lemmata l. 9. c. 5.

Victoria castra l. 3. c. 2. & seqq. eiusdem cum Romanâ Clœliâ collatio l. 4. c. 4.

Victoria pro DEO, Pontifice, aut Ecclesiâ pugnantiũ l. 8. cap. 9. l. 17. c. 8. precum Ecclesiæ vi & auxiliis parta l. 8. c. 14. & 15. cultu Cœlitum l. 9. c. 2. 7. 8. & l. 17. c. 8. Deiparæ l. 9. c. 5. Angelorum l. 9. c. 6. l. 17. c. 8. Apostolorum l. 9. c. 7. l. 17. c. 8. Martyrum l. 9. c. 7. & 8. piorum etiamnum superstitum l. 10. c. 6. canendo parta præf. n. 12. Victorum laus in Deum redit, & iusta præf. à n. 8. ad 12. Victoria Pragensis Dominica l. 7. c. 9. Gratulationes & triumphi Ecclesiæ l. 8. c. 16. Pauli V. P. M. l. 8. c. 7. Regum & Principum. nomina l. 14. c. 6. miraculosa fuit ex multiplici Prodigio. vide prodigia. precibus procurata l. 8. c. 9. l. 10. c. 6. victoria quomodo comparanda l. 16. c. 2.

Vindicta Scotorum. vide Scotorum. l. 10. c. 3.

Violatores Cœlitum puniti. l. 9. c. 2. sacrilegia hæreticorum in sanctissimam Eucharistiam & Christi è cruce pendentis statuam infanda. l. 9. c. 4. beatissimam Virginem, Iosephum, Pastores. ibid. c. 5. SS. Apostolos. ibid. c. 7. SS. Martyres. ibid. c. 8. 12. Prophetas maiores. ibid. c. 7. violatores defunctorum castigati. l. 9. c. 3.

Volandi ars futilis. l. 1. c. 9. Volucres clamore plebis seditiosæ, & militum de cœlo delapsæ. l. 20. c. 2.

VV.


VVenceslaus victor in singulari certamine ope Apostolorum. l. 9. c. 7.

FINIS.



Errata sic corrigantur.

Pag. 36. v. 6. existimarum, existimârim. 37. titulo cap. ad marg. post vocem. *terrorem*, adde, *datos*. 55 v. 2. quæq., quæquæ. 62. v. 17. quis, suis. 80. v. 3. à fin. Benikarfio, Benikaufio. 83. v. 3. à fin. magnitudin, magnitudinē. 86. v. 4. à fine: non morientibus, cum morientibus. 115. v. antepen. augurabuntur, augurabantur. 161. v. 11 quia, qui. 171. v. 4. canerē, carcerē. 178. v. 4. à fine. Matthias, Matthæ⁹. 181. v. 12. Enecladus, Encelad⁹. 203. v. 15. para, partâ. 228. v. 3. & 4. fin. occidisset, erasisset; occidissent, erasissent. 232. v. 8. à fin. præcinctu, procinctu. 234. v. 6. à fin. quib. quâ. 235. v. 5. tessera, adde, dixi. 239. v. 3. Ducum, Adde, ope. 258. v. 5. à fin. non. Adde, est. 263. v. penult. CAESARIS, CAESARI. 299. v. 15. legabatur, legebatur. 301. v. 10. à fin. qui contra, qui cum contra. 328. v. 3. Polyphymnia, Polyhymnia. 350. v. 14. peruerunt, aperuerunt. 364. v. 7. à fin. portendunt, portendant. 371. v. 5. Haarstein/Haarsee. Minuscula si quæ alia admisit typographus, facilè etiam sine monitore corrigentur; præsertim si quando citationes ad marginem appositæ non planè ex aduerso respondent.



INGOLSTADII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

GREGORII HAENLINI.

CIↃ. IↃC. XXIII.

